UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et Principis Monasteriensis Decas

Alpen, Johann von

Coesfeldiae, 1694

urn:nbn:de:hbz:466:1-68495

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

P III
30

Th. 5227.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE VITA
ET
REBUS GESTIS
CHRISTOPHORI BERNARDI
EPISCOPI ET PRINCIPIS
MONASTERIENSIS
DECAS
Collegii S.I. A Paderbornæ 1695.
JOANNE AB ALPEN
Ecclesiarum Metropolitanæ Colonienſis Archidiacono Majore, Archidiaconalis Santenſis Præpoſito, inſignis Collegiatæ D. Martini Monaſterienſis Decano.
CHRISTOPHORI BERNARDI
Conſiliario intimiore, Vicario Generali
& Sigillifero
CONSCRIPTA.

COESFELDIÆ,
Typis ANDREÆ HERM: WEMMEIERI
M DC XCIV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CELSISSIMO & REVERENDISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO

D. FRIDERICO CHRISTIANO

EPISCOPO MONASTERIENSI
BURGGRAVIO STROMBERGENSI
SAC. ROM. IMP. PRINCIPI
DYNASTÆ IN BORCULO.
ANTIQUISSIMÆ,
Nec ulli Germanicæ Nobilitatis ſecundæ
S.R.I. LIBERORUM BARONUM.
DE PLETTENBERG
FAMILIÆ
EXCELLENTISSIMO GERMINI.
FORTISSIMI HEROIS
GUALTERI PLETTENBERGI
ORDINIS TEUTONICI IN LIVONIA
SUPREMI MAGISTRI
Poſt cæſa, deletaque uno prælio,
Cum paucâ ſuorum manu,
Centum Moſchorum millia
Primi inter Magiſtros Livoniæ
S. R. I. PRINCIPIS
EX FRATRE
TRINEPOTI.

Tot antè
Dignitatibus Ecclesiasticis
Et Togâ, Sagoq; Muniis
EMINENTI.
Plurimis
Ad Reges, Electores, Principes,
Resp. ac publicos Conventus
Legationibus
INCLUTO.
Anno Æræ Christianæ M. DC. LXXXIIX.
IV. Calend. Sextil.
E Gremio
Illustrissimi CAPITULI Monasterienſis
Admirabili
Suffragantium omnium harmoniâ,
Bonorum desiderio,
Subditorum acclamatione
ELECTO
Et mox supremis
INNOCENTII. XI. ROM. PONT.
ac
LEOPOLDI CÆS. AUG.
Authoritatibus
CONFIRMATO.

Post

POST
FERDINANDUM. II.
AVUNCULUM.
&
MAXIMILIANUM HENRICUM
BAVARIÆ DUCEM.
CHRISTOPHORI BERNARDI
QUA PRINCIPIS, QUA EPISCOPI,
MAJESTATE,
VIRTUTIBUS,
MORIBUS,
SUCCESSORI
MONASTERIENSIS ECCLESIÆ
ANTISTITI SEXAGESIMO.
PATRI PATRIÆ
Forti. Pio. Justo.
Clementissimo Principi
& Hero suo

D. D. D.

Ipsâ D. LUDGERO Proto-Episcopo Sacrâ die MDCXCIV.

Humillimus & Devotissimus
SCRIPTOR.

BENEVOLO LECTORI SCRIPTOR.

Scriptionis occasio.

EXtremum vix diem clauserat *Christophorus Bernardus Episcopus & Princeps Monasteriensis*, cùm è vestigio prodiit libellus idiomate Belgico excusus Amstelodami, qui vitam, resq; gestas plausibili fronte ostentabat. Gallicâ primùm, mox Teutonicâ, deinde Tuscâ linguâ donatum, curiosiùs passim excepit lectitantium cupido, virtutes, factaq; veriùs cognoscendi, quæ dudùm eo de Præsule constans fama divulgârat. Ut verò pervolvi cæptus est, notatusq; mera duntaxat calumniarum egerere retrimenta, mox nauseans mephitim Lector, ut vomitum arcéret, ad ea confestim loca damnavit, quæ jam olim istiusmodi strophis destinata sunt. Haud dubiè vel ipsum idcircò autorem puduerit nominis sui, mutis tantùm hisce characteribus, *S.d.V.* libello præfixi; quod cum Ultrajectinum se jactitet, nonnemo haud inscitè explicavit; *Sycophanta de Ultrajecto.* Et is scriptorem se venditat universalis Historiæ; quam si fide pari adornaverit, rectiùs dici merebitur famosorum omnium scriptorum consarcinator.

Famosus libellus.

Illustrium calculo prædamnatus.

Erant eo tempore *Neomagi*, ubi tunc Ablegatum egeram, *Aloysius Bevilaqua* Romani Pontificis, Joannes ex Baronibus de Goes *Episcopus Gurcensis*, & Baro *Straetmannus* Cæsaris Legati; cum his Augustinus *Pinchiarius* Nuncij Auditor, & inprimis Laurentius Comes

Casonus

Casonus (quem ob eximias virtutes in aulâ Pontificiâ ad magna evectum posteà vidimus) Viri omnes, quibus in ea Legatorum coronâ vix pares conspexit Neomagum. Indignè ferebant ij scriptoris impudentiam; quodque me eam inter negotiationem de *Christophoro Bernardo* non rarò audiissent differentem, rogabant & hortabantur; ut præclara Heröis acta, quæ nunc quidem sincero constarent orbi, si non libro, saltem commentariolo, posteritati consecratem. Ita posse figmentorum pravitatem convelli, caverique simul, ne calumniosis istiusmodi fabulis in errorem traherentur imperitæ, incautæque nationes. Oportuisset equidem tam seriæ monitioni promptiùs obtemperare: sed quantò impellebat Mecœnatum authoritas, eò fortiùs retrahebat scommatum, commentorumque turpitudo, quorum farragine integer libellus scatet.

Ut enim ex ungue leonem probemus, excerpsisse pauca sufficiet. Asserit exordiens Autor *Christophorum Bernardum compauperem* in adolescentiâ *scholarem*; quem nôrunt omnes illustri natum parentelâ, multarum arcium, terrarum, ac facultatum dominâ. Appellat *orphanum*, qui ad provectam usque ætatem patrimus; nec Matrem amisit antè annum Principatûs sui octavum. *Mallingerotium* Christophori

Eius commenta.

Bernardi *avunculum* creat ; qui eâ sanguinis propinquitate se attinebant, quâ Teuto Japonem. Ab eodem illum vult in studiis enutritum ; ac denique muneri *Custodis* admotum ; qui vix septennio major Canonicatu Monasterienſi jam potiebatur, quando Mallingcrotius Reformatæ adhuc Religioni addictus, integro ferè decennio post, in eadem priùs Ecclesiâ Sacerdotium impetravit. Custodem arbitratur vulgarem ædituum, homo sacrorum rudis & eminentioris eorum gradûs, qui thesauris Ecclesiarum Præfecti in Germaniâ Custodes appellantur. *Electionem* omninò *discordem* affirmat ; cui post unum Mallingcrotium nemo mortalium unquam contradixit. *Confirmatam* eam â Pontificibus *negat* ; quæ mense ab electione tertio, in pleno Purpuratorum Patrum cætu, discrepante prorsùs nemine, admissa, probataque fuit. Denique Principem exclamat, *turbulentum*, *impostorem*, *raptorem*, *fædifragum*, *perfidum*, *periurum*, & atrocium id genus calumniarum plura ; quæ tametsi in decursu historiæ secùs patebunt ; hoc tamen loco appellare æquum quemvis arbitrum & scisciti libet ; quod fieri abiectissimis vetat Christiana pietas, deceátne convitiari sic, censerique, *Principem*, *mortuum*, *vicinum* ; nec Cæsaribus tantùm ac Regibus, sed & ipsi Batavorum Reip. *amicum*;

amicum, ac perſeveranter ad mortem uſq; *confœderatum* ?

Non defuêre, qui monſtroſum hunc partum publicis ignibus adjudicandum eſſe, & in cataſtis Monaſterienſis Provinciæ Carnificum manibus palam concremandum urgebant. At *Galeniorum* illuſtris gens, ceu exemplorum glorioſi Principis ſui imitatrix, maluit hæreditariâ generoſitate contemnere, quam iſtiuſmodi cauterio ulciſci tam crudi embrionis genitorem.

Publicis ignibus digna.

Sed generosè contempta.

Prudenter duo dicendi genera ſtatuit Iſocrates; vel de iis, quæ certò novimus, vel de quibus dicere neceſſum eſt. In his enim ſolis oratio ſilentio præſtat. Hujus tam ſalutaris inſtituti Scriptorem decuiſſet memorem fuiſſe, nec ita prompſiſſe temeriter craſſa adeò figmenta, quæ non minùs, quam Ægypticæ tenebræ palpari queant. Et quamvis inaniæ hujuſmodi ſeu contemptim, ſeu neglectim habitæ, communiter exoleſcant; nec è peritiorum animis pelli mereantur; quod tamen ignara & credula poſteritas â fuco tam fallacis ſimulâcri in errorem facilè, fraudemque induci poſſet; haud abs re fore viſum eſt erigere nunc veritatis aram, quâ detectâ palàm falſitate, fucoque abſterſo, vita, geſtaque tanti Principis ſinceriùs expreſſa, poſteris exponantur.

Hanc religioſè provinciam ſuſceperat

Everardus Wassenbergius, non obscurus seculi hujus scriptor; sed cum & ipse temporum, locorum, personarum, rerum, & causarum non satis gnarus esset; quæque aliundè desiderabat, parcè suppeditarentur; viri cum ætate sensim etiam deficientis studia, conatusque, non voluntas, sed potestas impedivit.

Plura scriptoris incitamenta.

Plures intereà lamentabantur curiosam fraudari posteritatem eorum narratione, quorum præsens recordatio non esset injucunda. Conversi ergo in me multorum oculi, hinc fidem Principi vivo toties probatam, & devotionis agnitæ debitum; indè tot annos Ministrum; rerumque gestarum vel oculatum, vel auritum testem; in itineribus & viis socium; in prandiis ac cænis commensalem; consiliorum, arcanorumque conscium palàm objectabant; nec posse veriùs à quoquam scribi tam famosi Heröis acta.

A variis acta.

Instabant, monebant, obtestabantur subditi, Ministri, magni nominis Viri; quos inter *Franciscus Cardinalis Bonvisius* nuper ad Rhenum, ad Regem & Remp. Poloniarum, tunc ad Leopoldum Augustum Sedis Apostolicæ Legatus, litteris & benevolentiâ & humanitate plenis, obsequium hoc non tantùm non imperavit. Æquum erat nec amicorum frustrari vota, nec obniti imperio tanti Mecœnatis. Cœpit igitur, uti solet

solet, initiò fervere labor : sed ea intercidêre paulatim impedimenta, quæ non septimanas ac menses tantùm, sed annos etiam calamum distraxêre.

At verò sic dormitantem iterùm excitârunt Barones, *Nesselrodius* Trachenbergæ Silesiorum, & *Wilichius* Boetzlariæ Cliviorum Dynastæ, hic Brandenburgensi, is Colonienſi Octoviro â consiliis intimis, raro inter Nobilitatem exemplo præcellentes Musarum alumni, post litteratum amorem, rati â famâ *Christophori Bernardi* non posse non aliquam simul gloriam Ordinem Nobilium mutuari. Sed omnium ferè stimulantior *Fridericus Christianus Baro Plettenbergius* (tunc quidem Decanus Monasterienſis, sed quem in eadem nunc Cathedrâ *Christophori Bernardi Successorem ac Principem* veneramur) ad cæteros arbitratus, historiam Præsulis Diœcesani, non minùs ad Ecclesiæ splendorem, quàm Nobilitatis claritudinem pertinere. *Et innovata.*

Horum igitur incitamento rediit primævus calamo fervor vel eò protractæ hactenùs moræ minùs etiam pœnitenti, quò plures interim scriptores conspexit in lucem datos, nec æquo satis penicillo *Christophorum Bernardum* depingentes, ut ab aliorum cæcitate (an malitia?) plùs nimiò falsis tam possit evidenter indicare ducum suorum imperitiam, quam rerum gestarum docere *Et â rerum fide adjuta.*

cere veritatem. Præcedentium acta seculorùm depromat quis confidentius, remotis nimirum autoribus, testibusque. At scribenti in oculis eorum, qui superstites adhuc non pauca gessêre ipsi, vel gestis interfuêre, oportet individua menti sit vivacior semper idéa veritatis. Historiæ namque satis est, si vera sit, neque Scriptor amicitiâ vel odio ab eo se tramite flecti patiatur. Et profectò fuit is palmaris ferè cuneus, qui cunctantem sæpè calamum propellebat. Nec enim audebat latinitatis nitorem, aut elegantiam styli spondere nota tenuitas, persuasa satiùs forè, sectari veritatem, quam venustatem orationis.

Poterant fateor nonnulla quidem latiniùs exprimi : quo pluribus autem facilior esset ac planior historiæ lectio, præplacuit eam narratione simplici tradidisse. Sed & rei sic gestæ series, aut verborum in pactis, diplomatibus, litibus observata proprietas, aut ne devius essem â genuino sensu, ipsius etiam idiomatis imitatio, necessitatem eam haud rarò imposuerunt, solius commodo Lectoris, & bono veritatis. In hoc secutus *Divi Augustini* mentem, qui ut pius interpres maluit minùs latinè loqui, quam minùs propriè.

Salvo cujusq; sensu.

Scio tamen haud perindè placituram omnibus scriptionem; nec enim cibos singulorum palato pariter sapidos parant coqui.

Quæ

LECTORI.

Quæ fusius interdum narrata sunt domestica, facilius uti notiora nauseabunt hodierni populares; at fortè vel nunc peregrinis erunt, & olim posteris gratiora. Nec rarò sermonem carpent alij, aut probabunt, uti pro suo quisque genio vel sensu prolixitatem amat, vel brevitatem.

Protestatio Scriptoris.

Quidquid autem dictum, scriptumve sit (quod unum ferè scribentem solatur) nec verbo, nec facto lædere quemquam animus fuit: si quid secùs apprehendi possit, contestor præter voluntatem esse; qui studui semper prodesse omnibus, nocere nulli. Controversias, fœdera, bella, eorumque causas & eventa sic narro, ut aliorum dictis, scriptis, judiciis, si vero propiora sint, fermè acquiescam, ipsus aut nunquam, aut rarò censor. Sed & ipsa plerumque archetypa adduco, certiora utique tam astruendæ veritatis, quam invidiæ & offensionis declinandæ instrumenta. In omnibus spero, præsertim quæ multorum opinionibus diversè arbitrata sunt, ita me calamum temperâsse, ut pleriq;, qui animum adferent affectionibus incorruptum, sinceram probent in scribente fidem: nisi & hodiè, quod Romanæ eloquentiæ Princeps dolet, *seculi quædam labes & macula* sit *virtuti invidere*. Scribebam Monasterij Weltphalorum, Ipsâ Divo LUDGERO Proto-mystæ Monasterienſi Sacrâ, & ex dotatione *Christophori Bernardi* annuè solenniter festivâ die, Anno M. DC. XC. IV.

Eminentissimi Principis ac Domini

D. FRANCISCI

CARDINALIS BONVISII

Ad Scriptorem Epistola.

Perillustris ac Reverendissime Domine.

LIcet ex humanissimis V.D.Rev.*mæ* litteris, nova erga me amoris sui argumenta, in novi anni primordiis non percepissem, non potuissem tamen dubium vel leve effingere de continuâ Ejus mihi jucundissimâ benevolentiâ, quâ me prosequi constanter voluit jam tunc, quando primos Apostolici Nuncij gressus movere cœpi. Conteſtor itaque me plurimum Reverendissimæ V.D. devinctum quascunque prosperitates ipsi apprecari, ac occasiones Eidem inserviendi avidè optare. Augebit summoperè obligationes meàs, si de gloriosâ vitâ Christophori Bernardi Episcopi Principis Monasterienſis felic. record. cœptam historiam conficiet, in eaque describendâ connumerabit personam meam inter eos, qui Antistitem illum eximium agnoscebant, colebant, ac venerabantur; & de hac meâ devotione, quidquid explicabit Ejus summa eloquentia, veritatem non excedet;

det ; in reliquis autem ſatiùs erit de me tacere , ne fortè nimius D. V. Reverendiſſimæ affectus in me extra legis hiſtoricæ limites progrederetur. Inſerviat itaque totus ſuo Epiſcopo defuncto, ſicuti tam benè inſervivit viventi, & ego totus vivo

Viennæ.
7. Jan. 1683.

Perilluſtris ac Reverendiſſimæ D. V.

Ad inſerviendum paratiſſimus

F. CARDINALIS BONVISIUS.

Inſcriptio
Perilluſtri ac Reverendiſſimo Dno
D. Joanni ab Alpen Præpoſito
Santenſi, Vicario generali
Monaſterienſi.

Monaſterium.

Illustrissimi Viri

D. FRANCISCI

S. R. I. LIBERI BARONIS

DE NESSELRODT

Trachenbergæ in Silesiâ, nec non in Stein, Ehrenstein, Herten & Prausnitz

DYNASTÆ

LEOPOLDI CÆS. AUG.

Cubicularij,

Serenissimi Principis Electoris Colonienſis Consiliarij intimi,

Ac Vestæ Rechlinghusanæ Præfecti.

Ducatûs Montium Mareſcalli hæreditarij.

Et Nuper

Cancellarij Monasterienſis.

OMEN EXTEMPORANEUM DE NOMINE

Ad Perillustrem & Reverendißimum Dominum Authorem.

FAbula, quæ Mimigardenſi de Principe multis
Edita, quæ paucis credita Ficta, locis,
Hoc, Falſi convicta ruit, quo ſingula, conſors
Secreti, in lucem das niſi Vera, libro.
Heröem, Nomenq; Tuum, trans æquor & Alpes,
Arma, Virum, Alpeni Te Tua penna vehet.

JOANNIS ALPENI
PRÆPOSITI SANTENSIS
De
VITA ET REBUS GESTIS
CHRISTOPHORI BERNARDI
EPISCOPI ET PRINCIPIS MONASTERIENSIS.
LIBER PRIMVS.

ARGUMENTUM.

1. *FERDINANDUS Bavarus, Elector Colonienſis, Epiſcopus Monaſterienſis. Moritur Arnsbergæ. Sepelitur Coloniæ. Succedit Coloniæ, Hildeſii ac Leodii Maximilianus Henricus.*
2. *Monaſterij decernitur dies Electionis. Paderbornæ eligitur Reckius.*

3. *Multi Diœceſis Monaſterienſis Candidati. Maximilianus Henricus. Leopoldus Guilielmus Archidux. Franciſcus Guilielmus Epiſcopus Oſnabrugenſis. Joannes Princeps Naſſovius.* 19. 20.
4. *Mallingcrotius, & qualis ille.* 21.
5. *Reckius. Kettelerus. Galenius. In hunc pleri propendent. Ejus propridiana viſio. Et aliorum præſagitio.* 22.
6. *Dies electionis. Nomina Canonicorum iſtius temporis. Quare quadraginta & unus.* 23.
7. *Procedunt ad electionem. Propoſitio Decani. Reſolutio Capituli. Eligitur Chriſtophorus Bernardus. Decano appellante.* 24.
8. *Electus promulgatur. Magno populi plauſu.* 25.
9. *Electi Natales. Majores. Virtutes. Laborem* 26.
10. *Conſiderat præſentem patriæ ſtatum.*
11. *Electionem impugnat Mallingcrotius. Capitulum tuetur. Et ſuſpendit illum ab adminiſtratione Præfecturæ Horſtmarienſis.* 27.
12. *Nuncius Apoſtolicus concedit Electo ſex menſium adminiſtrationem. Publicatur.* 28.
13. *Electus format Aulam. Creat Conſiliarios.*
14. *Mittit Furſtenbergium Viennam. Hujus Familia. Virtutes. Functiones. Dignitates.* 29.
15. *Mallingcrotius impedit Romæ publicationem decretæ confirmationis.*
16. *Cæſar pariter indulget ſemeſtrem Electo adminiſtrationem.* 30. 11.
17. *Chriſtophorus Bernardus indicit Comitia. A iis excluditur Mallingcrotius.* 32.
18. *Romæ confirmatur Electio. Promulgatur. Cæſar dat regalia & inveſtituram.*

19. *Ne*

19. *Neo-Princeps restaurat pietatem. Eliminat è Clero concubinatum.*
20. *Re frumentariâ inopiæ subvenit.*
21. *Consecratur Episcopus. Et Episcopali munere præclarè fungitur.*
22. *Conversio Domini de Steinfurt. Ejus motiva. Et propago.*
23. *Bellum inter Electorem Brandenburgicum & Ducem Neoburgicum. Componitur.*
24. *In causa Mallingcrotiana deliguntur Commissarij Apostolici. Ab his Mallingcrotius suspenditur. Item ab Episcopo.*
25. *Præpositus tunc Monasterienſis Smisingius. Ejus Parentela & virtutes.*
26. *Ab Hassico præsidio liberatur Coesfeldia. Magnâ Principis sollicitudine. Ortus familiæ Baronum de Beveren.*
27. *Recuperatur Bevergerna Arx. Cooperante Twickelio.*
28. *Civitas Monasterienſis molitur propugnaculum ad D. Ludgeri portam. Orta inde cum Capitulo Cathedrali controversia. Sopitur.*
29. *Monasterij fulmen turrim evertit. Magna strage. Mira puellæ præservatio. Periculum par biennio antè.*
30. *Cæsar indicit Comitia Imperij. Christophori Bernardi inauguratio solennis.*
31. *Tentatur concordia cum Mallingcrotio. Sed infectâ re.*
32. *Princeps assumit titulum Burggravij Strombergenſis. Et Dynastæ Borculoani.*

33. *Status Causæ Borculoënsis. Et quid in eâ utri*
que actum.
34. *Christophorus Bernardus ante iter Ratisbonen*
nonnulla committit Brabeckio & fratri Hen
rico Baroni de Galen. Ubi de virtutibus utriusq
Exinde abit. Appellit Ratisbonam.
35. *Et isthic Mallingcrotius præsens urget causa*
suam. Succumbit. Instat sed rejicitur iterum
Frustra implorat aliorum patrocinia. Rejic
tur tertiò. Redit in Westphaliam.
36. *Electio Regis Romanorum. Christophorus Be*
nardus lustrat Hungariam, & Austrium. Ra
tisbonam redit.
37. *Propositio Cæsarea.*
38. *Christophorus Bernardus sollicitat sessionem &*
votum inter Principes ratione Burggraviat
Strombergensis. Et obtinet.
39. *Quinq; propositiones Jansenij Episcopi Iprens*
damnantur.
40. *Mallingcrotius regressus Monasterium astu p*
cuniam extorquet. Captat populi studia. Alium
de etiam concitati.
41. *Princeps laborat de evacuandâ Vechtâ. Indi*
cit eo fine Monasterij Comitia. At cœpta fr
spenduntur.
42. *Discedit Ratisbonâ. Relicto Widenbrückio L*
gato. Qualis ille.
43. *Torckius Romæ de statu Diœcesano refert. Li*
teræ Cardinalium ad Christophorum Bernar
dum.

Absc

1650.
I.
Ferdinandus Elector Coloniẽsis, Episcopus Monasterienſis.

ABſolverat in Orbis Germanici Theatro Mars inſanus, pertinax, cruentus, tricennale bellum, ac in Sacrario Monaſterii-Weſtphalorum, tandem vel invitus Divæ Concordiæ ceſſerat, Norinbergenſem per Conventum toto Imperio relegatus; Cùm *Ferdinandus Archi-Epiſcopus Colonienſis, Sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellarius & Princeps Elector, Monaſteriẽnſis, Paderbornenſis, Hildeſienſis ac Leodienſis Epiſcopus, Comes Palatinus Rheni, utriuſq; Bavariæ Dux*, magna Germaniæ, ſi non turbatæ, certè tranquillatæ pars, feſſam viciſſitudinibus fortunæ, curiſque animam pacis Principi Anno à partu Virginis ſupra milleſimum lexcenteſimo quinquageſimo, Idibus Septembris *Arnsbergæ* conſignavit. Præfuerat ab obitu *Erneſti* Patrui annos triginta octo, varias inter & longas bellorum calamitates, Princeps ingenii verè mitis, judicii præcellentis, mentis optimæ, Imperatoriæ Majeſtatis & dignitatis Imperii conſervandæ ſtudioſiſſimus, quam nullo etiam armiſtitio vitiâſſe unquam gloriæ fuit. Cujus eximiæ virtutes integris voluminibus ab aliis laudatæ, meritò calamum hìc meum remorantur. Deportatum ad Ubios cadaver die XXV. Octobris, peractis magnificè parentalibus, in æde Metropolitanâ poſuerunt. Succeſſorem mox habuit in Archi-Epiſcopali Sede Colo-

Moritur.

Succedit Coloniæ

1650. *Leodii & Hildesii Nepos ex fratre.*

nienſi, & Principatibus Hildeſienſi ac Leodienſi *Maximilianum Henricum Alberti Bavari* Principis optimi Filium, quem ex Fratre Nepotem *Ferdinandus* adhuc ſuperſtes pridem antè Coadjutorem deſignârat, Collegiorum electione, & Romani Pontificis authoritate ſtabilitum.

2. *Monaſterii decernitur dies electionis.*

Monaſterij verò confirmatâ per nuncios ac litteras Ferdinandi Principis morte cœpit viduata nunc Eccleſia paulatim etiam Neoſponſum meditari. Perſolvendis exequiarum juſtis diem octavum, futuræ autem electioni decimum quartum Novembris, Capitulari decreto indicunt, & univerſo Epiſcopatui preces imperant, ac vota, quibus felicem à DEO ſucceſſum inter eam patriæ ruinam tam neceſſarium Eccleſiæ, quam omnibus utilem aſſequantur. Interea Pa-

Paderbornæ eligitur Reckius.

derbornæ *Theodorus Adolphus* ex inclytâ *Reckiorum* gente & Caſtro *Curl* oriundus, Præpoſitus iſtius Eccleſiæ (Vir æquè ſplendore virtutum, quam generis nobilitate illuſtris) omnium Capitularium ſuffragiis in unum illum convenientibus, Epiſcopus ac Princeps ſalutatur.

3. *Candidati Monaſterienſes.*

At Monaſterienſium animos varie diſtrahebant, Sereniſſimi, Illuſtriſſimi ac Nobiliſſimi Diœceſis tam opimæ Candidati, qui velut pluribus divitiarum ac gratiarum illecebris allicientis Sponſæ proci, tam nobile Sacerdotium prenſabant. Pro *Maxi-*

milian

1650. *Maximilianus Henricus.*

miliano Henrico Archi-Episcopo Coloniensi stabat Sereniſſimæ Domus Bavaricæ Majestas, & Episcoporum ex eâ Monasteriensium, *Erneſti* ac *Ferdinandi* Patruorum merita, ex collatis in pleroſque Capitulares, beneficiis etiam auctiora, ipſiuſq; Principis egregiæ virtutes; & in eo dignitatum faſtigio integerrimæ vitæ exemplum; ac conſervandis hodie Eccleſiis, uti neceſſaria, ita vicina potentia, ingentium terrarum vires. Et huic tot titulis deberi Episcopatum haud pauci è Canonicis, plures è popularibus, plerique ferè Miniſtrorum ominabantur. Nec falli potuiſſet concepta ſpes, niſi *Ferdinandum*, de illo in Coadjutorem & hîc aſſumendo laborantem, fatali in itinere mors rapuiſſet. *Leopoldus Guilielmus* Archidux Auſtriæ, Argentinenſis ac Paſſavienſis Episcopus, & ipſe quorundam conſilio ad ambiendum ultrò invitatus accedebat: qui & tot Cæſarum unius Auguſtæ Domus, Frater, Filius, Nepos, Belgij ac Burgundiæ Gubernator, & fortunam illarum partium, pacem quoq; poſt Weſtphalicam, ſolus ſucceſſibus præclaris ſuſtentans, mirificè commendabatur. At non ſine aliqua indignatione tandem ſenſit callidè magis, quam ſincerè Episcopium hoc ſibi oſtentatum, omnemq; Sponſæ illius oblatæ gratiam, non niſi meram ipſiusmet oſtentantis fallaciam fuiſſe. *Franciſcus Oſna-*

Leopoldus Guilielmus Auſtrius

1650. *brugensis & Nassavius Principes.*

Guilielmus Osnabrugensium Antistes, ac *Joannes Ludovicus* Princeps *Nassavius*, pronuper hoc in loco, dum Europæâ de pace agebatur, annos aliquot Legati, ipsi Monasterium advolârant, si quid fortè præsentia juvaret, Capitularium animos & studia coram sollicitaturi. Nec deerant, qui beneficiorum memoriâ utiles futuri credebantur, nisi potior numerus popularem, præsentemq; Patriæ moderatorem cæteris præhabuisset, subditorum (quibus pars magna libertatis videri solet à suorum aliquo regi) eò majore desiderio, quò plures sui calamitates in absentiam Principum derivabant; certi navem turbinibus expositam, Navarcho absente, faciliùs naufragium pati.

4. *Mallingcrotius.*

Inter hosce Bernardus Mallingcrotius Decanus Monasterienlis, unus omnium, qui videri minimè volebat, flagrantissimus dicebatur, ac præfatos omnes à se ultrò invitatos in speciem fovisse, quò in plures votis Capitularium divisis, suorum ipse certus potioribus gauderet. Erat rarissimæ vir doctrinæ, librorum helluo, & memoriæ tam vastæ ac felicis, ut libros integros, si periissent, è suo cerebro restituere posse crederetur: quod in eo Præside admirationem augebat, qui convivia propè quotidiana, suis cum hospitibus, in seram plerumque vesperam protrahebat, deinde noctis

qualis ille.

partem

partem maximam litteris impendens ſtudioſus Lucubrator. Epiſcopalis mytra non ſemel illi oſtentata & oblata, quando jam jam ornandus putabatur, infelicem continuò fefellit. Cum enim Ferdinandus II. Imperator ſuorum victor hoſtium, omnia poſt tranſactionem Paſſavienſem bona Eccleſiaſtica, Catholicis erepta, acerrimo edicto ad Eccleſiæ Romanæ gremium revocaret, *Ratzeburgenſe* illi Epiſcopium, & Cæſaris, & Pontificis gratiâ collatum erat. At profligato mox ad Lipſiam Tillio, & Guſtavo Adolpho Suecorum Rege omnem Germaniam Aquilonarem ſuis armis occupante, inſperatus ille victoriarum curſus totum hunc conceptum brevi turbavit. Ad *Mindenſem* quoq; mytram votis Capitularium legitimè vocatus, cum ejus potentiæ, qui tueri poſſet, non videretur, *Franciſco Guilielmo* Epiſcopo Oſnabrugenſi cedere coactus eſt, quamvis nomen *Coadjutoris* poſteà nihilominùs ſemper adhuc uſurpârit. Nunc iterùm Monaſterienſe pedum, ſed iiſdem ferè, quibus id quærere videbatur, artibus amiſit. Percepto enim eo, quod penetraverant, arcano de votis tot per Candidatos unius ſuum ad faſtigium diſpartiendis, Capitularium plerique viri hoc ingenium abhorrentes, timenteſq; aliquando (ut erat impotentis ac pertinacis animi) Manliana Ejuſdem imperia, à 1650.

1650. tam variis Candidatis animos in unum colligebant, è suo gremio jam eligere, neminem 5. postulare certi.

Theodorus Adolphus Episcopus & Ketteler. Decanus Paderbornẽsis.

Erant in oculis omnium *Theodorus Adolphus de Reck* Præpositus Paderbornensis; *Caspar. Philippus à Ketteler* Paderbornensis Decanus; *Christophorus Bernardus de Galen* Thesaurarius, & omnes ij pariter Canonici Monasterienses. Plurimorum animi in Theodorum Adolphum propendebant, sed quod ad Episcopatum Paderbornensem jam evectus, postulandus, non eligendus putaretur, res difficilior visa, calculos, non animos eligentium alienavit.

Galenius Thesaurarius.

Inter utrumq; posteriorem eminebat *Christophorus Bernardus* ab eruditione, judicio, facundiâ, prudentiâ, & agendi dexteritate insigni commendatus. Religione & pietate clarus, famæ integerrimæ, & desiderato ac salubri morum temperamento gratiosus. Plurium jam annorum Consiliarius, imò & Monasterienſis hodie Concilij Præses, certè longo rerum usu domi, foriſque probato, vix alter Diœceseos æquè gnarus.

In quem potiores inclinãtur.

In hunc igitur aversæ à Decano mentes usque adeò convertebantur, ut *Bucholdius* Vice-Dominus vota omnia pro Maximiliano Henrico incassum sollicitata ad Christophorum Bernardum inclinaret, rerumque rationibus benè consideratis & calculis non malè positis, Eidem pridiè

electio-

1650.

electionis occurrenti acclamaret, *Principem Te meum, nunc Confrater, eras salutabo.* Propridiè verò, quandò Christophorus Bernardus horarias preces in conclavi suo sub vesperum absolvebat, inter precandum attonitus, semetipsum in phantasmate conspexit infulatum, ac subter extimam Pontificis vestem (*pluviale* vocant) ex parte cataphractum, visoq; sensim evanescente, crucem pectori admotam Burgundicæ, uti sæpius mihi narravit, non absimilem. Bonorum haud dubiè geniorum præludia, quibus secuturæ spectantis vitæ munia, virtutesque præmonstrarent. Recenti adhuc egomet memoriâ recolo, quando sub meum in Westphaliam accessum, primâ vice Cathedralem ædem lustravi, à variis indicatum mihi Christophorum Bernardum, tunc ad cæteros, uti frequens solebat, in choro præsentem, eum ipsum esse, quem fama constans præsagiret, futurum aliquando in Monasterienſi Cathedrâ Ferdinandi Successorem.

Eius propridiana visio.

Aliorũ præsagitio.

Jamq; solutis defuncto Principi exequiarum justis & funere in Basilicâ Monasterienſi per virtutum præconia laudato, aderat quarta decima Novembris electioni indicta dies, quâ cum in Ecclesiâ Cathedrali frequentes comparerent Canonici ad eam evocati, priusquam actum illum recensere pergam, non ingratum Lectori me

6.

Adest dies electionis.

factu-

1650. facturum confido, nec indignum illustribus tot familiis, si quos Cathedrale Collegium Canonicos tunc numerabat, ordine nominatos omnes curiosæ posteritati consignem. Erant autem

Nominantur Canonici.

1. Otto Henricus *Korff* condictus *Smising* Præpositus.
2. Bernardus â *Mallingcrot* Decanus.
3. Joannes Heidenricus â *Vörden* Scholasticus, & Veteris Præpositus.
4. Christophorus Bernardus â *Galen* Thesaurarius.
5. Ferdinandus â *Bucholtz* Vice-Dominus.
6. Godefridus *Droste* ex Vischering Senior, Cantor, & Bursarius.
7. Rembertus â *Ketteler*.
8. Arnoldus de Vitinghoff condictus *Schell*, S. Mauritij Præpositus.
9. Theodorus Adolphus de *Reck* Electus Paderbornensis.
10. Joannes Bernardus de *Westerholt*.
11. Guilielmus Henricus â *Schorlemmer*.
12. Joannes Guilielmus â *Gertzen* Baro de
13. Joannes â Newhoff. (*Sintzig*.
14. Engelbertus de *Bevervörde*.
15. Maximilianus Henricus *Bavariæ Dux*, Archi-Episcopus & Elector Colonienſis.
16. Jodocus Ethmundus â *Brabeck*.
17. Everardus â *Mallingcrott* Cellarius.
18. Arnoldus Vdalricus â *Bucholtz*.
19. Matthias *Korff* condictus *Smising*.

Guiliel-

20. Guilielmus â *Furſtenberg.*
21. Chriſtianus â *Plettenberg.*
22. Joannes Henricus de *Reede.*
23. Caſparus Andræas *Voß.*
24. Joannes Rutgerus *Torck.*
25. Joannes Bertramus de *Neſſelrodt.*
26. Joannes Guilielmus de *Neſſelrodt.*
27. Joannes Adolphus Henricus â *Frentz.*
28. Joannes Henricus â *Gertzen* Baro de *Sinzig.*
29. Joannes Hermannus â *Palant*
30. Joannes Theodorus Raitz â *Frentz.*
31. Bernardus Theodorus de *Reck.*
32. Goſwinus *Droſte* ex *Viſchering.*
33. Joannes Heidenricus ab *Aſcheberg.*
34. Joannes Guilielmus Wolff condictus *Metternich.*
35. Joannes Erneſtus Comes de *Naſſaw.*
36. Joannes Udalricus *Walpott* de Baſſenheim in Koningſtelt.
37. Caſparus Philippus â *Ketteler* Decanus Paderbornenſis.
38. Adolphus Henricus *Droſte* ex *Viſchering.*
39. Bernardus â *Mallingcrott.*
40. Matthias de *Reck.*
41. Theodorus â *Plettenberg.*

Haud pluribus conſtabat eo tempore Collegium, quam univerſim Canonicis quadraginta. Necdum enim Canonicatum quadrageſimum primum pro ſanguine ſuo erexerant *Henricus* Dynaſta in Aſſen, & *Franciſcus Guilielmus*, Camerarius hæredita-

Quare quadragintæ unus.

1650. reditarius, *Barones de Galen.* Exceſſum verò creaverat tunc Metternichij & Pletenbergij eodem ſuper canonicatu protracta altercatio. Illo Pontificiæ, hoc Ordinariæ collationis jus obtendente. Et quanquam fortior authoritas in ordine priorem collocârat, noluit tamen primævus Collegarum favor, ſuorum numero poſteriorem excludi, priuſquam tota lis in Urbe terminata eſſet.

7. *Præſentes Capitulares ad Electionem procedunt.*

Quotquot interim ex iis Capitulares ac ſuffragandi poteſtate præditi, præſenteſque erant, ad conclave Collegij ſe receperunt. Ubi conſidentes *Mallingerotius* Decanus in hunc ferè modum affatur. *Eſſe, quæ priuſquam ſcrutinij initium ſumatur, in medium adduci & antea putet decerni oportere. Et ne cum temporis jacturâ Collegarum animos diu ſuſtentet*, mox ſubdit: *paulò ante detectum ſibi fide certâ, hac ipsâ nocte potiſſimam Capitularium partem domi cujuſdam Canonici conveniſſe; habitóque tractatu in perſonam Theſaurarij unanimes conſpirâſſe. Conſtare intereà tractatus hujuſmodi Capitulares, uti univerſales eſſe, ita neminem non invitum excludi ab iis aut negligi debere. Cum igitur ipſe vocatus non eſſet, ſed omninò præteritus, deſiderare pariter admitti, & ea propter inſtans nunc ſcrutinium in craſtinum uſq; diem*

Propoſitio Decani.

1650.

diem prorogari. Quod autem certior esset, isthic famam sui graviter læsam, ut eam ocyus integram probaret, ipso hoc momento offerre promptam jurejurando purgationem, sed & parem aliis deferre. Necessariam judicare utriusque præstationem, priusquam ad ulteriora procedatur. Atque hæc præfatus, quò major esset suam cuique sententiam promendi libertas, inde ad superius conclave secessit.

Resolutio Capituli.

Capitulares discussis maturè singulis, quæ proposita erant, nonnullis è gremio committunt, qui ad Decanum referant, electionem, cui lux præsens legitimè indicta, & ad quam absentes Canonici hodie pariter vocati sint, in sequentem diem protrahi non posse, oblatamq; juramenti promptitudinem omninò supervacaneam existimari, nec mereri utriusq; considerationem, ut scrutinium propterea differatur. Decano priora recoquenti, urgentiq; pensiculatiùs ut rem tanti considerent, idem ipsum eâdem Capituli constantiâ, & iterùm, & tertiò responsum est. Postquam ea altercatio integras ferè quatuor horas absumpsit, Canonici moræ impatientes Decano postremùm denunciant, sibi ultrà disceptare haud integrum, sed unanimi consensu decrevisse initium scrutinij, quod si Decano pro officio præsidere grave sit, designaturos se, qui vicem suppleat Collegij Seniorem. Hoc tandem

1650. tandem nuncio excitatus ad conclave redit, ac dein pauca protestatus, in scrutinium consentit. Observatis igitur iis, quæ in Electionibus Præsulum sacro jure cauta sunt, peractoq; ritè scrutinio cum scrutatorum princeps (erat is Schellius S. Mauritij Præpositus) invocato DEI nomine Christophorum Bernardum de *Galen* Thesaurarium, potiori suffragiorum numero ritè electum, in Domo Capitulari promulgat, applaudentibus de Collegio statim omnibus, & Principatum Electo gratulantibus, Decanus iteratâ protestatione, provocat ad Pontificis Tribunal.

Eligitur Christophorus Bernardus.

Decano appellante.

Interea protractæ electionis incertitudinem varij miscebantur in urbe sermones, & uti lentitudo hæc apud non paucos augebat periculi ex infausto successu metum, ita è contra nonnullorum etiam spes sustentabat, ac desideria, Mecœnatibus suis vel eâ ratione certiùs adhuc destinantium tiaram Episcopalem.

8. Sed dum sub quartam circiter pomeridianam ex æde Capitulari prodit Smisingius Præpositus, & *Christophorum Bernardum* electum communi consensu Præsulem ex Odæo promulgat, hinc timor omnis & anxietas, inde spes ac vota multorum cecidêre. Igitur Concilio egressi Capitulares Electum ad Principem primùm aram, (ubi in genua provolutus pia ad DEUM suspiria tacitus

Promulgatur.

Educitur ad aram.

1650.

tacitus emittebat) inde post decantatum solenne gratiarum carmen ad Palatium Episcopale omnes deducunt, uno dempto Mallingcrotio, qui & hoc officij, & contra quam oportebat, proclamare Electum recusavit. At evulgata mox electio, mirum dictu, quâ non urbis ac populi acclamatione, plausuq; excepta sit. Et sanè Monasterienſibus ex repulsâ Decani ob continuas illi cum urbe simultates, privata supra communem lætitia erat, tam sibi gratulantibus de Mallingcrotio ab Electoribus repudiato, quam Electo ex mente, votoq; Civitatis *Christophoro Bernardo*; quem & virtutum insitarum fiduciâ jam tum *Patrem Patriæ* ultrò prædicabant. Mihi verò priusquam nunc res ab eo posthæc gestas memorare progrediar, libet hîc de Principe toties dicendo præfari aliqua, ortumque, educationem ac reliquam illius vitam ante Principatûs initia cursim denarrare.

Magno populi plausu.

Ejus natales.

Natus est *Christophorus Bernardus* Anno supra Millesimum sexcentesimo sexto, Idib. Octob. in arce Gentilitiâ Bisping Diœcesis Monasterienſis. Patre *Theodorico* ex pervetustâ Baronum de Galen familiâ, Curlandiæ ac Semigalliæ Archi-Marescallo, Dynasta in Lutzen, Curtzen, Bisping & Roemberg, viro docto juztà ac prudente, nec belli inglorio. Qui sub Alexandro

Parens.

1650. Parmensi Belgium moderante, militiæ rudimenta poluit; florentemque in Hispanorum Castris ætatem integros octo annos gloriosè traduxit, ob egregiam virtutem ab eodem Archistratego, & gladio militari, & equestrium laureâ donatus. In Curlandiam exinde redux, uti paternæ virtutis, ita & bonorum hæres, in Archi-Marescallatûs dignitate, quæ â Duce tertia erat, ac reliquis Dynastijs demortuo Parenti successit; zeloque Catholicæ Religionis exardescens nihil antiquius habuit, quam ut Orthodoxis eam in istâ Provinciâ restauraret. Subinde Westphaliam relegenti cum vicino *Barone de Morrien* Marescallo Monasterienli, quod is venationem turbâsset & ex venaticis Theodorici adhuc molossum attineret, acre dissidium, at fatale Morrieno fuit. Monasterij namque, cum unà Comitium frequentant, & fortè fortuitò in ambitu areæ Cathedralis alter alteri occurrit, ex causâ repetiti canis manus conseruntur, dumque colluctantes stricto utrinque ferro se petunt, transverberatus inter hæc Morrienus cadit. Theodoricus ut defensorem se sui, aggressorem Morrienum probaret, dissimulatâ fugâ ultrò se judicio sistit, sed post motam causam, & acerrimè diu agitatam, per sententiam Judicis absolvi demùm & pristino glorioſiùs restitui meruit. Posthæc in Comitiis,

mitiis, ut ante, frequens, in Commissionibus publicis ac Legationibus Patriæ persæpè adhibitus, & quidem in postremâ, quam tempore Ferdinandi Archi-Episcopi ex tribus Ordinibus adornatam, pro acqùirendo Lingensi territorio, cum Mallingcrotio Decano Comitis-Hagam sumptuosè instituerunt Monasterienses, ipse cum *Barone de Velen* ex Nobilitate delectus fuit. Haud diù post in Curlandiam regressus, nec minùs Religione, quam authoritate quotidie clarior, felicissimâ tandem morte in arce suâ *Lutzen* vitam senex finivit, relictis ex Illustri pariter Conjuge *Catharinâ ab Hörde de Ehringervelde*, filiabus binis, *Catharinâ* Arnoldo de *Schilder* Neuhusano satrapæ, antiquissimæ Nobilitatis viro nuptâ, & *Hedwige* postea Collegij Canonicarum Borghorstani Abbatissâ; totidemque filiis *Henrico* Dynastâ in Assen, Satrapâ Vechtensi, & hoc de quo loquor, *Christophoro Bernardo* natu maximo. Avum habuit ejusdem cum parente nominis *Theodoricum*, ab Ordine Teutonico, ob belli peritiam & fortitudinem *ex sæculari Nobilitate* evocatum, creatumq; in Livoniâ militiæ Ducem. Qui, postquam fortiter rem bellicam gessit, ab eodem Ordine post Archi-Maresçallatum, binis arcibus Lutzen & Curtzen cum amplâ terrarum possessione

1650.

Mater.

Avus.

1650. *Pro-Patruus.* in Curlandiâ donatus est. Pro-Patruus major *Henricus* de Galen Anno salutis M. D. LI. *supremus istius Ordinis in Livoniâ Magister & Sacri Romani Imperij Princeps*, dignitatem hanc suam laudabiliter implevit. Is bello Ordinem inter & Archi-Episcopum Rigensem orto, promptâ manu Guilielmum Marchionem Brandenburgicum & Christophorum Megapolitanum Ducem expugnavit, captosque abduxit, nec priùs alterum laxavit custodiâ, quam â Cæsare & Rege Poloniarum interpellatus fœdus admisisset. *Avia.* Et quoniam Theodorici avi Conjux, ex *Wulffiorum*, qui cognominantur *Ludinghausen* avitâ stirpe descendit, *Henrici Wulffij quadragesimi Episcopi Monasterienſis* Principatu gloriosâ, eâ sanguinis propinquitate non minùs in maternâ, quam paternâ Majorum *Indoles.* lineâ Principes numerabat. Certè ex tot Bellonæ filiis prognato, uti Martius sanguis deesse non poterat; ita quoq; plures aliæ corporis & animi dotes jam tum in ejus pueritiâ emicabant, ut insita pietas, ingenium præcox, ac celsa indoles ad Præsu- *Studia.* lis maturitatem visa sint properare. Quo tempore Monasterij politioris litteraturæ, & in Academiis Colonienſi ac Moguntinâ Philosophiæ cursum apud Patres Societatis conficiebat, is in eo effulsit virtutum splendor, ut in pietatis æquè ac liberalium artium

1650.

tium palæstris *Flos Nobilitatis & juventutis*, passim diceretur. Et quæ in mansuetioribus studiis, eadem in juris sacri ac civilis stadio, Lovanij Brabantiæ, & Burdigalæ Galliarum, non sine palmariâ ingenij, judiciiq; laude pariter decurso, virtus continuò eluxit. Castimoniæ nulla unquam obtrectatio labem illinere potuit; utque ejus observantiorem se probaret, qualecunq; præter modum devitabat solitarium sequioris sexûs consortium. Interlucebat in his sobria, addictaq; religioni omnis ætas. Vix septennis Canonicatu Monasterienſi potiebatur. Viginti propemodum annis Cathedralis Ecclesiæ Thesaurarium egit, quæ inter quinq; supremas Prælatorum dignitates, una, nec infima est, totidemq; Patriæ ex officio Consiliarium: quibus communi omnium & privato singulorum bono ita se impendit, ut ipsi adhibiti toties laboris præmium Episcopalem infulam pleriq; designarent. Magnæ viro laudi datum, in suâ Archidiaconi regione, Batavis confini, nullum habuisse Sacerdotem publicâ labe contaminatum; inspexisse mores singulorum, obiisse stationes, census fabricæ, Aris nitorem, bonos populis mores, Pastoresq; impigros animabus reddidisse. Frequenter illum Ferdinandus Elector, varios ad Principes & excellentissimos togâ, sagoq; Regum ac

Virtutes.

Functiones.

1650. magnorum Principum Miniſtros ablegavit, nec modico Reipubl. emolumento res arduas, momentiq; maximi feliciter expedivit. Eidem quoq; in Monaſterienſi tranquillandæ Germaniæ conventu ſuas cum Leodienſium Principis vices commendavit. Sanè difficillimis Legationibus ſupra viginti quinq; pro Patriæ bono defunctus eſt, conſtantiâ ab ipſis hoſtibus æſtimatâ, & exitu tam proſpero, ut ipſi Remp. ex parte conſervatam non ſemel adſcripſerint.

Affabilitas. Commendabat adhæc innata virum comitas & agendi ſuavitas propè Angelica, quâ mirè eorum, quibuſcum verſabatur, gratiam captabat, obſequij, dignationiſque non modicus, ſed prælargus. Certè nemo alius erat, qui ſic omnibus inſtructus naturæ præſidiis, tot plurium, graviſſimarumque rerum ſuſceptionibus pro patriâ confectis merebatur ſupremo Epiſcopatûs clavo admoveri. Et ita ſenſerunt ij, penes quos deligendi poteſtas erat, quibus viſum exantlatos pro Patriâ fortiter labores non alio digniore munere compenſari, quam ipſo patriæ Principatu, nec ullum Diœceſi æquè gnarum ac amantem præfici poſſe, quam qui publicarum rerum tractationi jam à tanto tempore aſſuetus, ſummam in iis adminiſtrandis prudentiam oſtendiſſet, ac fluctuanti inter procellas navi directricem manum non rarò applicâſſet.

Labores.

Sed

1650. 10. *Considerat præsentem Patriæ statum.*

Sed repentinâ honoris oblatione perculsus, etsi sustinendo oneri non accedebat impar, improvisum tamen sollicita de præsente Diœcesis statu cogitatio variè, nec sine causâ distrahebat. Enimverò superioribus Hispano-Batavo, Mansfeldico, Christiani Brunsuicensis, Danico & Hasso-Suecico Bellis afflictam miserè, & incolis passim orbatam, exhaustamq; Patriam quotidianæ adhuc exactiones omnium ferè partium urgebant. Vechtam Sueci, Coesfeldiam Hassi, Bevergernam Batavi suis præsidiis infidebant. Coronæ Suecicæ quinq; milliones Imperialium (*satisfactionis pecunias* nominabant) totâ quidem à Germaniâ numerandi erant, sed hypothecam una illi Westphalia præbebat, Monasterienſi Episcopatui præ reliquis gravem. Et quoniam integros propè octuaginta annos nullus Decessorum fixo domicilio Provinciam habitaverat, castra Satrapiarum, Principum Sedes, violentiâ militari potissimùm diruta, quæ supererant, vix sarta tecta Palatium exile, nec ullâ prorsus supellectile instructum, ipsa Principatûs bona ære alieno gravata; arbutis juxta ac feris denudatæ silvæ; venationum tot annos ac piscinarum neglectus; obviæ villarum eversiones, privata colonorum, & publica Patriæ calamitas; quem poterant Episcopi Principis œconomiæ, frugali licet, spon-

1650. dere apparatum? Vastissima Diœcesis Regibus Daniæ ac Sueciæ, Electori Brandenburgico Ducibus Brunsuico-Luneburgicis & Hollandorum Reip. tam potentibus Europæ Principibus quaquaversùm conterminia, quodq; ultimum in Germaniâ ferale Bellum ex dissidio Religionis ortum, gestumq; esset, vicinia formidabilior, curas immensùm augebat. Ipse e solâ Nobilitate evectus; nullo Magnatum sanguine, nullo fœdere suffultus, nec armatus milite, nec arce munitus, & adversante Mallingcrotio haud satis domi securus, quâ demum viâ imminentibus fort periculis obviaret? Inter eas mentis disceptationes ad DEUM conversus, supplex oravit, ut cui visum esset tam arduam humeris provinciam imponere, pares animi, corporisque vires superaddere dignaretur.

11. *Mallingcrotius impugnat electionem.*

At verò Mallingcrotius, qui certò sibi persuaserat, *Christophorum Bernardum* nunquam deligendum, ubi vidit singulari Patriam super Electo lætitiâ gestire, Eiq; finitimos Principes ac Magnates hanc quotidie dignitatem gratulari, electionem impugnare constans superiori ad Pontificium Tribunal provocationi insistebat. Colorem litis, quæ jam ante scrutinium insinuaverat, privata conventicula obtendit; plerosq; scilicet Capitularium pridie Electio-

vii

1650.

nis in domo cujuſdam Canonici haud procul â Collegio Societatis JESU ſerâ veſperâ conveniſſe, & poſt habitas præterito ſe conſultationes, coadunatis animis, præcisâ ſibi ſub tempus ſcrutinij libertate, contra ſacri juris præſcriptum, in electionem unius *Chriſtophori Bernardi* conſpirâſſe; electionem ex eo vitiatam, nec admitti debere, nec confirmari poſſe. Capitulares illa Decani aſſerta conſtanter pernegare; & ſi quidem conventum illum admitterent, innoxium eum, neque culpabilem fuiſſe, ad detegendam ſolius Mallingcrotij vafritiem inſtitutum; nec detraxiſſe quidquam ſuffragantium libertati, argumento eſſe, quod nonnulli, qui interfuiſſe dicerentur, ſua in alios ſuffragia derivâſſent; adeoq; ſacris legibus neutiquam adverſari. Ut autem ſecuriùs agerent, placuit rogare ſententias virorum Theologiæ & Juris ſcientiâ præſtantium, an ex iis Decani objectis, quæ accuratè omnia expendenda tradiderunt, vitij alicujus convinci poſſet electio. Quumq; ij Canonicam illam ac validiſſimam unanimes adſtruerent, Capitulares ipſa eorundem reſponſa, & acta electionis ad *Fabium Chiſium* Nuncium Apoſtolicum (qui poſtea ad ſupremum Pontificatûs faſtigium evectus *Alexander VII.* dictus eſt) Aquisgrani tunc commorantem ſubmittunt; ſimulq; ablegant è gre-

Capitulum tuetur.

Ablegatio ad Nunciũ.

mio ſuos, ac teſtes è Clero, qui de Eccleſiæ ac Diœceſis ſtatu, deq; perſonâ Electi, inquirentem pro more Legatum informarent. Et hi quidem re feliciter expeditâ brevi redierunt, poteſtate adminiſtrandi Diœceſin ad ſex menſes Electo pariter impetratâ. Addiditq; *Chiſius* per-honorificam ſanè teſtificationem, inter complures, quas eodem tempore ſuo ſubjectas haberet examini, præ unâ Electi Monaſterienſis causâ nullam potuiſſe promptiùs expediri.

Hic contedit ſex menſium adminiſtrationem.

Dum hæc cum Legato Apoſtolico ij, qui miſſi erant, ac teſtes agunt, Capitulares aliundè docti Mallingcrotij inquietem, non ſine Religionis periculo ſollicitantis Principum quorundam vicinorum animos, ut hujuſmodi tranquillitatis publicæ turbamentis antevertant, omni juriſdictione ſæculari virum exuunt, Eidemque Satrapiæ Horſtmarienſis adminiſtratione, quæ Sede nuper vacante inter Diœceſis & publicorum tunc munium partitionem illi obtigerat, VIII. Kal. Decemb. interdicunt. Conceſſæ verò Semeſtris adminiſtrationis Diploma univerſæ mox Diœceſi intimabatur ſub hoc tenore.

12. *Publicatur.*

FABIVS *Chiſius* DEI *& Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Neritonenſis. Sanctiſſimi Domini noſtri Domini Innocentij divinâ providentiâ Papæ X. ac præfatæ S. Sedis ad tractum Rheni, aliáſque inferioris*

rioris Germaniæ partes cum potestate Legati à latere Nuncius &c. Reverendissimo Domino Christophoro Bernardo electo Episcopo Monasterienſi ſalutem in Domino ſempiternam. Oblata Nobis pro parte Tuâ petitio continebat, quod vacante non ita pridem Ecclesiâ Monasterienſe per obitum in partibus Sereniſſimi ac Reverendiſſimi Principis Domini Ferdinandi Bavariæ Ducis, Electoris Colonienſis Epiſcopi Monasterienſis &c. Decanus, ſeu Præpoſitus Senior & Capitulum ejusdem Cathedralis Eccleſiæ Monasterienſis, ſecundum Concordata dudum inter S. Sedem-Apoſtolicam & inclytam Nationem Germanicam inita, jure ſuo utentes, Te ſervatis ſervandis in ejuſdem Eccleſiæ Monasterienſis Epiſcopum & Paſtorem Canonicè elegerint, per S. Sedem præfatam de more confirmandum, prout per publicum Electionis inſtrumentum decimâ quartâ Novembris Anni currentis milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi erectum latiùs vidimus contineri: Nobis humiliter ſupplicando, ut pro præſentium temporum neceſſitate, & miſerandâ illius Epiſcopatûs conſtitutione, Suecorum & Haſſorum exactionibus adhuc durantibus, prout pro parte Capituli præfati latiùs Nobis expoſitum, ad ſex menſes Juriſdictionis Epiſcopalis exercitium, nec non bonorum, fructuum ac proventuum ipſius Epiſcopatûs adminiſtrationem, ita ut eadem ſervare & exigere liberè & licitè poſſis & valeas, de authoritate Apoſtolicâ Dilectioni Tuæ indulgere dignaremur. Nos igitur juſtis hiſce ſupplicationibus inclinati, attentâ Electione tuâ canonicâ

nonicâ & professione fidei in manibus Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi Ratisbonensis, Osnabrugensis &c. tanquam vicinioris Episcopi ex commissione nostrâ per Te emissa, nec non notoriâ temporum difficultate, & prædicti Capituli Monasterienſis humillimâ requisitione, cautionéq; idoneâ per Procuratorem Tuum Tuo nomine solenniter præsentatâ & coram Nobis reiteratâ, de Episcopatu antedicto fideliter administrando & quatenus Electionem tuam reprobari, vel aliàs minimè approbari contigerit, de reddendo fidelem computum Administrationis, & de restituendo reditus, fructus & proventus quoscúnq; per Te exactos & receptos, quotiescúnq; fueris ad hoc requisitus, amplam Tibi per sex Menses, ut interea confirmationem tuam ex Romanâ Curiâ possis impetrare, facultatem administrandi præfatum Episcopatum Monasterienſem Authoritate Apostolicâ concedimus & impertimur, Mandantes seriò omnibus cujuscúnq; status, gradus & conditionis sub pœnâ Excommunicationis incurrendæ, ne Te in antedictâ administratione quocúnq; modo, directè aut indirectè, seu alio quovis quæsito colore impediant aut molestent. Datum Aquisgrani in Conventu S. Joannis Baptistæ Canonicorum Regularium & Residentia Nostrâ, die sextâ Mensis Decemb. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo sexcentesimo quinquagesimo. Pont. Sanctissimi Domini Nostri Domini Innocentij X. Anno VII.

NOs Senior & Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Monasterienſis omnibus & singulis præsentes

No-

Nostras patentes litteras visuris, lecturis, seu legi audituris notum & manifestum esse volumus, qualiter Sede vacante non solùm omnis potestas Episcopalis, administratio ac jurisdictio tam in temporalibus, quám spiritualibus, nec non Regalibus ac criminalibus, respectivè juxta sacros Canones, Apostolicas constitutiones, indulta & privilegia Cæsarea, aliásq; penes Nos fuerit ac residerit, sit & resideat; sed etiam quod per Canonicam Electionem, majora nimirum & saniora vota, quibus etiam postmodum reliqua (unius tantùm excepto) accesserunt, decimâ quartâ Mensis Novembris proximè elapsi in Pastorem ac Præsulem mododitæ Diœcesis & Provinciæ Monasterienſis, Dominum Christophorum Bernardum à Galen, *natum de Castro Bisping, Ecclesiæ Nostræ Thesaurarium, Prælatum, emancipatum Canonicum & Confratrem, modò Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Episcopum & Principem Nostrum gratiosissimum elegerimus. Cum autem processu inquisitionis super qualitatibus Domini Nostri Electi & statu Ecclesiæ, uti moris est, per Illustrißimum & Reverendißimum Dominum Nuncium Apostolicum jam tum formato, evidens præsentium temporum necessitas requireret, ut quamprimùm Illustrißimus Dominus Electus ad administrationem Diœcesis & Episcopatus admitteretur, desuper indultum Apostolicum pro hac vice & citra consequentiam, conjunctim obtinere decrevimus, & realiter obtinuimus, vigore cujus ampliſſimam administrandi in temporalibus*

ralibus & ſpiritualibus poteſtatem penes Nos hu cúſq; uti dictum eſt, exiſtentem (ſalvâ tame omninò ante ipſum electionis actum deliberat & conclusâ capitulatione) in altememoratum Dominum Epiſcopum Noſtrum transferentes, omnibus & ſingulis Cancellario, Conſiliariis, Officiatis, Amptmannis, Judicibus, Gograviis, aliiſq; Juratis Miniſtris, nec non ſubditis & incolis univerſis cujuſcúnq; ſtatûs, dignitatis, gradûs, ordinis ac conditionis exiſtant, poteſtate & adminiſtratione prædictis hoc inſtanti penes Nos adhuc exiſtentibus, in virtute S. obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, ut non ſolùm Illuſtriſſimo Domino Electo in adminiſtratione ejuſmodi debitum honorem, reſpectum & reverentiam humillimè exhibeant, ac illius mandatis & juſſibus, uti fideles decet Miniſtros & ſubditos, pleniſſimè & in omnibus obtemperent, nec non de reditibus Menſæ Epiſcopalis reſpondeant, ſed etiam Omnipotenti DEUM pro felici Regiminis & adminiſtrationis initio, meliori ſucceſſu, & beatiſſimo exitu Illuſtriſſmi & Reverendiſſimi Domini Noſtri Electi, Pacis Principis (ita in Domino JESU Chriſto vero pacis Principe confidimus) ardentiſſimis ſuis precibus ſine intermiſſione interpellent. Dabamus Monaſterij Weſtphalorum 22. Decemb. Anno 1650.

Electus formatur Aulam.

13. Delato ſub hæc ad urbem pariter electionis ac informationis proceſſu, Chriſtophorus Bernardus declaratus jam Administrator, Aulico ſtatui formando in

tentu

tentus erat. Cumprimis verò sanctioris Concilij Senatores adlegit Jodocum Ethmundum *Brabeckium* & Guilielmum *Furstenbergium* Canonicos, Theodorum Hermannum *Merveltium* ex Equestri Nobilitate Cancellarium, ac Bernardum *Wiedenbruckium* Juris & Eloquentiæ Consultum. De quibus multa mihi in loco memoranda sunt, quippe qui in omni publicâ, privatâque rerum tractatione adhibiti, suis etiam muniis postea clariores evaserunt, ceu Principis continui, invidiam juxta ac odium non minùs, quam gloriam mutuati. 1650.

14. *Furstenbergius abit Viennam.*

Ex his *Furstenbergius* Viennam mittitur, ut machinationes observet Mallingcrotij, unaq; Principatûs Jura (Regalia vocant) apud Cæsarem tunc Ferdinandum Tertium exoret. Cujus occasione quoniam ad magnos postea honores adscendisse vidimus, tanti viri originem, virtutesq; hoc loco referre non pigebit. *Furstenbergia* gens, quam ob insignis paritatem, arcisq; Furstenbergiæ seu Oldenburgæ nomen, à Comitibus Oldenburgicis oriri volunt, clara semper inter Nobilitatem Saxonicam fuit. Familiæ creati ex ea Principes Imperij plurimùm splendoris attulerunt. Inter quos alter *Guilielmus* supremum Teutonici in Livonia Ordinis Magistratum penultimum gessit, qui Vel-

Ejus Familiæ

lino

1650. lino arce à militibus ſuis nefariè prodità captus, ductusq́; in Moſcoviam inſigni patientiæ & pietatis exemplo vitam finivit. Alter *Theodorus* æternâ nominis ſui gloriâ Paderbornenſem Eccleſiam rexit. Ubi reſtituto Catholicæ Religionis cultu; fundato Societati JÈSU Collegio; erecta quam abs ſe Theodorianam dixit, Academiâ; ipsâmet Eccleſiâ ære ſuo ab omni alieno liberatà; auctis Cathedrali reditibus; exſtructis ingenti ſumptu magnificis, ſi quæ aliæ per Weſtphaliam, variis arcibus, incredibile ſui deſiderium apud incolarum animos reliquit. Præclara hujuſmodi majorum & aliorum adhuc ſuperſtitum merita perpendens *Leopoldus Imperator* Anno M. DC. LXVI. Kal. Maii motu proprio familiam hanc ad Liberorum Baronum ſtatum evexit, nominatis ac laudatis ampliſſimo diplomate ſuo ſex Fratribus, quorum omnium fama ita calamis multorum illuſtrata eſt, ut à meo plùs lucis nequeat mutuari. Hos inter tertius *Guilielmus* noſter pueritiam apud Præceptores, quos habuit eâ ætate Coloniæ præſtantiſſimos, exegit fructu non modico, certè pari tum docentium induſtriæ, tum diſcentis ingenio: quippe ubi humanioribus litteris ac naturali Philoſophiâ animum informavit, tranſtulitq́; ad ſeveriores diſciplinas, magnis jam tum viris per-

Evehitur ad ſtatum Baronũ.

Furſtenbergij Adoleſcentia.

charu

1650.

charus, *Philomathos Juveniles*, metrum perquam elegans ab Authore ſibi permiſſum typis evulgavit. Ex quo cæpit ingenij acumen, & judicij ſupra ætatem maturitas clarére; nec enim author, (erat is *Fabius Chiſius*) illius evulgationem conceſſiſſet Furſtenbergio, ſi non utrumq; in eo ipſus comprobâſſet, Effecit poſtmodùm virtus & eruditio, ut ad Trevirenſe, Salisburgenſe, Monaſterienſe, Paderbornenſe, Leodienſe, tot illuſtrium Eccleſiarum Collegia, eorundemq; ſacerdotia & dignitates evectus ſit; præcox verò prudentia, ut maturâ vix ætate ab Octoviro Ferdinando ad intimioris Concilij Senatum adſciſceretur. Poſt cujus obitum pari cum dignitate *Chriſtophoro Bernardo* aſſiſtens, ſæpiùs ad Cæſarem, Electores, Principes, & Imperij Comitia, aliosq; publicos conventus Legati munere defunctus eſt, eo ſemper eventu, ut expectationem omnium ſuperârit. Hæc inter, eâ quoq; valebat non modò vi mentis ac dicendi gratiâ, verùm etiam corporis agilitate, ut in congreſſibus ad viri prudentiam augeret mirè agendi dexteritatem. Romam evocatus ab Alexandro VII. Pontifice Maximo in intimioris admiſſionis Cubicularium aſſumptus, apud Succeſſores Clementem IX. Clementem X. Innocentium XI. pari gratiâ tam illuſtre munus continuavit. Quem &

Creatur multis locis Canonicus.

& Conſiliarius.

Fit Cubicularius Pontificis.

1651. *Præpositus Monasteriensis & Decanus Salisburgensis.*

hodie in Metropolitanâ Salisburgensi D canum, & Cathedrali Monasterienſi Pr positum, & utriq; Principi à consiliis timis, totq; aliarum alibi dignitatum virtutum ornamentis elucere, ac ta apud omnes æstimari videmus, ut alium judicet Germania summis hono bus aptiorem.

15. *Mallingcrotius Romæ impedit publicationem decretæ Confirmationis.*

At verò urgente nunc apud Imper torem Furstenbergio Electi causam, urg batur eadem ab aliis Romæ. Nec uspia deses Mallingcrotius; per se, per Proc ratores, per amicos miscebat omnia. N hil in Urbe, nihil Viennæ, nihil etia apud Nuncium intentatum relinqueb Cumque electionis confirmatio jam tu die vigesimâ sextâ Januarij Romæ decre esset, ut moram injiceret publicatio ipso eodem tempore intervenit ejus Pro curator, nova sibi è Westphaliâ cum pro ximo Cursore submissa commentus, qu accuratè omnia antè expendi flagitat; his quippe ea latére rationum ponder quorum consideratione spondeat Pontif cem non modò non confirmaturum, irritam certiùs decreturum electionem. Innocentius quidem, sive veri quid sub esse suspicatus, sive ne Mallingcrotius poste minùs auditum se queri posset, haud diff culter annuit Procuratoris postulato.

Nov

1651. 16.

Cæsar indulget sex mensium administrationem.

Novâ igitur remorâ Confirmationi Romæ injectâ, Furstenbergius Cæsari probat Ecclesiasticam administrationem ab Illustrissimo Nuncio ad semestre spatium Electo datam, & è re Principatûs ac religionis esse, si & temporali in subditos potestate tantisper etiam muniatur, quam & ideò Cæsaris beneficentiâ indulgeri petit, donec confirmatione in Urbe expeditâ, usitato more Regale jus & Feudum exoretur. Nec aversatus preces Imperator litteras ocyùs vernaculo quidem idiomate, sed in modum sequentem, jussit expediri.

NOS FERDINANDVS Tertius divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Rex. Archi Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wurtenbergæ, Comes Tyrolis &c. Universis per præsentes attestamur & notum facimus, quod venerabili, devoto, dilecto Nobis Principi Christophoro Bernardo Electo Monasterienſi Episcopo, ex relevantibus causis, & ipsius Devotionis suæ precibus moti, omnia & singula Diœtesis Monasterienſis Regalia & temporalia jura, quæ tanquam feudum à Nobis & Sacro Imperio, Devotio sua ceu Electus Episcopus, statum intra tempus petere & excipere tenetur, ad sex Menses clementissime indulserimus, totóq; eo tempore in omnem illam Diœcesin, ejúsq; Magistratus & Officiatos, civilis ac criminalis Jurisdictionis usum & administra-

nistrationem concesserimus, prout Devotioni si
authoritate nostrâ Cæsareâ scienter indulgemus, c
concedimus per præsentium tenorem, ità qu
dem, ut toto illo semestri spatio omnia & singu
prætactæ Diœcesis Regalia, feudalia, & sæculari
jura, in vim hujus indulti & concessionis Nostr
possidere, iisdemq; uti ac frui, ipsamq; Diœces
administrare ac gubernare reipsâ possit ac valea
post lapsum verò semestre spatium, feudi hujus i
vestituram à Nobis & Imperio petere & admi
tere, ac interea nihilominùs obsequium & fidei
uti vasallum decet, præstare teneatur. Quocirc
mandamus universis & singulis Ejusdem Diœcesis
Statibus, Officiatis, Vasallis, Magistratibus, Le
cum tenentibus, omnibusq; aliis subditis & inco
lis, cujuscunq; statûs, conditionis, aut dignita
tis fuerint, ut sæpedictum Christophorum Berna
dum *Episcopum Monasterienſem ceu legitimum*
Dominum & superiorem suum recipiant, agnoscant
colant ac venerentur, Eidémq; reverentiam, fidel
litatem, & in licitis obedientiam, omniáq; alia
præstent & exhibeant, quæ fideles Status, Vasalli
Officiales & subditi legitimo suo Domino de jure
& consuetudine, præstare & exhibere obligantur
In fidem præsentes, manu & sigillo Cæsareis robo
ratas dedimus in Civitate Nostrâ Viennensi, die
sextâ Februarij, Anno Millesimo sexcentesimo
quinquagesimo primo. Subscriptum erat. *Ferdinan*
dus. Et sequebatur. Vidit *Ferdinandus* Comes Cur
tius. Ac paulò infrà. *Ad mandatum Sacræ Cæsareæ*
Majestatis proprium. Wilhelmus Schroder.

Quo

1650.

Quo diplomate mox translato in Westphaliam ac per universam Diœcesin proclamato, tametsi Mallingcrotius sui tenax propositi nihilò minùs flectebatur, cæteri tamen subditi lubenter omnes paruêre. Sub hæc *Christophorus Bernardus*, facturus initium administrationis suæ, Ordinibus Diœcesanis Monasterium comitia indicit. Et hi quidem statuto die stitêre se frequentes, sed ad nutum Electi à conventu suo exclusêre Mallingcrotium, ceu patriæ tranquillitatis turbatorem. Quam ipse contumeliam tantò molestiùs accepit, quantò ad id usq; tempus magis decorum pro munere Decani comitio præfediſſe. Ne quid autem de jure suo remittere videretur, non semel aditum tentavit; sed tores areæ palatij Episcopalis continuò clausas offendit; quas cum etiam pedibus, manibúlq; pulsitans aperiri sibi acriùs aliquandò postularet, jussi respondêre excubitores, nulli nunc eas patere publicæ quietis inimico. Quam ipse severitatem exaggerando conabatur nonnullos ex Ordine Equestri in commiserationem, partémq; trahere, sed frustrà.

17. *A comitiis excluditur Mallingcrotius.*

Nec etiam Romæ negotium illi ex sententiâ succedebat; quippe discusso jam non hebdomades, sed menses aliquot electionis actu, cùm præter vespertinum illud Decano præterito conventiculum, novi

18. *Romæ confirmatur Electio.*

nihil objiceretur, nec ex eo vitiari electi
nem Canonicis omnibus, uno duntax
excepto, ratam, gratamque præstantissi
in Urbe Jurisconsulti pronunciarent, in
cro Purpuratorum Patrum senatu conf
matio decernitur, & expeditis, quæ sequu
tur, litteris, tàm Electo, quàm Clero, P
puloq; Monasterienſi intimatur.

Sub hac formâ.

INNOCENTIUS *Episcopus Servus Servor*
DEI *Dilecto Filio* (ita Pontifices consecra
necdum Episcopis scribunt) *Christophoro Berna*
do à Galen Electo Monasterienſi salutem & Ap
stolicam benedictionem. Apostolatûs officium m
ritis licet imparibus Nobis ex alto commiſſu
quo Ecclesiarum omnium regimini divinâ dispo
tione præsidemus, utiliter exequi coadjuvan
Domino cupientes, ſollicitiſ corde reddimur c
ſolertes, ut cum de Ecclesiarum ipsarum regim
nibus agitur committendis, tales eis in Pastor
præficere ſtudeamus, qui populum ſibi commiſſ
ſciant non ſolùm doctrinâ verbi, ſed etiam exem
plo boni operis informare, commiſſáſq; ſibi Eccl
ſias in ſtatu pacifico & tranquillo velint & v
leant auctore Domino ſalubriter regere & felic
ter gubernare. Sanè nuper Ecclesiâ Monasterien
cui bonæ memoriæ Ferdinandus Episcopus Mon
ſterienſis, dum viveret, præsidebat, per obitu
dicti Ferdinandi Episcopi, qui extra Romana
Curiam debitum naturæ perſolvit, Pastoris ſol
tio deſtitutâ, dilecti Filiſ Capitulum dictæ Eccleſ

P

pro futuri Episcopi Monasterienſis Electione celebrandâ, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt & potuerunt Electioni hujuſmodi commodè intereſſe, die ad eligendum præfixâ, ut moris eſt, convenientes in unum, Te ipſius Eccleſiæ Canonicum, de Nobili genere, in legitimo Matrimonio, ac ex Catholicis parentibus procreatum, in ætate legitimâ, ac á pluribus annis in ſacro Subdiaconatûs ordine conſtitutum, & ad alios docendos idoneum, in Epiſcopum Monaſterienſem concorditer elegerunt, Túq; Electioni hujuſmodi, illius Tibi præſentato decreto conſenſiſti, & deinde Electionis hujus negotium per venerabiles Fratres Noſtros Sac. Rom. Eccleſiæ Cardinales negotiis rerum Conſiſtorialium Præpoſitos, examinari fecimus diligenter; qui ſub die vigeſimâ ſextâ Menſis Januarij proximè præteriti negotio hujuſmodi maturè diſcuſſo, Electionem hujuſmodi uti canonicè celebratam, confirmandam cenſuerunt, Nóſq; ſententiam Congregationis hujuſmodi approbavimus. Nos igitur Electionem prætactam juxta ſententiam & decretum Congregationis hujuſmodi Apoſtolicâ authoritate confirmantes, prætactæ Eccleſiæ Monaſterienſi de Perſonâ Tuâ, cui apud Nos de litterarum ſcientiâ, vitæ munditiâ, morum honeſtate, Spiritualium providentiâ, temporalium circumſpectione, aliiſq; multiplicium virtutum donis fide digna perhibentur teſtimonia, de Fratrum eorundem conſilio dictâ authoritate providemus, Teq; Eidem Eccleſiæ Monaſterienſi in Epiſcopum præficimus & Paſtorem; curam &

administrationem ipsius Ecclesiæ Monasterien
Tibi in spiritualibus & temporalibus plenari
committendo, in illo, qui dat gratias & largitu
præmia, confidentes, quod dirigente Domino actu
*Tuos, prætacta Ecclesia Monasterien*ſ*is sub Tu*
felici regimine regetur utiliter, ac grata in ejus
*dem spiritualibus & temporalibus susc*ſ*ipiet in*
crementa. Jugum igitur Domini Tuis impositum
*humeris promptâ devotione susc*ſ*ipiens, cura*
& administrationem prætactas sic exercere stude
*sollicitè, fideliter & prudenter, quod ipsa Eccles*ſ*i*
*Monasterien*ſ*is Gubernatori provido, & fructuos*ſ
Administratori gaudeat se commissam, Túq; pra
ter æternæ retributionis præmium Nostram &
Apostolicæ Sedis benedictionem & gratiam exind
uberiùs consequi merearis. Volumus autem quod
Tu ad præscriptum Concilij Tridentini in dict
*Ecclesiâ Monasterien*ſ*i Theologalem, & Pœniten*
*tiariam Præbendas, & in Civitate Monasterien*ſ
Seminarium erigas, & Montem pietatis institu
cures, conscientiam tuam desuper onerantes. Da
tum Romæ apud sanctam Mariam Majorem, Anno
Incarnationis Dominicæ Millesimo, sexcentesi
mo, quinquagesimo primo, undecimo Cal. Junii,
Pontificatûs Nostri Anno septimo.

Ad Capitulum verò Cathedrale, nullâ Decani mentione factâ, mittebantur sub insequẽte formâ expeditæ.

INNOCENTIUS *Episcopus servus servorum* DEI, *Dilectis filiis Capitulo Ecclesiæ Monasterien*ſ*is salutem & Apostolicam benedictionem;*

Hodie

Hodie Electionem *de Persona dilecti filij* Christophori Bernardi *Electi Monasterienſis, per Vos, Eccleſiâ Veſtrâ Monaſterienſi tunc per obitum bonæ memoriæ Ferdinandi olim* Epiſcopi *Monaſterienſis, extra Romanam Curiam defuncti, Paſtoris ſolatio deſtitutâ canonicè celebratam, juxta ſententiam ac decretum Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sac. Rom. Eccleſiæ Cardinalium negotiis rerum Conſiſtorialium Præpoſitorum, de Eorundem Fratrum conſilio Apoſtolicâ auctoritate approbando & confirmando, Eidem Eccleſiæ Monaſterienſi de perſonâ D.* Chriſtophori Bernardi *Electi, Nobis & Fratribus ipſis, ob ſuorum exigentiam meritorum acceptâ, dictâ auctoritate providimus, ipſumq; Eidem Eccleſiæ Monaſterienſi in Epiſcopum præfecimus & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Monaſterienſis, ſibi in ſpiritualibus & temporalibus plenariè committendo, prout in Noſtris indè confectis litteris pleniùs continetur. Quocirca Diſcretioni Veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Eidem* Chriſtophoro Bernardo *tanquam Patri & Paſtori animarum veſtrarum humiliter intendentes, ac exhibentes ſibi obedientiam & reverentiam debitas & devotas, Ejus ſalubria monita & mandata ſuſcipiatis humiliter, & efficaciter adimplere curetis; Alioquin ſententiam, quam idem* Chriſtophorus Bernardus *Electus ritè tulerit in rebelles, ratam habebimus & faciemus auctore Domino uſq; ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem,*

Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo primo, undecimo Cal. Junij. Pontificatûs Noſtri Anno ſeptimo.

Quas prætereà ad Clerum, ad Vaſallos, ad Populum Civitatis & Diœceſis Monaſterienſis direxit Pontifex, pari modo intimatas, promulgatasq́; , vel eò quoq́; libentiùs his ſubjungerem, quò Scriptoris Anonymi confirmationem inſcitè pernegantis os, pluribus obſtrueretur. Sed cum argumento, tenore, verbis, tempore, ſigillo eædem ſint, & uno ferè, ſoloq́; duntaxat titulo diverſæ, ne augmento plùſquam otioſo charta compleatur, præplacuit ſuperſedere.

Mallingerotio & Viennæ Confirmationẽ impediente.

Mallingerotius igitur deſperato nunc Romæ ſucceſſu, totus Viennam ſe vertit. Cauſam Electionis in Urbe non ſatis diſcuſſam queſtus Cæſarem orat, ut Regalium conceſſio & inveſtitura tantiſper differatur, donec re latiùs examinatâ de integritate Electionis penitiùs innoteſcat. Sed & iſthic, poſtquam ejus objectiones in Concilio Imperiali Aulico ſtudiosè ponderatæ ſunt, repulſam patitur, jubeturq́; Electum uti Legitimum Principem & Herum ſuum agnoſcere ac venerari. Interim Cæſar agnitâ Pontificis confirmatione *Chriſtophorum Bernardum*, recepto fidelitatis jurejurando, ſolenni ritu inveſtit & Imperij Princi-

Cæſar Regalia concedit & inveſtiturã.

cipem

cipem renunciat, datamque Regalium & temporalis cujuscunque jurisdictionis, pleniique imperij potestatem amplissimo diplomate testatam facit; veneratione, obsequelâ & fide Principibus debitâ, Magistratibus juxtà ac subditis, iterùm & seriò imperatâ. 1651.

Igitur *Christophorus Bernardus*, Pontificis & Imperatoris authoritate, renunciatus jam Episcopus, & Imperij Princeps à restaurandâ pietate novi Regiminis administrationem exorditur. Quippe Religionem avitam non parùm labefactârat serpens pridem illicium novitatis; Numinis cultum valdè imminuerat Martis licentia, tot annos continuata, & tot secum scelera trahens; ut utrumque erigere & in pristinam reponere dignitatem, publicæ felicitatis interesset. Sacræ alibi ædes ruinam minari visæ, alibi destitutæ supellectile sacrâ, plurimis locis profanatæ erant. Sacris initiati, magnam partem præ otio lascivientes fœdâ spurcitie dehonestarant vitam DEO devotam. Foverant â multis retrò annis, seu dominantium incuriâ, seu Bellorum injuriâ, absque ullo rubore suspectas mulieres domi (Focarias seu Concubinas vocitabant) tractarântque non secùs ac in permisso matrimonio conjuges suas. Latera itinerantium stipabant; frequentabantur unà nuptiæ; & cognomento Hono- 19. *Neo-Princeps restaurat pietatem.* *Non parùm collapsam.* *Eliminat concubinatum.*

1650. Herorum ſuperbæ in convivantium tripudiis, pronubarum inſtar, prima occupare ſubſellia jubebantur. Imò & id non ſemel obſervatum (quod in honeſtioribus Sponſis mos patrius habet) dote ſuâ ac ſupellectile inſtructas magno multorum comitatu ad ipſas Clericorum domos ſolenniter deductas eſſe. Uſque adeò nihil clam haberi curabant ſalaces genij, quin pudoris juxtà ac famæ prodigi, labes cum pompâ quaſi ac ſcenâ producebant. Vix dici poteſt, quantam ea vitæ turpitudo conciliârit Clericalis Ordinis honori jacturam, Religioni opprobrium, apud populum offenſionem. Inter primas igitur novi imperij curas fuit, ut ab impuro concubinatu Diœceſis emundaretur. Ne quid autem impedimenti crearent Archidiaconorum ac Prælatorum querelæ, jus corrigendi Concubinarios tam Clericos, quam Laicos ex privilegio & conſuetudine ſibi vendicantium, pactione & cautelâ ſalutari antevertit. Cæterùm gravis erat, & proloquentis animi munditiem ſpirans oratio, quam in concubinatum invectus per hos dies *Chriſtphorus Bernardus* in formâ edicti typis evulgatam toti Provinciæ intimabat. In hac dolebat multa, docebat plura, ſed plurima execrabatur. Et quamvis antè, quoad punitionem Concubitorum, illæſa Archidiaconorum jura pactus eſſet,

esset, haud tamen omittebat eorum perstringere socordiam, qui cum sub asserto juris præsidio non scandala duntaxat tollere, sed & omnem ejus occasionem funditùs evellere debuissent, intempestivâ tamen lenitate, vel conniventiâ peccatis alienis tantò universim se obstrinxerint periculosiùs, quantò Superiorum indulgentiâ vitia singulorum creverint securiùs. Interim omnibus de Clero ac singulis imperabat, qui focarias vel suspectas quascunq; mulieres adhuc foverent domi, viso statim, lectoque præsente tunc edicto, adeò procul & ad tot ab habitatione milliaria â se amoverent, ut sublata credi posset omnis sinistra suspicio & ulterior occasio consuetudinis scandalosæ. Qui septimanas intra sex (quod illis spatium ultimò præfigebat) jussis non paruerit, non tantùm ijs pœnas sacro juri insertas, sed si crescente etiam malitiâ mitiorem hanc viam contumaciter posthaberent, absq; conditionis, vel ætatis respectu fortem manum comminabatur. Ne quâ tamen novâ conspergeretur labe dignitas Sacerdotalis, satiùs habuit rigorem in solas mulieres exasperâsse. Et ideò quoque Ministris ac Magistratibus locorum demandabat, ut si quas jam ante suspectas clandestino fortè reditu, vel per ambagem in Clericorum ædes iterùm irrepsisse deprehendant, in infames hujusmodi per-

1651. di personas sine loci reverentiâ, vel ullo violandæ immunitatis metu manus injiciant, & seriam, notamque mandantis voluntatem exequantur. Certè fuit hoc pietatis pharmacum tam efficax, ut squallentis anteà Cleri facies mox comparuerit serenior; tam verò salutare, ut propè soli festinato, felicique concubinatûs exilio adscripserint non pauci secutas annorum ubertates.

20. *Re frumentariâ inopiæ subvenit.*

Sed hic ipse annus ingravescente annonâ ob rei frumentariæ inopiam in summâ caritate erat, adeò ut tritici octodecim, siliginis verò modium quindecim Imperialibus veniret. Jamque passim grassante fame audiebantur miserabiles egenorum quiritatus panem, panem deposcentium; quorum commiseratione *Christophorus Bernardus* jussit cellas passim frumentarias laxari, perque pagos & oppida gratis frumentum distribui. Sed & eo paulatim deficiente ad exteras misit Regiones, qui supplementa undique conquirerent publicæ egestati sublevandæ. Quò commodius etiam posthac quævis mercium genera vel ab *Embdano* portu, vel ab Urbe Zutphanensi, opportunitate navigiorum advehi daretur, ipsos alicubi Amisiæ, & alibi Berckelæ, amnium alveos dilatari cupiebat, jam tum magnis illis quos vasto animo fovebat, conceptibus præludens. Adeò

Principis

Principis in Patriam charitas multis jam tum salutaribus gestis se prodens emicabat, ut quos regebat imperio, pietate dulciùs cogeret ad officium pariter & sui amorem. Atque ipsa hæc, incredibili clementiâ, benignis alloquiis, omni officiorum genere ità cumulabat, ut capti eâ morum suavitate populàres, effusi in ejus laudes, rediisse cum Principe pristinam Diœcesi felicitatem sibi gratularentur. 1651.

Ut autem non minùs sollicitum animabus, quam corporum se probaret Curatorem, sacro Episcopatus ordine solenni ritu inaugurari voluit; exemplo patriæ tàm novo, quàm grato. Nec enim ab hominum memoriâ Diœcesin rexerat consecratus Antistes, *Joanne Guilielmo* Cliviæ, *Ernesto* & *Ferdinando* Bavariæ Ducibus, Episcopali charactere nunquam insignitis. At verò *Christophorus Bernardus* intra trimestre à confirmatâ electione spatium, pedo, mytraque onerari unus & enixè urgebat. Dies consecrationis decernitur Dominica tunc Divo Lamberto Eburonum Antistiti sacra; & *Franciscus Guilielmus* Osnabrugensium Episcopus, Romani Pontificis authoritate jam ante designatus Consecrator, unaque *Joannes Dusseldorpius* Sebastensis, & *Bernardus Frickius* Cardicensis Episcopi, is Monasterienſis, hic Paderbornensis Suffraganeus, ceu futuri

21. *Consecratur Episcopus.*

17. *Sept.*

Assisten-

1650. Assistentes invitantur. Postquam igitur *Sebastenus* (meus in Præpositurâ Santensi quondam Prædecessor) paulò antè *Christophorum Bernardum* Sacerdotio initiaverat; *Franciscus Guilielmus* XVI. Kal. Octob. Monasterij magnificè excipitur. Postridiè sub nonam antepomeridianam, par Principum, par Infulatorum, inter campanarum omnium compulsationem, tubarumque ac Musicorum concentus vestitam maximo ornatu Basilicam Paulinam ingrediuntur, tanto populi affluentis undiq; concursu, quantam & actûs ipsius solennitas & dignitas Personarum magnificentiam ostentabant. Tacto jam per Consecratorem & Assistentes Episcopos *Christophori Bernardi* capite, expletisque cæteris Ecclesiæ ritibus, consecratus Pontifex solenni benedictione populum dimittit, & post faustas qualsque tubarum, Musarumque apprecationes, sacrato dextera ballamo delibuta, obviis plurimorum gratantium osculis fatigatur. Dies erat pro magnificentiâ duorum Principum, & conferentis & accipientis sacerrimum Episcopatûs ordinem insignis. Sed transacto inter epulas & gaudia biduo redire Osnabrugensis parabat; quem Neo-Præsul abeuntem ad eum extra mœnia locum deducit, ubi quatriduò antè exceperat, ibidemque pari, quo primùm convenerant, officiorum genere

inter

inter amplexus ab invicem discessêre. Et sanè *Christophorus Bernardus* esse Episcopus, quàm dici maluit, gnarus Principatum in Episcopatu, non Episcopatum in Principatu fundari. Exindè igitur munere suo reipsâ functurus, aras ac templa, quæ belli tempore aut diruta erant, aut profanata, restituere, statisque cæremoniis expiare cœpit. Sacros ipse Clericis Ordines conferre; eorum, qui servitiis Ecclesiæ mancipabantur, examini præesse; Curiones virtute ac doctrinâ probatos Parœciis præficere; missitare per Provinciam è Societate JESU Sacerdotes, qui Sacramentorum dispensatione pietatem instillarent, rudemq; populum divinis imbuerent præceptis, & imperitam elementis fidei juventutem. Ipsemet Diœcesin lustrare; inspicere mores singulorum; excitare Archidiaconos; exigere rationes animarum; corrigere errantes; urgere segnes; laudare sedulos, sui quemque officij commonere; coactâ Diœcesanâ synodo eas præscribere & innovare leges, quæ servirent Religioni, ac pietati non minùs restaurandæ, quam stabiliendæ.

1651. *Et Episcopali munere ipsus fungitur.*

Dum magnam ita sacrorum curam Præsul habet, nonnulli tam præclari exempli incitamento ad gremium Romanæ Ecclesiæ paulatim revertebantur. Quos inter Nobilissimus *Joannes de Reck Dynasta in Stein-*

22. *Dominus in*

1651. *Steinfurt ad fidem Catholicam convertitur.*

Steinfurt facilè præminebat. Vir erat qui ab aviti generis ſplendore, rarâ modeſtiâ, ſingulari in Patriam pietate, & al inſigni cumprimis eruditione ac prudenti oppidò commendabatur; ſed à pueriti dogmatis Reformatorum innutritus, jamq ſupra annum ætatis quadrageſimum obfirmatus, quamcunque malebat ſortem, quam deſertâ Religione ſuâ amplecti Catholicam Ut autem volentis non eſt, neque curren tis, ſed miſerentis DEI, ita divino cum primis munere fidei gratiâ tandem meru illuſtrari. Curioſâ, multâque librorum controverſias tractantium lectione rapieba tur. Alios ſubinde atq; alios, procurant *Chriſtophoro Bernardo*, ſubmittebat diſcre ta amicorum humanitas. Ex his aſſertio nem colligit omnium partium conſen firmatam; *unicam nimirum, uti fidem ita & Eccleſiam eſſe, extráq; eam no minùs, quam arcam Noëmi deſperata omnem mortalium ſalutem.* Enimver ipſe de ſuâ anxius, in unam iſtam felici æternitatis viam, indefeſſâ ſollicitudine in quirit. Evolvit adverſantium Religionum libros; diſcrepantiam notat; argument argumentis opponit; oppoſitiones ordin digeſtas, ſtudioſè rimatur; nec ſcribentium allegatione contentus, ipſa ſcrutatur Patrum autographa, qui primis quinque ſeculis vixêre; atque ubi deprehendit illo rum

Converſionis motiva.

rum doctrinam, quam nullâ Proteſtantes ipſi perverſitatis labe aſperſam docent, in controverſis fide dogmatis, hodieq; cum Romanâ Eccleſiâ conſpirare; ita ſecum ratiocinatur. Si Patres iſti, quos ipſa Reformatorum ſchola elogio ſanctitatis inclytos, è libris, è ſuggeſtibus declamat, non aliud crediderunt, quam quod hodiedum Eccleſia Romano-Catholica; quânam igitur ratione ipſa hodierna ejus inſtituta impietatis aut idololatriæ argui mereantur? ſanè ſi Doctores iſti eâ imbuti fide, ſalutem aſſecuti ſint, cur eandem ſectatus hodie Romano-Chriſtianus non conſequatur? Indè admirabilem contuetur Romanæ Eccleſiæ ſub uno in terris capite, ſuavi membrorum omnium harmoniâ compaginatæ unitatem; quam toto licet diffuſam Orbe ne minimus quidem in re fidei diſcordiæ nævus macularet. Ad ipſos demùm Penates converſus, dum Patrum recolit memoriam, Abavos, Atavoſque, & omnem ante Lutherum progeniem in eadem Religione immotos vixiſſe ſemper, tot piæ donationes ac fundationes, monumenta domeſtica convincunt. Tum ex iiſdem chartis eruit prima temporibus Caroli Magni traducta in has Saxoniæ partes Chriſtianitatis initia, & cum Monaſterienſium Epiſcoporum, ab ipſo Proto-Myſtâ Divo Ludgero, ad hodiernum uſque *Chriſtophorum* 1651.

1651. *Bernardum* inconcuſsâ ſucceſſione, eaden
continuari ſacra, & eadem hodiérna, quæ
ab incunabulis, fidei inſtituta; ut ſi ve
unquam vera Chriſtiana Religio in hiſce
terris plantata ſit, hanc ipſam eſſe opor-
teat, quam iiſdem in templis, Collegiis,
ſcholis, pari tot ſeculorum conſtantiâ vi-
deat hodiedum doceri, coli, conſervari.
His, aliiſque pluribus rationum momen-
tis, quæ vel Herculem proſternerent, tra-
hi ſe teſtatur ad eam accedere fidelium
congregationem, quæ jam inde ab ætate
Chriſti, ſerie nunquam interruptâ, ad Nos
uſque perſeverârit; quæ in fide una, in
moribus honeſta, in præceptis ſancta, in
explanando DEI verbo nec falli poſſet,
nec errare; quæ tot illuſtrata miraculis,
majores noſtros paganiſmi tenebris involu-
tos ad lucem perduxerit Chriſtianæ ve-
ritatis; cujus zeloſa pietas tot ſtruxerit,
fundaritque Collegia, Monaſteria, & ſacras
ædes; in quâ demùm poſt legitimam Mi-
niſtrorum vocationem extent vera ſalutis
media, & certa participatio meritorum
Salvatoris. Eâ igitur obfirmatus mente,
hoc ipſo anno pridiè Kalendas Decem-
bris, ejuratis anteactæ vitæ dogmatis, ritu
ſolenni Romanam fidem profitetur. Præ-
euntis exemplum tota mox ſequitur *Gale-
niorum in Ermelinghoff* Nobiliſſima do-
mus, uti proximo ſanguine affinis, ita &
nunc

1651.

nunc verâ Religione. Cæterum *Reckiorum* gens (ut meritis ejuſdem hoc additamentum tribuamus;) vetuſtiſſimæ inter Saxones originis, in plures hodiè diviſa, ſparſaque ramos, per Archi-Epiſcopatum Colonienſem, Ducatum Cliviæ, Comitatum Marcæ, Saxoniæ, ac Livoniæ Provincias latè ſe diffudit. Ab arcibus, quas habitant, diſtinctè quidem ſinguli cognominantur; ſignum tamen omnibus commune, trabs nimirum, ſeu cuneus in parma cœruleâ ternario laterculorum numero miniatus. Quaſi Majores ex Triariis, aut Legione tertiâ veniant, vel qui Triumviratu ſæpiùs adito glorientur. Quod ipſum quoq; Reckij nominis etymon haud obſcurè confirmat. Veteres namque Germani Heroëm uſitato vocabulo Ein Reck dixêre. Sed inter eos hac tempeſtate cumprimis eminent *Reckii*, qui Caſtra & Dynaſtias *Steinfurtum* & *Heeſenam* in Principatu Monaſterienſi poſſident. In horum quippe ſtirpem, illuſtris *Volmunſteiniorum* proſapia deſinens, cum amplâ hæreditate illata eſt, & arma gentilitia primordiali Reckiorum clypeo tranſverſim inſerta acceſsêre. Ex Volmunſteiniis autem non paucos emerſiſſe Metropolitanæ & Gereonææ Ubiorum, aliarumque Eccleſiarum Prælatos ac Canonicos illuſtres, & quod caput eſt, claros opinione ſanctitatis, in

Ejuſdem propago.

1651. ſuo commonſtrat Sacrario, Gelenius Hiſtoriographus Colonienſis. Et ſanè *Joannes* Noſter ſtirpis hujus inſigne germen, virtutibus etiam ſuis avitum ſtemma non parùm illuſtravit, nomenque *Reckiorum* magis inclaruit, quando is ſcripti non unius lucubratione poſt converſionem publicæ luci ſubmiſsâ, ſolidam cum Religionis incremento eruditionem orbi probavit. Nec interim tunc vel unquam poſtea prætermiſit conſtantis in Patriam pietatis argumenta continuare, Ejuſdemque bono in arduis ſæpè negotiis indefeſſam ſemper operam impendere. De quâ non minùs, quam Religione præclarè meritus tandem ſub annum hujus ævi ſexageſimum ſextum fatis conceſſit, relictis ex thori ac virtutum conſorte *Barone Galenia* filiis tribus, ac quatuor filiabus. Harum prima Dynaſtæ in *Aſſen* unico Chriſtophori Bernardi germano fratri nupta eſt, numeroſæ poſteà, ſed lectiſſimæ Sobolis læta Mater. Reliquæ, præter unam quæ cælebs obiit, Nobilioribus etiam familiis *de Aßcheberg*, *de Wrede*, *de Hanxſtein* tractim per conjugia innexæ. Ex prole maſculâ natu major *Joannes Theodorus* in bonis Paternis ac Dynaſtiâ Steinfurdienſi ſucceſſit; ſed is anno nuper octuageſimo octavo immaturâ morte præreptus hæredem quoque filium reliquit *Joannem Matthiam* magnæ expectationis

1651.

ctationis Adolescentem, qui peregrinas hodiè provincias peragrando gravioribus aliquandò muniis se reddit aptiorem. Secundo genitus *Matthias Fridericus*, quâ complures annos Præpositus S. Mauritij, pari nunc laude Major Basilicæ Paulinæ Decanus audit. In hoc ipse candelabro quam virtutum omnium splendore semper eluxerit, communis vox ac fama testis est, & unicum id sufficit adiecisse, quod post obitum nuper Episcoporum *Ferdinandi* ac *Maximiliani Henrici* vacans Cathedra Monasteriensis suum alterâ vice suspexerit Candidatum. Tertius *Hermannus* Canonicum Monasteriensem & Paderbornensem agit, singularium gratiarum vir, quem uti *Maximilianus Henricus* ob egregias dotes ad Secretioris Concilij Senatum in Monasteriensi Principatu adlegit, ita & Successor *Fridericus Christianus* Satrapiæ Wernensi, & Collegium Cathedrale Dominio Ludinghusano præfecêre. Plura loqui cum vetet superstitum verecundia, prosequi nunc historiam prælubebit.

23. *Bellum inter Brandēburgicū Electorem &*

Per æstatem anni hujus quinquagesimi primi improvisum apud vicinos bellum nascebatur. Causam præbebat famosa Juliacensis successio, tot annos continuus dissensionum fomes. Dum *Fridericus Guilielmus* Brandenburgicus Elector post occupatam Angermundam arcem, lacinias

1651. Montium cum exercitu infestat, *Philippus Guilielmus Wolfgangi Guilielmi Ducis Neoburgici Filius*, cum suis & Caroli Lotharingi copiis, in suppetias ocyùs è Belgio accitis Marcam aggreditur: atque ita glisscentibus utrinq; armis latiùs quotidie serpens malum, timebatur nec ex vano, viciniam brevi correpturum. Ut autem in cinere flammam sopiret *Ferdinandus* Imperator, missis actutum *Melchiori Comiti Hatsfeldio* Cæsareani nuper exercitûs Duci, & *Joanni Anethano* Cancellario Trevirensi dissidentes componendi potestatem facit. Et horum etiam sollicitudine non multò post, controversiâ, quæ inter utrumque Belligerantem intercedebat, ad *Christophori Bernardi* ceu Episcopi Monasterienssis, & vicinorum quorundam Principum determinationem, pari Cæsaris imperio remissâ, certisque aliis conditionibus pax redintegratur, non minore subditorum desiderio, quam Westphaliæ totius bono.

Neoburgicũ Ducem.

Componitur.

24. Sed jam antè Collegium Cathedrale exoraverat Fabium Chisium, quoniam Mallingerotius electionem impugnaturus, atrocibus Electi famam convitiis læserat, aliquos nominaret dignitate præcellentes, quorum fidei ac prudentiæ pro suâ Nuncij potestate examen causæ committeret & maledicti probationem. Delegati igitur, magni nominis viri, partes in jus vocant, audiunt,

Deligũtur Commissarij Apostolici.

1652.

audiunt, interloquuntur ; & tandem pœnam minantur contumaci Mallingcrotio, nisi statum intra terminum asserta doceat. Expectatur præfixum tempus, & iterùm menses, quibus cum probaretur nihil, hanc demum sententiam pronunciant & exequuntur.

In causa Dominorum Præpositi, Senioris & Capituli Cathedralis Ecclesiæ Monasterien sis Impetrantium ex unâ, contra Dominum Bernardum à Mallingcrot Opponentem ex alterâ partibus, mandati ad probandum diffamationem, accusationem, & objecta contra personam Illustrissimi Domini Episcopi Monasterien sis, Nos delegati Commissarij Apostolici de consilio Jureconsultorum, in contumaciam decernimus & pronunciamus, quod dicto Domino Opponenti in hac causâ perpetuum silentium imponendum, nec non in pœnam Capituli STATUIMUS. De Electione in Sexto *declarandus sit : quemadmodum illud hac Nostrâ sententiâ ei imponimus & declaramus, eúmq; in expensas hujus litis, salvo Nostro judiciali moderamine condemnamus.*

Mallingcrotius ab iis suspendi-tur.

Franciscus Guilielmus Episcopus Osnabrugensis, Ratisbonensis, Mindensis, Verdensis.

Theodorus Adolphus Episcopus Paderbornensis.

1652. *Bernardus Frick Episcopus Cardicensis, Suffraganeus Paderbornensis.*
Joannes Wernerus à Leeraedt Præpositus Osnabrugensis.
Frater Jodocus Caessem Abbas Campi S. Mariæ.
Joannes Ahlers Officialis Monasterienſis.
Joannes Bisschoping J. V. Licentiatus Decanus S. Ludgeri. Officialis Osnabrugensis.

Lex præcitata, quæ ad confundendam obtrectatorum temeritatem à Pontificibus salutariter lata est, hoc habet, *ut si quis impugnet electionem, & in probatione defecerit ejus, quod objicit in personam Electi, à beneficiis Ecclesiasticis triennio suspensus; ad quæ si intra illud tempus propriâ temeritate sese ingesserit, eis ipso jure perpetuò sit privatus, nullam super hoc de misericordiâ spem aut fiduciam habiturus.* Accedebat & altera in Mallingcrotium animadversio. Principem ab utroque Christiani Orbis Capite confirmatum, ac consecratum jam Pontificem, dum Episcopali amictum veste, raro exemplo, in templis frequentem, aut functurum officio, aut publicas supplicationes comitatum, Canonici obviam facti, pro more & debito, honorificentius excipiunt, deducuntque; Mallingcrotius jussus licet, ceu Legitimum Herum venerari,

Item ab Episcopo & quare.

rari, non alio tamen honore, quam obverso transeuntem dorso dignabatur; ne quidem capitium, parvum capitis tegmen contingere, quam *Soli DEO*, non pseudo-Principi venerationem debere se ajebat. Igitur Præsul, ubi conspexit reverentiam sibi debitam in ædibus sacris, in supplicationibus, in compitis, cum tantâ Cleri totius & populi numerosè confluentis offensione, toties palam & contumaciter recusari; tam manifestam contemnentis pertinaciam ex officio correcturus, & ut aliis, in ipso quasi renascentis secum Ecclesiæ Monasterienſis exordio, promptioris erga Superiores suos venerationis & obsequij documentum daret, *Mallingcrotium Episcopali authoritate â Choro, â Capitulo, ab Officio & Beneficio suspendit.* Et hisce quidem fulminibus meritò se tactum videbatur Mallingcrotius agnoscere, quod postea nusquam in choro appareret. 1652.

Cum autem propter amotum â privatis, publicisque functionibus Decanum scire referat, quem tunc Præpositum Cathedralis Ecclesia venerabatur, illius hic prosequi originem, virtutesque existimo historiæ nonnihil interfuturum. Præerat eà tempestate *Otto Henricus Korff cognomento Smising*, ex Castro Tatenhausen, Comitatûs Ravensbergensis. Is Patrem habuit 25. *Erat tunc Præpositus Monasterienſis Smisingius.*

1652. *Ejus Parentela.* habuit *Henricum*, Matrem *Sybillam* ex illustri *Wentiorum* stirpe natam, nobili genere juxtà ac pietate conspicuos; vel eo solùm felices nomine, qui liberos omnes, superstites ipsi viderint, alios in dignitatibus constitutos, ex aliis nepotes.

Vetustas familiæ. Nobilitas familiæ pervetusta, quam *Ægidius Gelenius*, antiquitatis industrius scrutator, in suo de magnitudine Colonienſis Urbis Sacrario â Corbulone Claudij Cæsaris Duce derivat. Habuit sæpè Cathedralium Ecclesiarum per Westphaliam Moderatores, semper Collegas. Ex eâ prodiit celebris ille, Ordinis Seraphici ac Theologiæ lumen, *Theodorus Smisingius*, Henrici Germanus frater; â doctrinâ & sanctitate magnus; major etiam, nisi præmatura mors, maturaque virtus orbi vitam invidisset, insigni elogio inter illustres Lovanienſis Academiæ viros â *Vernulæo* decantatus; *dignus terrâ, qui tam doctus, dignus cælo, qui tam sanctus.*

Virtutes & genius. Commendabatur iisdem planè dotibus *Otto Henricus*, Patruo suo virtute sanè par, si non famâ. Nec enim doctrina & pietas concatenatæ sine multarum comitatu virtutum esse consueverunt; illam palmari cum laude hauserat in scholis Adolescens, & volutandis assiduè doctorum scriptis, perficiebat indies, magnus litterarum ac Litteratorum fautor. Hanc â puero in-

diderat

diderat educatrix parens, confeceratque magnæ Matris Sodalitium, pietatis schola, in quâ verum supremi Numinis piè, pureque colendi affectum stabilivit. Munditiem animæ usque adeò colebat, ut levem quoque DEI offensam haud apud se diu pateretur, atque ideò quot hebdomadis (sæpiùs plerumque) conscientiæ labes sollicitè confessus excuteret animo verè piò; immò nec arduum quid unquam aggrederetur, quin antè Cælitum favorem simili pietate sibi propitiaret. In suo Archidiaconi tractu eundem DEI cultum zelosè instaurabat, nec ignavus morum censor nec perseverus. Quidquid verò multarij æris pendebant reorum delicta, totum id pro innatâ liberalitate in pauperes, Religiosorum familias, piosq; usus statim convertebat. Nihil unquam magis execratus, quam seculi vafritiem, privatæ utilitatis, per speciem publicæ, nimis quantùm studiosi; nihil deplorans æquè, ac maximam partem justitiæ exilium, & iniquam multis locis bonorum Ecclesiæ direptionem. Si quid aliquandò muneris offerebant patrocinij, opisque indigentes, cum stomacho rejectum mox asportari jubebat, promptior immunis adjuvare, quam donatus. Vir acri, modestoque ingenio, laudum suarum parcissimus, quas uti vetabat de absente memorari, ita minùs dici coram patiebatur. 1652.

Con-

1652. Consiliorum opportunitate Collegis apprimè charus ; tametsi enim Præpositi Concilio Capitulari interesse ex officio non teneantur, nisi gravioribus super causis rogati ; ipse tamen non interfuit modò semper, sed ferè præfuit ; adeò ut nc quidquam ardui statuerint unquam, quod ipse arbitratu suo non comprobârit, Immaturam tanti viri mortem luximus aliàs, & sola dolorem ratio depulit, quod hæc omnia lege creata sint, ut morte deleantur. Sed nunc ut publica prosequamur in abducendis è patriâ Hassorum copiis suam pariter operam collocabat.

Evacuatur Coesveldia.

26. Enim-verò Diœcesin adhuc insidebat Hassicus miles, exactionibus, quamvis in pace, haud mediocriter gravis. Ingentem namque pecuniæ vim Hassiæ Principi addixerat Pacificatio Monasterienſis, unaq; potestatem fecerat præsidio suo Coesveldiam obtinendi, donec argentum Cassellis penderetur. Etiquanquam plures Ordines Imperij, ex lege pacis ad id concurrere obligabantur, quod tamen in conferendo ratam partem vel impotentes, vel incurij, certè segnes notarentur ; & temporum quoq; calamitas augeret mutuandi tantisper æris difficultatem, non minor erat sollicitudo *Christophori Bernardi* tantam debiti summam conquirentis, quam cupido peregrinum educendi militem, ut

ex

ex longinquæ ſervitutis compedibus eximeret gemebundam Diœceſin. Adhæc, quod recedente Cattorum præſidio, ſecundùm pacis conventa, Coesveldiæ munitiones everti oporteret, nec id Haſſi ſolùm, ſed & plures alij, clam licet, urgere viderentur, imò & Conſules Civitatis aucupari favorem militiæ, ut ſub diſceſſum traderent Senatui portarum claves, non parùm quoque diſtrahebat Principis animum tam nolentis ſuis exui munimentis Civitatem, quam alteri â ſe credi vel tradi ejuſdem claves. Incredibili ſtudio ac vigilantiâ huic curæ intentus, nunc cum evocatis ad Comitium Ordinibus Diœceſanis conſultabat, nunc Caſſellis Legatorum operâ laborabat apud Viduam Haſſiæ Principem, Ejuſque Miniſtros, nunc inſinuabat ſe Cosveldiæ præſentibus Haſſicæ militiæ Præfectis, ut voto demùm ſuo frui daretur. Tandem parato partim ære, partim vadimonio, ſatisfacta Haſſiæ Princeps præſidiarium militem ſuum Cosveldiâ educi juſſit, ac foſſis, vallisque illæſis *Chriſtophoro Bernardo* reddi Civitatem. Qui præmiſſo mox *Remuntio* Generali Vigiliarum Magiſtro, receptiſq; ab Haſſico Gubernatore clavibus, è veſtigio ſubſecutus, ac magnifico Comitatu Civitatem ingreſſus eſt. Egit autem Coesveldiæ primùm, ac ſtatim indictis totâ Patriâ ſupplica- 1652.

1652. plicationibus liberatori DEO gratias, præcepitque recurrentium deinceps annorum decursu Dominicâ Theophoriam Monasterienſem ſecuturâ perpetuas agi, quod pace univerſali Imperio redditâ Principatum Monaſterienſem ab Haſſico & hoſtili toto annorum præſidio liberâſſet. Sanè gaudia vix ſatis explicavero, quæ egomet vidi, civium & olim incolarum, qui digreſſo nunc hoſte Lares, domoſque repetebant, ab exilio geſtientes, quod omni jam moleſtiâ defunctis Principis beneficio conceſſum eſſet, fructum pacis toties exoptatum aliquandò deguſtare.

Sed ecce proximum jam militis egreſſum in foribus propè ſtitiſſet protracta ſolutio millenorum aliquot imperialium nummorum; qui inter eam temporum penuriam difficiliùs parati, in ſummâ deficiebant. Ut autem obicem hunc dimoveret Principis ſolertia, abitum ante alios maturantis, vadimonium obtulit; quod nec recusârunt Haſſiæ Principis Commiſſarij, dummodo pignus in Benthemienſi, tunc amico Comitatu aſſignaretur. Et mox præſtò fuêre Nobiles Viri, Joannes *de Beveren* in Devensburg, ac Joannes *Beveren de Twickel* in Havickesbeck, qui Principis deſiderio obſequentes bonorum, rerumque ſuarum Benthemienſium hypothecam utilitati Patriæ prompti conſecrârunt.

Eſt

1652.

Est autem illa *Beverenorum* familia generis splendore & antiquitate illustris; creditur*que* ab eâ derivari Bevernæ Dominorum stirpe, quam è regio ortam sanguine, & amplos in Flandriâ, Galliâ, Palæstinâ terrarum tractus jam ante complura secula possedisse, in sua Flandricæ Bevernæ & Beveranæ Ditionis chorographia probat *Antonius Sanderus*. Profectis nam*que* Godefrido Bullionio & Roberto Flandrorum Comite in terram sanctam, *Theodoricus de Beveren* inter istius sacræ expeditionis comites memoratur. Cui & filius fuit, *Guilielmus de Bevernâ*, cognominatus Princeps Galilææ, & Comes stabilis Hierosolymitanus. Et hunc confirmat, *Mejerus* in annalibus suis filios ac filias in terrâ sanctâ habuisse; Ut ex iis Beverani hujates Sanctum *Erponem* è Ducibus Megapolitanis XVII. Monasterienſem Episcopum, quando & is ab expeditione sacrâ in Westphaliam rediit, verosimiliùs comitati, ab eodem*que* ob gratam acceptorum in Syriâ beneficiorum memoriam (nisi forsan emptione possederint) donati credi possint cognomine Dynastiâ: quam propter amplitudinem in binas postmodum Parochias, nimirùm Orientalem & Occidentalem, *Oest-* & *West-Beveren* divisêre. Ab eo enim tempore in Monasterienſibus fastis, diplomatibus ac tabu-

Origo familiæ Baronũ de Beveren.

1652. lis publicis nomen Beverenorum celebratur: ut ordine pulchro digessit *Joannes Godefridus Baro de Beveren* in Devenburg & Lette, memorati Joannis Filius, Consiliarius Monasterienſis, jurisprudentiæ, politices & historiarum egregiè peritus; qui & genealogicum schema Baronum de Beveren affabrè elaboravit. De quo plura nobis dicendi occasio in loco erit; nunc publicis insistamus.

Ex abductâ per hos dies Hassorum militiâ communem Patriæ lætitiam non multò post auxit recuperatio arcis *Bevergernæ*, sive ut rectiùs fortè nonnulli volunt, *Bevergardæ*. Hanc superiore bello expugnaverant Sueci; Verùm quod nullo pacem post Westphalicam titulo retinere possent, unitarum Belgij Provinciarum Ordinibus consignârant. Ferdinando Electore Colonienſi adhuc superstite, arcis restitutionem Hagæ-Comitis urserant sumptuosâ legatione Monasterienſes, ipsum etiam, ut faciliorem redderent, Lingensem Comitatum empturi. At importuna tunc, nec satis honorifica Auriacis visa est terræ istius venditio, quam vicina fulciebat adeò munitæ arcis opportunitas. *Christophorus Bernardus* tametsi sat gnarus eas sibi vires non esse, ut è florentissimæ tunc Batavorum Reipubl. manibus Bevergernam ferro extorqueret, id tamen postulati sui justitiæ,

27. *Bevergernam arcem.*

Monasterienses repetunt.

Et iterùm Christophorus Bernardus.

justitiæ, & vicinorum benevolentiæ tribuit, ut restitutionem ab eorum æquitate impetrari posse non desperaret. Igitur *Theodoricum Philippum ex Baronibus de Wilich* in Pröbsting (qui nuper sub Hassis Chiliarcha meruerat) Virum & sago devotum, & togæ non inidoneum, Hagam-Comitis ablegat, sollicitaturum Ordines, ut cum nullum ipsi jus haberent in arcem, juxta leges pacis Westphalicæ certò restituendam, educerent præsidiarium militem, vacuamque redderent Episcopo Monasterienſi. Sed hic surdas primùm aures invenit; paulatim verò nonnihil moderatiores; tandem etiam rationi obsequentes, dum scripto fatentur nullo jure arcem ab externo milite teneri, sed uti esset Episcopi Monasterienſis, ita nec debere quæsitâ restitutione diutius eundem frustrari. Verùm executionem non sequebatur par verbis candor. Militem exauthorant & sacramento in speciem mutato, *Guilielmo tertio* Arausionensium Principi vix bimulo transcribunt. *Christophorus Bernardus* visâ tam insigni strophâ, hanc astu fidem ulturus, acquiescebat Ordinum responso. Noverat enim Batavorum animos tunc ab Auriacâ domo alienatos, viduæ Matri hac versutiâ placere tantùm voluisse; cæteroqui si auderet & succederet, ne stricto quidem pugione amissam Bevergernam vindicaturos.

1652.

Sed frustra â Batavis.

Præsidiũ Auriaco transcribentibus.

1652. *Christophor. Bern. recuperat.*

Sub Principatûs exordium præter cu
ſtodes corporis ac cohortem prætorianam
vix alium militem legerat, & nunc etiam
ſuetò remiſſiùs in rebus Martiis agebat
tanquam Bevergernâ poteſtati Auriacæ con
ſignatâ, omnem recipiendi ſpem jam po
ſuiſſet, haud ignarus nullos quam met
vacuos celeriùs opprimi, & occaſionem
aucupandi fortunam eſſe optimam ſuorum
hoſtium ſecuritatem. Hanc cum mi
dexteritate eò promoviſſet, ut præſidiar
nihil minùs, quàm de aliquo in ſe co
natu cogitarent, imò nec Epiſcopum i
Auriacum quidquam auſurum (& ſparſe
rat conſultò hujuſmodi rumores) ſi
tutò perſuaderent, ſuo jam eos aſtui ma
turuiſſe cenſens, ad fallendum ſe com
poſuit.

Stratagemate & quali.

Erat area trans pontem verſùs op
pidum ſubjecta arci, in quam præſidiarij
vel luſtrandi vel exercitij militaris, & in
dies mutandarum excubiarum gratiâ edu
cebantur. Id Princeps cùm notâſſet
ſeptem vernaculos elegit, corpore robu
ſtos, firmos animo, manu promptos, fid
conſtantes, & ingenio vafros, quos ſuc
ceſſivè dierum aliquot per intervalla, n
Auriaci dolum ſubodorari poſſent, Bever
gernam migrare, militiæ adſcribi, & oc
caſioni optimæ intentos eſſe juſſit; u
præſidiariis in hanc aream trans ponte
ducti

ductis ipsi quæsito negotij, moræque titulo, pontem attraherent, eductum militem reditu arcerent, & stratagematis successum signo tormenti bellici aperirent.

Opportunè adsunt arcis & militiæ Præfecto militare præsidium per id tempus augenti, dum sui apud Monasterienses exauthorationem per fida tot annotum servitia, nunc importunam criminati Auriacis adscribi petunt, nec difficiles admittuntur.

Horum omnium conscius simul & architectus *Twickelius*, vir generosus & militiâ probatus, qui cùm Bevergernæ, uti & Rheinæ Satrapam ageret, vel ideò ardentiùs etiam arci recuperandæ intendebat. Vix quinta excurrit hebdomas, dum præsidiarij stipendia recepturi ad oppidum educuntur, relictis unà cum Præfecto ad stationem iis, qui destinati stratagematis authores, suam interim commilitonibus excubiarum operam, & ante Monasterienſi Principi fidem obstrinxerant. At hi, digressis vix aliis, Præfectum nihil mali suspicatum cubili suo ocyùs obserato includunt, & attracto mox ponte aditu reversuros arcent, deinde tormentum laxant prosperi tesseram successûs. *Twickelius* per eos dies continuæ venationi per speciem intentus, monitus bellicæ machinæ signo, cum selectissimis armatis & numerosâ rustico-

Cooperante Twickelio.

sticorum manu citus advolat; quinquaginta circiter & inter hos scalarum portitores per fossam viâ sibi notâ immittit; quibus muro admotis, ubi depressior erat, partim conscendunt, partim brevitate scalarum falsi â castellanis in arcem attolluntur. Ipse cum cæterâ phalange municipium ingressus contra præsidiarios rectâ movet, sed hi, dum insolitâ jam tormenti laxatione acciti occupatam arcem & dolum serius deplorant, undique nunc â Monasterienſibus obsessi facilè tot armatorum arbitrio se dedunt. *Twickelius* igitur Auriacis exarmari jussis, demisso mox ponte arcem intrat, collaudat vernaculos, Præfectum honestè custoditum videt, pecuniam stipendiis destinatam reperit, & festivâ statim tormentorum omnium laxatione, nuncioque pari festinatione expedito *Christophorum Bernardum* votorum suorum compotem declarat. Ita arx totius Diœceseos munitissima, altissimis undique & latissimis aquis ac paludibus cincta, difficilis accessu, nec facilis expugnatu, sine ullius jacturâ militis absque sumptu & hostium irritamento tam facilè, incruenterque in potestatem Principis venit. Erant quibus stratagema improbabatur, quod de Batavorum mente non satis securos daret fama; & metum incuteret Tutorum Auriaci potentia, qui

Nonnullis improbantibus.

teme-

1652.

temeritatem vix adhucdum armati Præsulis facilè ulturi crederentur: addebantq; nonnulli Matrem viduam, amissæ arcis dolore percitam, infantem Principem utraq; manu sublevâsse, comminatam illum ipsum fore, quem aliquando vindicem Monasterienses experirentur. Et erat in recenti omnium memoriâ *Auriacum* ipso eodem die natum esse, quo *Christophorus Bernardus* Monasterienſium Episcopus eligebatur; quasi electionis ille & natalis diei concursus præmonstraret æmulationis incommoda, olim futuræ. Et hic est ille *Guilielmus*, qui superatis adversantis initiò fortunæ vicissitudinibus, in Majorum munia restitutus, Batavorum hæreditarius Gubernator, ac terrâ, mariq́ue cum summâ potestate militiæ Dux, nunc etiam magnæ Britanniæ Rex audit. At verò *Christophorus Bernardus*, crescente tunc in horas Batavorum ab Auriacis aversione, istius Reip. quotidiè securior; Divi Augustini in Augusto diem, quo Bevergerna recuperata fuit, tum & annuè augustiorem habuit; augustoq́ue illo Sanctorum Ambrosij & Augustini hymno, ob successum tam felicem opitulatori DEO gratias agens, milite & quidquid Auriacorum erat, centenis curribus benignè dimisso, quietam arcis possessionem continuavit.

Sed immoto Principe.

28. *Augusti.*

1652. 28. *Monasterienses moliuntur novum propugnaculũ.*

Sub hæc moliebantur Monasterienſe propugnaculum ad Divi Ludgeri portam quod urbi eò loci munitionibus haud ſati proviſæ neceſſarium judicabant. Neque Senatus abnuebat, potiori parte ad id inclinatâ. Sed multis quod hortorum opportunitate exuerentur, privatâ jacturâ ſollicitis, plurimis autem ærarij difficultatem obtendentibus propugnaculum ædificari tunc quidem intermiſſum eſt. Placuit tamen Civitati conceptam munimenti formam, veſtigiumque per aliquem machinariæ rei præfectum, deſignato extra portam loco, palis ac limitibus diſtinguere; nec enim idcircò perficiendi operis neceſſitate compelli. Collegium Cathedrale jurisdictionem ſuam (quam tunc adhuc Urbis portæ, foſſæque terminabant) eâ operis novi molitione violari interpretatur, compertoque ſolenni urbem denunciatione ne quidquam moveri, perticas Dominij ſui fundo inſertas extrahi jubet. Magiſtratus, quod videret plenâ die, ſe coram ad Urbis mœnia, tantam Collegij miniſtri confidentiam eſſe, actutùm capi eos imperat ac vinculis demandari. Capitulares ſuper publicam juriſdictionis violationem privatâ pariter injuriâ irritatos ſe queſti, Principem interpellant, ut ſuorum ipſe cauſæ proſpiciat, nec contra jus, faſque Capituli juriſdictionem, eâ propugnaculi extru-

Ortainde controverſia.

extructione, comminui patiatur. Accitus igitur ad Principem Senatus, causam dixit, non fuisse istius Cives animi, ut inscio, invitoque Cathedrali Collegio munimentum extruerent, sed istâ tantùm dimensione conceptam papyro formam paulò distinctiùs notâsse, ut pluribus, planiusque constaret, & si vel sic arrideret fortè, justis super fundo conditionibus cum Capitulo convenirent. Nec sperâsse invitum illud, præsertim quod ad sui quoq; ac totius Cleri tutelam viderent pertinere. Princeps verò incarceratorum dimissione, viâq; concordiæ imperatâ, natas super infixis tunc, turbatisque perticis simultates quidem diremit: Verùm eæ biennio post, quandò Civitas posthabitâ Capituli contradictione, extendendis fossis, vallisq; suis intenta, prænotatam hoc anno molem perfecit, supra modum recruduêre. 1652. *A Principe componitur.*

Nunc verò ad dictas omissæ munitionis causas & alia accesserat ex novâ, subitâque Urbis calamitate. Erat hæc æstas, ut pauca ea historiæ superaddam, continuato si unquam tonitru memorabilis, præsertim quod nullo ferè per confines Provincias damno, in sola hac Diœcesi sævire videretur. Etenim Monasterij, ne plura memorem, turris nitrati pulveris receptaculum, ipso Commemorationis D. Pauli festo, tacta fulmine, ingens urbi 29. *Fulmine incensa turris*

1652. *magnam ſtragem edit.*

damnum importavit. Ipſa dum funditùs evertitur, ſuperiori parte in altum expullâ, expanſâque, vicina quævis ſternit, ac disjectis procul lateribus ædes tectis paſſim, feneſtriſque vitreis denudat, nullo ſacrarum, profanarumque reſpectu. Fragor erat tam horrendus, ut quatefacta urbs ſuis ſe domibus tumulari crederet, & ſuam quisque rem agi ratus, parietem non proximum ſed proprium ardere; donec erumpens pulverea peſtis incenſæ turris indicium haberetur. Quò cives ære jam campano acciti, inter continuata ac permiſta nimbis fulmina concurrebant, videbantque ſtragem profectò miſeram, oppletas tectorum, murorumque ruinâ plateas, proſtratas juxtà domos, multos hominum incendio pariter hauſtos, ac ſubverſis parietibus conſepultos, alios miſerando etiam ſpectaculo debilitatos. Accurrentes pleriique è Religioſorum familiis ad miſerorum diſcrimina adhuc vociferantium, manuſque protendentium, opportuno non paucis perfugio fuêre. Inter hæc obvenit, quod in admirationem ceu miraculum traxit non paucos. Erat Carnifici, qui domum habitabat turri contiguam, filiola inter alias novennis. Hæc invaleſcente tonitru Litaneuticas DEI paræ preces, â Laureto dictas, conſtanti pietate recitabat. Inflammatur interea pulvis, turris

Mirè puella præſervatur.

turris evibratur, domus oppressa corruit, ipso Carnifice, famulis, liberisque omnibus subitò elisis, uxore lethaliter sauciatâ. Sola puella hæc tantæ stragis unicè secura propitiam DEI Matrem sentit, & vacuo quasi pendens aëre, ab advolantibus subtracta periculo, illæsa & incolumis evadit. Profectò exemplum junioribus ac adultis juxtà imitandum, quo ad afferendam in hujusmodi vitæ, fortunarumque discrimine constitutis opem, superi provocentur. Majora poterat damna intulisse ferale fulmen, nisi divina bonitas restincto effusis imbribus incendio, funestiori ruinæ antevertisset. Quod idem ante biennium obtigerat ipso in sanctiori hebdomadâ Christi patientis die, cum in sulphurei pulveris molam, ad portam *â novis pontibus* appellatam, injectum casu ignem pulvis comprehenderet. Nam desperatâ flammarum extinctione, quippe carbonibus in pulveraria vasa, attenuatis tantùm assulis tecta, cumulatim decidentibus, fugam quisque, non auxilium meditari. Alij confugere ad remotissima Civitatis loca (clausæ enim portæ exituros arcebant) plurimi pretiosa quæque incendiorum injurijs subtrahere, nec pauci conscendere dissitarum turrium apices, ultimam scenæ catastrophen, rerumque suarum ruinam conspecturi, futurique olim

1652.

Periculum Civitatis biennio ante.

apud

1652. apud posteros tantæ cladis oculati testes. Ita plerisque fugientibus, nonnulli è Sacris familiis audaciores accurrunt, magno ausu conscendunt turrim, ignem in doliorum tegmina lapsum ejiciunt, alibi restinguunt imperterritè; neque deterrebant fortes animos stillæ liquidi ab ardente flammâ, labentisque è tecto plumbi, vestes, cutemque adurentis: quorum profectò omnium memoriam, exempli interesset ad posteros nominatim extendi, si mihi æquè promptum fuisset eorum observare nomina, ac admirari virtutem. Atq; ita restinctâ tunc flammâ, DEI beneficio Civitas â ruinâ conservata est. Et nunc etiam, quod minus Urbi damnum illatum sit, adscribebant quorundam Incolarum pietati, quam apud pleroſque, secuturas adhuc strages subveritos tantoperè promovit continuatum sequentes aliquot dies tonitru, ut in ipsis adeo plateis Sacerdotes aures pœnitentibus accommodare cogerentur, paucis repertis, qui non suorum clade territi delicta commodiori minimùm tempore exponerent. Fuêre qui jam olim (ut vaticinationes hujusmodi eventa plerumque sequuntur) affirmabant visam urbem ardere; cumque alii callidè magis, an verè in vulgus spargerent, adhuc atrociora prodigiis etiam præmonstrata, inter metum, terroremque immensùm

1652.

mensùm pietatem augebant. Senatus verò ad antevertendum tantæ impoſterùm cladi, ſi præter ſpem perſimili fortè periculo rursùm involvi Civitatem contingeret, juſſit tormentariam hanc peſtem per plures in mœnibus turres diſparari.

30. *Indicuntur Comitia Imperij.*

Intereà *Ferdinandus Tertius* generalia totius Imperij Comitia Ratisbonam indixerat, quibus communibus Procerum Germanorum ſuffragiis, reliduo adhuc â belli ſævitie malo conſuleretur. Iſthuc etiam advolare ſtatuit *Mallingrotius*, ut ſuam Imperatori cauſam multorum (ſic enim ſperabat) Magnatum patrocinio coram ſtudioſiùs commendaret. Et jam tum ex induſtriâ fortè quorundam fautorum ad conciliandam viro famam, perhonorifico Burgundici Legati munere functurus, publicis etiam inter Tabellariorum nova typis callidè vulgabatur: reſque credi cœpta, quod ab Hiſpano ad Tractatum pacis quondam Legato, tunc contubernali, in aulâ commendatus putaretur, poſtea compertum eſt, merum fuiſſe commentum.

Inauguratio Principis.

At verò *Chriſtophorus Bernardus* ad eam Comitiorum diem, inſtar cæterorum Principum Imperij, honorificè invitatus, noluit in viam ſe dare, priuſquam ſolennis more majorum inauguratio præceſſiſſet. Id enim hactenùs diſtulerat, ne reſpiranti paulatim patriæ cumulatis ſumptibus

bus esset gravior, sed idem qui futuri itineri, etiam inaugurationi, magnâ saltem parte, serviret apparatus. Igitur *octavo Kalendas Octobris*, qui dies Marti sacer festivo ingressui decretus, Ordinibusque indictus erat, sub octavam matutinam, ingenti pompâ *Princeps* cum suo comitatu, & eo quidem ordine, quem in introitu Civitatis observatum paulò post recensebo, ex arce *Wolbecâ* prodibat *Hiltropium* pagum versùs. Aliquantùm progressi â numerosâ millenorum agrestium phalange, lætâ scloporum explosione de viâ salutantur. Haud procul â pago, *Ordo Equestris* nunquam antè sic visus, bipartito agmine suum in campo Principem expectabat. Ad quem tandem, isthuc vectum, quatuor è Nobilitate selecti, dimissis equis pedites advolant, dextramque è rhedâ descendentis cursim osculati per *Everwinum Drostium* Oratorem suum, novum Principi Imperium gratulantur. Quibus *Bernardus Wiedenbruckius* Principis Consiliarius intimior, quum longâ oratione ex tempore respondisset, ad sellas, equóque reduces, conjuncto agmine incedunt. Vix ad quatuor teli jactus progressos in eodem agro Hiltropiensi præstolabatur *Cathedrale Collegium*, plurimis vectum rhedis, & famulitio in modum turmæ distributo. Ubi egressum è sellâ

Ex Castro Wolbecâ prodit.

Propè Hiltropium Pagum occurrit Nobilitas.

Nec indè procul Capitulum Cathedrale.

1652.

sellâ Principem datis mutuò dextris salutatum, *Albertus Boickhorstius* Orator tum erudito, tum gravi sermone excepit. Cúmque *Wiedenbruckius*, post actas palam gratias, deprædicatâ Principis in Patriam curâ ac sollicitudine, multísque jam tum laboribus pro eâ exantlatis, responsa paria reddidisset, & Princeps & Canonici dimissis rhedis equos conscenderunt. Atquè ita ad Urbem nunc contendentibus, haud indè procul, obviam venit ingens primorum è Civibus equitantium agmen, facilè supra ter centum, *Herdingio* Consule & quibusdam ex Urbico Senatu Ductoribus. Hi ad Principem pileo tectum, & equo insidentem cum Oratore suo pedites accedebant, intérq; gratulandum flagitabant, Cives porrò, uti fideles, devotósque subditos paterno affectu prosequi dignaretur. Cúmque per *Wiedenbruckium* annuisset Præsul, civilis equitatus in Urbem festinus retrocessit.

Propius Urbem Cives.

Sequebatur è vestigio *Christophorus Bernardus*, instructo hunc in modum comitatu. Anteibant equitum turmæ ductore *Meinershagio*. Hos certo intervallo comitabantur tria famulitij agmina, nempè Collegij Cathedralis, Ordinis Equestris, & Nobilium Aulicorum. Dextrariis ac phaleratis equis succedebant æneator & Tubicines; exin juvenes generosi, quos cubiculi

Ordo, introitûs & pompa.

1652. cubiculi sui ephebos adsciverat Princeps. Post hos Equestris Nobilitas Monasteriensis; deinde Satraparum ac Nobilis Aulicorum Phalanx, quam *Burchardus Baro Westerholtius* Lembecæ Dynasta, ceu aulæ Mareschallus ducebat. Medius equitabat Princeps gladio cinctus, prætorianorum viginti quatuor lateris custodum utrimque stipatus; juxta quem *Merveltius* Cancellarius, *Wiedenbruckius*, & *Bruckhausius*, qui â consiliis intimis, secretisque erant. Hos proximè sequebantur Dignitates ac Canonici Ecclesiæ Cathedralis tum prætoria cohors, & cætera promiscua aula, quam plurimæ elegantes rhedæ excipiebant; demùm aliquot equitum cohortes claudebant agmen. Hoc ordine Princeps, inter tormentorum boatus, Civitatem ingreditur, tot illustribus comitatus, tantâ hinc equorum, indè rhedarum pompâ concertantibus, tantâ mortalium frequentiâ, partim occursantium per vias, partim prospectantium è tumulis, fenestris, tectisque ædium, rarò ut iis in locis quidquam magnificentiùs, splendidiúsve spectatum sit.

In ingressu ad D. Ludgeri Princeps offert.

Præsul mœnia jam subingressus, postquam in arâ ad D. Ludgeri erectâ, Protomystæ honori aurum obtulerat, inter dispositos per vias ac fora armatos cives capitáque adpronantes, ad sacrum Michaelis

Sacel

1652.

Sacellum rectâ perrexit. Cujus ad gradus ex equo descendit, quem cum omni ornatu suo, tradidit *Baroni Drostio de Vischering* tunc *Heidenrico* Satrapæ Horstmarienti & Ahusano. A multis námq; seculis observatum est huic Drostiorum familiæ donarium hoc deberi. Tum ædiculam conscendens, chlamyde, ense, pileo exutus est; sed mox Pontificali amictum paludamento præsens excepit Clerus; ac longo ordine in D. Pauli Basilicam deduxit. Ubi Sacramento Patriæ dicto musicum inter melos, & applaudentia subditorum vota in Episcopi solio & Principis throno collocatus est, *quinquagesimus septimus Monasteriensis Antistes. Clerus omnis flexo poplite considentis dexteram devotè osculatus* debitam Præsuli suo venerationem & obsequium vovit. Sed ad palatium Episcopale eâdem Pontificali pompâ reducto Equestris Nobilitas *datâ manu* fidem stipulabatur. Tandem ingentis lætitiæ signa cives edere, tormentorum, scloporumq; explosione sæpius repetitâ; lætos audiri in turrium peribolis tubarum concentus; festis compita ignibus collucere; instrui passim convivia; in aulâ verò Proceres triduò sic litare, ut nihil defuerit, quod tantæ hilaritati serviebat. Nec inter illos Ordinum plausus suis Musæ partibus defuerunt; namque ipso auspicati Principis in Urbem ingressûs die *Societas*

Ad D. Michaelis caballo donat Baronem Drostiũ.

Deducitur ad Cathedralem.

Isthic Clerus.

Sed in palatio Nobilitas obedientiã spondet.

1652. JESU, & *Bernardus Rottendorffius* C. ſareus ac variorum Principum Medic amans politioris litteraturæ vir, ſcriptiſq clarus, ac plures alij, gratulantium turbis m miſti, probata eruditis metra inaugur Præſuli conſecrârunt.

Urbs poſtridie juramẽtum præſtat.

Alterâ die, poſtquam ſolenni ſacro in a ſummâ Princeps interfuerat, evocati Co ſules Civitatis Monaſterienſis coram Sena toto ac Tribuum Magiſtris, in areâ Cath drali, inter Propylæum Eccleſiæ (Paradiſu vocant) & D. Jacobi ædem, vetuſtiore ſ tiliâ (quæ nunc extirpata eſt) conſueto m Sacramentum Principi dixerunt.

31. *Tentatur concordia cum Mallingcrotio, ſed infectâ re.*

Exindè *Chriſtophorus Bernardus* an iter Ratisbonenſe â pleriſq; Civitatum fi matam jurejurando obedientiam, fidelit temq; pariter excepit. Et quia nonnulli po ſuaſerant exploratum *Mallingcrotij* an mum in compoſitionem propendére, pla cuit, antequam itineri ſe accingeret, ſæpiu licet fruſtrà tentatam iterùm experiri. Quar quam enim eâ controverſiâ ad illuſtrior Germaniæ Academias Colonienſem, Ingol ſtadienſem & Herbipolenſem relatâ, vi Theologiæ & jurium peritiſſimi, *Mallin crotium* non modò ritè ſuſpenſum, ſed po ſufficientem utriuſque confirmationis no titiam, tam irreverenter contumacem, be neficiis, proventibus, dignitate privari poſ enunciaverant; Princeps tamen & Capitu

lare

lares, posthabito rigore, has illi conditiones obtulerunt. *Retineret Decani nomen, Dignitatis ac beneficiorum proventus omnes; nec quisquam vivo subrogaretur; publicis tantum congressibus non interesset.* Enimverò *Mallingcrotius* rejectis cum stomacho istiusmodi postulatis, iræ præceps, convitiis primùm lacessere Conciliatores tam indigna ausos obtrudere; mox insimulare Capitulares, Principem, ipsosque Purpuratos injuriarum. Ad hæc corruptos muneribus Electionis Judices; Commissarios, qui censurâ Suspensionis immerentem irretiverint, partibus implicitos; se interceptis persæpè litteris haud sufficienter unquam auditum; ipsorum etiam alibi Procuratorum perfidiam causatus, omnem postea componendi viam præcidit. Sic de concordiâ agitatum sæpè, toties incœptâ, toties infectâ; culpâ â Capitularibus in *Mallingcrotium*, & ab hoc in illos pari utrinque studio reiectâ. 1652.

Majoribus intereà curis intendebat *Christophorus Bernardus*. Burggravios Strombergenses cum Noribergicis, Magdeburgicis, & Reinecciis, inter Primores Imperij Romani, quondam numeratos nemo rerum Germanicarum peritus ignorat. Sed iis aliàs suppressis, diviso inter debellantes territorio, quamvis *Stromberga* ipsa, & potior pars, Monasterienſibus attributa sit; majores tamen neglecto publico jure privatæ duntaxat utilitati acquieverunt. *Christophorus* 32. *Princeps assumit titulum Burggravij Strombergensis.*

1652. *Bernardus* ex nuperâ pacis dicetâ doctio
quid vota Principum, quid plura poſſe
jura Burggraviorum vindicaturus, Ratisb
nam abire noluit ſine tituli comitatu *Bur*
gravij Strombergenſis; non tam eo
quam Eccleſiam ſuam ornaturus. Nec o
ninò inanem fuiſſe eventus docuit, cum
poſteà nomine inter Imperij Principes ſuffr
gio & ſeſſurâ publicis in Comitiis potire
Sed & aſſumpto *Dynaſtæ Borculoënſis* tit
Et Dynaſtæ Borculoani. lo, quod hactenùs nemo fecerat, avulſ
ab Imperio, patriâque *Borculoam* utriq
rurſùs adjicere exinde totus adnitebat
Quid autem hoc fuerit, quæve ejus orig
cum â pluribus diverſè nimis, neque ſinc
rè ſatis referri, tot ſcripti poſt hæc codic
teſtentur, haud alienum arbitror â princip
paulo latiùs explicare.

33. *Borculoa* non mediocris in Weſtphal
Borculoæ ſitus. ditio, Principatu Monaſterienſi, Comitat
Zutphaniæ & Provinciâ Tranſiſalanâ cin
gitur. Hanc ſeculis aliquot primùm *Dodin*
Primi poſſeſſores. *werdij*, deinde *Brunckhorſtij* ab Epiſcop
Monaſterienſibus beneficiariam tenuerun
Sed *Judoco Brunckhorſtio*, qui poſtremu
ejus gentis fuit, Anno ſupra ſeſquimille
mum quinquageſimo tertio, ſine liberis de
cedente, *Guilielmus*, ex illuſtri *Ketteler*
Poſſeſſio Monaſterienſis rum familiâ, eâ tempeſtate Monaſterienſi
Princeps, uti caducam poſſidere cœpit
Mariæ Hojanæ, *Judoci Viduæ*, ſolo uſu
fructu ad vitam permiſſo. Reliqua ver

Judoc

1652.

Judoci hæreditas post obitum *Mariæ*, cessante usufructu, obtigit *Irmgardi Wischiæ*, quam *Georgius* Limburgi Comes *Styrumensis* Viduam reliquerat. Hæc cum esset *Judoci* consobrina, tanquam sanguine proximior, & patrimonij hæres, etiam feudi investituram â Monasterienſi flagitabat. Quod idem cum *Rudolphus Diepholtij Comes*, Ejusque liberi & *Brunckhorstius Batenburgi Dominus*, pari jure contenderent, investitionis litteræ, ut quisque (salvâ tamen Monasterienſium possessione) viâ juris causam agat, sivè ut vocant, *ad effectum agendi*, Anno seculi præcedentis quinquagesimo sexto singulis concessæ sunt.

Contrà lis ab aliis intentata.

Ergo duodecim electi Judices (*Pares Curiæ* appellitant) qui controversiâ ad se relatâ, auditisque partium omnium argumentis post longas tandem disceptationes, causam plenissimè instructam *Argentoratum* transmisêre, ut istiates Jurisperiti, quod ab omnibus remoti, addictique Religioni Protestantium, â partium studiis maximè alieni crederentur, justâ litem decisione terminarent. Et hi quidem argumentis singulorum prudenter expensis, acta integra (quæ ultra mille sexcenta folia continebant) pari, quâ missa fuerant sollicitudine, clausa Monasterium remisêre. Ubi evocatis partibus, sigillisque in omnium Procuratorum præsentiâ reseratis, eodem Anno M.D.LXX. quinto Idus Julij, prodit sententia, quâ Argen-

A Paribus Curiæ definitur.

tinenſes *Borculoam Limburgo-Styrumenſibus* & *Diepholtiis* abjudicatam, ceu feudum maſculinum morte ultimi Vaſalli Domino ſuo apertum, Epiſcopo & Eccleſiæ Monaſterienſi adjudicârunt.

Limburgia appellat Spiram.

Irmgardis & Diepholtii haud iſto judicato contenti, ad Supremum tunc Imperij Dicaſterium Spiram provocavêre; ubi cauſa etiam ritè introducta & acriter plures annos agitata, finem expectabat. Sed *Judocus Limburgi & Brunckhorſti Comes*, defunctæ jam Irmgardis ex filio Hermanno Georgio & Mariâ Hojanâ Nepos, Anno ſeculi hujus duodecimo, ſub Februarium Menſem, *Arnhemium* ſe vertit, & pro redintegrandâ poſſeſſione implorat ſupremam Gelriæ ac Zutphaniæ Curiam; Borculoënſem namque Dynaſtiam ad territorium Comitatûs Zutphanici pertinere.

Ejus Nepos Gelriæ Curiam implorat.

A quâ citantur Monaſterienſes.

Nec Arnhemienſes ad *Limburgij* poſtulationes ſurdi, mox *Ferdinandum* Electorem tunc Epiſcopum, nec non Collegium Cathedrale, & Concilium Provinciæ Monaſterienſis, edictali citatione in jus vocant. Enimverò *Ferdinandus* tam inſolitam juris viam demiratus Joannem *Hobbelingium*, virum habilem, qui Concilio Monaſterienſi â ſecretis erat, confeſtim ablegat Arnhemium, ut Gelrienſem Curiam legitimum neget Principum, membrorumque Imperij Tribunal; ac maturè tam incompetens forum declinet. Nec ſolùm fecit id ſolerter,

Sed hi declinant forum.

ſed

1652.

sed præterea (quanquam præfatus nolle id Monasterienſibus fraudi esse, si ipsi, qui legitimum rei hujus Judicem tantummodò Cæsarem haberent, redderent aliis rationem ditionum suarum) enucleatiùs demonstravit, Borculoam liberum hactenus Dominium, præterquam Dynastæ & Imperio, nemini aliquandò paruisse. Nullam unquam supremæ Jurisdictionis potestatem in eam exercuisse Gelriæ Duces aut Ordines; sed ab iis agnitam, tractatamque semper, veluti separatam & amicam sibi in viciniâ Ditionem: sexaginta nunc annis possessam, ac subditam esse Monasterienſi Principatui, nullâ Gelrorum aut Zutphanienſium contradictione. A Styrummenſibus quidē investiturā feudi petitam, sed extra effectum agendi justâ quoque de causâ pernegatam. Litem super proprietate coram selectis Paribus Curiæ decisam, adjudicatamque Ecclesiæ Monasterienſi; provocatum quidem à Styrumenſibus ad Dicasterium Spirense; sed isthic & possessionem quoque, jam tum Anno superioris ætatis septuagesimo octavo Supremi Judicis sententiâ Monasterienſibus firmatam; & adhuc hodiè super proprietate ventilari litem appellationis, adeoque ab iis, qui Cæsareum ipsi Tribunal elegerint, injustè nunc ad Gelrienſem Curiam deflecti; quippe causam possessionis in eodem, coram quo proprietatis lis cœpta sit, judicio terminari oportere.

Et quære.

At

1652. *Exceptiones has rejiciunt Gelri.*

At Ordines Gelriæ rejectis hujuſmodi exceptionibus, poſthabitis quoque variis, ſeveriſque Cæſareis contra Comitem mandatis Anno ſequente, die nonâ decimâ Novembris *ſe Superiores declarant*; utque conſtituto Procuratore litem, coram Gelriæ Curiâ, ad preces Comitis intentatam, & ipſi proſequatur, Ferdinando Principi injungunt. Deindè Anno decimo quinto ſub Decembrem in contumaciam Ferdinandi nihil agentis, Actorem Comitem, *donec in petitorio judicio aliud ſtatuatur*, arcium & Dominiorum Borculoæ ac Lichtenfurti poſſeſſorem pronunciant; & unà Monaſterienſes ad reſtitutionem ſeu compenſationem perceptorum fructuum, ſive juxta æſtimationem Anni M. DC. XXII. in quingenta viginti quatuor florenorum millia condemnant. Proximo poſt anno, videlicet ſeculi hujus decimo ſexto, armatâ manu utrámq; arcem occupant, & ejectis Monaſterienſium Miniſtris ac militibus, magnâ Religionis & rerum omnium converſione, Comitem in earum poſſeſſionem immittunt.

1613. *Et condemnatis Monaſteriēſibus*

3. *Maij.*

Limburgium in poſſeſſionem immittunt.

Ferdinandus Septemvir hanc juſtitiæ formam, vim & violentiam interpretatus, Cæſarum, Regum, Principum & Imperii totius auxilium, authoritatemque implorat. Nec ij quidem abnuerunt, quin ſtatim Cæſar literis toties, & tam ſeverè, ſub proſcriptionis etiam pœnâ repetitis, primum *Judoco*

Parenti,

Parenti, dein filio *Hermanno Ottoni* restitutionem demandavit, & ipse & Reges Danorum, multique Electores ac Principes Germaniæ, eam agendi severitatem Uniti Belgij Ordinibus sæpissime dehortati sunt. Sed hi, monitos jam Gelriæ Proceres, eósq; audiri oportere, quorum ipsi jura statûs & judicata, obstante lege Unionis infringere non possent, plerúmque responderunt; subindè etiam pronos se dissidentium compositioni offerre. 1652. *Quid ad hæc Monasteriēses.*

Et Gelrorum constans erat assertio, Borculoanum ac Lichtenfurtense Dominia ad suam Provinciam pertinere; nec ita se solos, sed & plures ex sociis Provinciis, earúmque Supremis Curiis consultos judicâsse. *Styrummensis* verò fortunis se ac facultatibus suis, non tantùm beneficiariis, sed & ab omni clientelâ liberis, earumque possessione per vim exutum, ac tantis utilitatibus tot annos fraudatum, nec jure restitui in Imperio potuisse; imploratam justè Gelriæ Curiam causabatur: nunc etiam Ordinum authoritate sibi interdictum, ne Cæsarum mandatis paréret, haud eam mereri sugillationem processus suos sentiebat. *Quid Gelri.* *Quid Limburgius.*

Et currentibus prosperè primùm Batavicis, tum Succorum, Hassorumque armis, monitus non rarò inter minas satisfactionem præreptorum fructuum Ferdinandus, obtulit aliquandò investituram Styrumensi,

1652. *Quid Ordines Belgij.*

dummodo eam pecuniæ vim remitteret. Hanc Batavi conditionem ita temperabant, ut Comitem ceu Vasallum, ejusq; descendentes Borculoensi Dominio, adinstar Prædecessorum quondam Dynastarum Ferdinandus investiret; causam verò præreptorum fructuum relinqueret Ordinum arbitrio. Congressus varij hac super re habiti; sed acta omnia, mandata, litteras, & argumenta partium, quæ libros integros complerent, hoc loci referre nostri instituti non est. Sufficiat nunc, partes convenisse toties & nunquam convenisse.

Frustrà tentata sæpiùs concordia.

Horum omnium maximè gnarus erat *Christophorus Bernardus*, & quod non solùm inter ea tractatuum tempora, causam uti

1642. 6. *Julij.* *Prodit Spiræ definitiva.*

desertam pronunciâsset Tribunal Spirense, eamque remisisset ad Judicem primævum; sed & ipse hoc Octobri mense rescriptum *Executorialium* impetrâsset, quibus *Adolpho* Comiti, Hermanni Ottonis filio, & Irmgardis Trinepoti rigidè imperabatur restitutio Borculoæ; lubuit Ratisbonense ante iter explorare animos vicinorum, si fortè pacatâ nunc Germaniâ spes recuperandi mitior affulgeret. Scribit itaq; Comitatûs Zutphaniæ Deputatis: *Arcis & Dominij Borculoënsis, quæ solius Imperij essent, habitâ possessione ad instantiam Comitis Styrummensis armatâ manu, sed injustè, turbatos olim Monasterienses. Properare se nunc Ratisbonam*

17. Oct. 1652. *Urget executionem*

1652.

tisbonam ad Comitia isthuc indicta, ut q3 de statu causæ Borculoënsis Cæsaream Majestatem penitiùs informet, super restitutione desiderari Deputatorum explicationem. Respondent ij. *Restituere Borculoam non esse potestatis suæ, sed totius Belgij Confœderati, aliud â se nec responderi, nec dissoni posse.*

Christ. Bernardus. 5. *Nov.* 1652.

Hthoc responso neutiquam contentus *Christophorus Bernardus* Nicolaum *Westerholtium* Westerholtij Dominum, & Albertum *Boickhorstium* Collegij Cathedralis Oratorem, Arnhemium ablegat, ut compertam magis habeat Ordinum mentem. Et hi quidem sub Decembrem in publico Gelriæ Concilio auditi, longâ oratione conati sunt Curiæ Arnhemiensi persuadere executionem sententiæ Spirensis. Quæ cum post negatam Comiti *restitutionem*, uti vocant, *in integrum*, & expedita tot executionis rescripta, magis etiam confirmata esset; non præsumi ullum fore, qui rei adeò justæ, & unà tot Cæsarum mandatis adversaretur. Et quoniam nuperæ pacis lege cauta esset Circulorum Imperij redintegratio, quò spectaret restitutio Borculoæ ad Westphaliam pertinentis, nolle Principem Monasterienssem in proximis nunc Comitiis ad aures Cæsaris vel Principum Imperij deferre, quæ saperent amicæ vicinitatis læsionem; sed idcircò malle nunc explorare mentem Concilij Gelrien-

Ablegat suos Arnhemium.

Eorum propositio.

sis,

1652. sis, quid de futurâ executione arbitretur; ut Cæsar, ut Electores, ut Imperij Principes super eo veriùs possint informari: Cumque sententia in *possessorio*, hîc quondam lata, gravissimum fuerit attentatum, & â Cæsareo Judicio jam pridem antiquatum; ipsaq; ejus verba habeant, *donec in petitorio*, nimirùm â Spirensi Camerâ *aliter judicetur*; & absq; eo triti juris esse *possessorium â petitorio* absorberi; ideò confidere se, modicâ dignam consideratione tam salutares effectus non impedituram.

Gelrorũ responsio. Paucis diebus post, respondent Arnhemiensis Curiæ Senatores. *Ottonem Comitem, Ejúsq; Parentem, & Avum, authoritate non Gelriæ tantùm, sed Provinciarum omnium Unitarum, quibus juramento obstricti erant, severè prohibitos, ne parérent mandatis Cæsarum, aut fieri quid permitterent supremæ noxium jurisdictioni Ducatûs Geldriæ aut Comitatûs Zutphaniæ, vel ipsi sententiæ in hac Curiâ olim latæ; átq; ideò nec iis posse, nec debere fraudi esse aut damno, judicatum Dicasterii Spirensis. Sed nec toleranter passuros se, si quid ejus occasione molestiarum sentiret Comes. Sperare interim mitiora, tum ad evitandam Jurisdictionis confusionem, quæ ex eo, quod Borculoa extra Imperium sita sit, lædenda crederetur; tum ut acquies-*

cat

1652.

eat Gelriæ Advocatus, ne alia capeſſere media, aut ipſos uniti Belgij Generales Ordines implorare cogatur, ſententiam Arnhemienſem, favore Comitis, armatâ etiam manu, exequi jam pridem animatos. Quâ datâ reſponſione Ablegati Monaſterium redierunt. Et quamvis fruſtrà tunc quidem ea Legatio inſtituta ſit, poſteà tamen, ut in hiſtoriæ decurſu porrò narrabimus, nihil unquam intermiſit *Chriſtophori Bernardi* ſollicitudo, quo *ſuam* (ſic enim appellare conſueverat) Patriæ denuò poſſet unire *Borculoam.*

34. *Chriſt. Bern. abiturus Ratisbonam de ſtatu Diœceſis diſponit.*

Sub hæc peractâ jam bimeſtri potiſſimùm ſpatio, per alias etiam Civitates inauguratione, dictoque ab omnibus propè ſubditis fidelitatis ſacramento *Chriſtophorus Bernardus* ad iter Ratisbonenſe ſe parat. *Furſtenbergium, Merveltium, Wiedenbruckium* Conſiliarios monet, qui Ratisbonam comitentur. Concilio Monaſterienſi imponit *Judocum Ethmundum Brabeckium* Cathedralis ædis Theſaurarium, Eidemque poteſtatem facit, qui vices abſentis gerat, & quaſi Pro-Princeps, Concilio tamen innixus, abſentiâ durante Provinciam moderetur. Vir erat virtutum æquè ac natalium ſplendore illuſtris. Ingenium ei præſens ac promptum, judicium excellens, modeſta gravitas, comitas ſuavis, & hæc mirâ actionis alacritate, ac dictionis flumine temperata. Majoris illum

Brabeckius Pro-Princeps.

ob

1652. ob haſce dotes, quam ſanguinis propinqu
tatem, etiam ad invidiam multorum, æſti
mabat & amabat *Chriſtophorus Bernardu*
Quem inter Conſiliarios primatum, & in æd
ſummâ Theſaurarij dignitatem ipſus ant
Principatum geſſerat, iiſdem ſtatim honor
bus altero poſt confirmationem die Brabec
kium decoravit; egitque poſteà, quand
Mallingcrotius Decanatu per ſententiam
exutus fuit, ut unanimi ſuffragantium
omnium harmoniâ tam amplo in munere
ſurrogaretur. Certè vix unquam altero
Chriſtophorum Bernardum familiariùs u-
ſum eſſe, quotidiana vita, conſiliorum par-
ticipatio, aſſiduum inter abſentes litterarum
commercium ſatis ſuperque comprobârunt;
gratiâ adeò conſtante, ut niſi paucorum for-
ſan æmulatio, & ægrè diu ferens ſecunda li-
vor, præter ſpem interturbâſſet, perpetuam
dixiſſes. Plurimas, uti loco ſuo narrabimus,
obivit legationes, & in his, multâq; aliâ pu-
blicarum rerum tractatione egregia ſemper
prudentiæ ac promptitudinis edidit docu-
menta. Sub annum verò hujus ævi ſexage-
ſimum ſeptimum, dum Ferdinandus in Co-
adjutorem eligebatur, inter ortas tunc ſimul-
tates, ab Electore Colonienſi Maximiliano
Henrico *Hildeſium* evocatus, creatúſque
primùm in politico iſtius Principatûs regi-
mine Vicarius ac Conciliorum Præſes: dein
reponenti ad manus Capituli Decanatum

Matthiæ

Matthiæ Smisingio in eo Præsulatu suffectus; ac tandem post decessum nuper Maximiliani Henrici summâ omnium gratulatione ad ipsum etiam Episcopatum evectus est. 1652.

Inter cætera verò instructionis capita, quibus abituriens *Christophorus Bernardus* Brabeckium oneravit, in primis commendabatur, ut arcana consiliorum multùm essent communia germano fratri *Henrico Baroni de Galen Dynastæ in Assen, Satrapæ Vechtano*. Sed hic provinciam hanc omninò dissimulavit: cæterùm Vir absque ullâ assentatione verè prudens, ut inter sagaciores, qui fratris utriusq; virtutes subindè comparabant, non rarò dubitatum sit, uter altero prudentiâ superior: sed & æquè modestus, ut modestia prudentiam, & prudentia modestiam mutuo lenocinio commendaret. Utrumque probavit in actionibus æquè ac moribus totiùs vitæ consuetudo; & illud cumprimis celebrandum, quod quemlibet exosus fastum, nec regiminis quidquam aut nominis unquam usurpans, uti inter eam nunc fratris absentiam Brabeckio, ita postmodum semper omnem aliis regendi gloriam facilè resignârit. Id autem compertum mihi, vix ardui quid aggressum unquam *Christophorum Bernardum*, quin antè clam licet & quò tectiùs ageretur, ad remotiora plerumq; loca acciti Fratris consilium adhiberet. Quia verò mentionem ejus præsens narratio opportunam *Cum Henrico Barone de Galē.*

1652.

portunam exegit, & hoc insuper Viri merit & auctæ per eum gentis honori tribuendum ut de propagine ejusdem pauca hæc superad dantur. Bis ille nuptias celebravit. Prima cum *Barone Drostiâ de Vischering*, beârum natales *Francisci Guilielmi* Camerarij Hæreditarij Monasterienſis, itemque *Margaretæ Annæ* ac *Annæ Catharinæ Elisabethæ* ex quibus hodierni *Barones Velenij* & *Buerenij* descendunt. Secundis consortem thori adscivit *Annam Elisabetham Baronis de Reck Dynastæ* Steinfurtani primogenitam. Ex quâ sustulit universim liberos quatuordecim sexûs utriusque. Inter quinq; filios natu major *Christophorus Henricus*, Canonicus Monasterienſis & Osnabrugenſis, *Leopoldi Cæsaris Augusti* Cubicularius, apud Eundem hodie *Friderici Christiani* Principis Monasterienſis (cui pariter â consiliis est) Viennæ Legatum agit. *Ferdinandus Benedictus* in Metropolitana Moguntinâ & Cathedrali Monasterienſi illustris audit. *Joannes Matthias* Canonicis Osnabrugenſibus, & *Ludgerus Henricus* Equitum Melitenſium Ordini annumeratur. Filiarum pleræque splendidioribus inter Westphalos ac Rhenanos familiis, videlicet Baronum *de Droste*, *de Raesfelt*, *de Schell*, *de Corff*, *de Newhoff* per matrimonia insertæ. Ex thoro priore *Franciscus Guilielmus* cum Ursulâ Helenâ ex *Baronibus de Plettenberg*

Ejus connubia & propago.

1652.

tenberg Friderici Christiani Principis Sorore germanâ pridem nuptus, numerosæ jam tum sobolis augmine gentem suam donavit. Et his omnibus hodiedum superstes *Henricus*, dum nuper annum nonagesimum quartum seculi præsentis ingressus est, ætatis suæ quartum & octuagesimum feliciter superavit, & idem tunc, exemplo perquam raro, Parens, Avus, Proavus recensens Liberos, Nepotes, Pronepotes, examinatis calculis facilè numerum confecit vix octogenario minorem.

Sed nunc à Fratre ad Fratrem redeamus, ante iter Ratisbonense de statu Diœcesano per id tempus adhuc disponentem. Episcopalem namque curam Vicario suo credit: quod autem cum Joanne Dusseldorpio Suffraganeo Monasterienſi, ob linguæ mordacioris licentiam, non satis conveniret, renunciato eidem Suffraganeatu, & omni ministerio, sacris initiandos jubet tantisper ad Episcopum viciniorem (qui tunc Ægidius Gelenius Osnabrugensi à suffragiis erat) opportuniùs dimitti. Nam Franciscus Guilielmus Osnabrugensium Antistes ad suum Ratisbonensem Episcopatum jam tum præcesserat. Ordinato sic igitur in spiritualibus ac temporalibus patriæ statu, celebratis in Urbe Monasterienſi Christi natalitiis, exeunte anno millesimo, sexcentesimo quinquagesimo secundo, itineri se committit. Ipsâ Divi Joannis Apostoli festâ die, multis Monasterio

Christ. Bern. abit Ratisbonã.

1653. officij causâ comitantibus, Warendorpium abit. Ubi istam noctem moratus poste manè inauguratur. Indè eâdem adhuc l ce discedentem in celebri Monasterio M riæ-Campi exceperunt Religiosi famil Cistercienſis. Postridie verò stipatus am plo & nobili comitatu Ratisbonam perg

Indicit preces pro felici Comitiorum successu.

Ut autem felix esset tanti Conventûs a spicium, & optatâ tandem animorum, v torumque harmoniâ terminaretur, imp ratas toti Diœceli preces, quotidianâ f rè, ubi per locorum opportunitatem l cuit, hostiæ cælestis immolatione, cer insigni pietate, ipsus in viâ secundab Et hæc eadem prima erant Imperij Co mitia, quæ Suedorum Regem Transmar num, tanquam Pomeraniæ Citerioris, a Bremæ, Verdæque Ducem ad Sessionem & votum, inaudito hactenus admitteren exemplo. Quem honorem illi Germano rum civile bellum, externo mixtum, un cum quinque millionum Imperialium ly tro, sapientiâ posteritati memorandâ, con ciliârat.

Ratisbonam appellit.

Itinere feliciter confecto *Christophorus Bernardus* XVII. Kal. Feb. Ratisbonam ingreditur, magnâ multorum gratulatione Mox tertio ab adventu, & eodem die Cæsar, tùm Imperatrix, dein Ferdinandus Hungarorum Rex benignas illi aures præbuêre; & producto in alteram horam colloquio,

loquio, placere talem sibi Præsulem, auditus est dixisse Cæsar; quin & Proceres Imperij pares singulos exoptâsse. Et quam ab initio, plerosque etiam apud Electores ac Principes; & ipsos exterorum Regum ac Magnatum Legatos (quorum statim animos cœpit possidere) venerationem juxtà ac amorem conciliavit fama; hanc ipse posteâ virtutibus suis & cumprimis affabili in congressibus humanitate, maturâ in consiliis prudentiâ, facili in rebus agendis dexteritate, & assiduis inter curas laboribus mirè apud omnes amplificavit. 1653.

35. *Et Mallingcrotius Ratisbonâ accedit.*

Intereà verò sub ingressum Februarij Ratisbonam pariter advenerat Mallingcrotius, ingenti futurorum spe, animoq; erectus. Sed antè sextam vix hebdomadem ad Ferdinandum Cæsarem admissus; agnitâ licet omnium viarum difficultate, & amicorum inanem operam dissuadentium candore; nihilominùs Ferdinandum orat, ut causa electionis Episcopi Monasterienſis, quam hactenus æquo satis jure discussam pernegabat, novo subjecta examini, justâ tandem Cæsaris authoritate decidatur. Quæ preces cùm tam Cæsareæ confirmationis, quam Pontificiæ retractationem haud obscurè innuerent, quanquam Ferdinandum hominis tam indigna postulantis imprudentiam acriùs castigaturum timebant plerique;

1653. rique; ut erat tamen clementissimus Imperator, viro benignè audito suadet, cum suo Principe conveniat, istius illum virtutis esse, qui aperto benevolentiæ sinu accedentem lubens amplectatur. Quod ipsi compositionem interpretatus, dum aliud sibi â causæ justitiâ persuadens, inquietus responsum urget, è Judicio Imperiali hæc prodit sententia. *Sacræ Cæsareæ Majestati devotissimè relatũ esse, quidquid adversùm canonicã, confirmatámq; D. Episcopi Monasteriensis electionem, eiq; con- & annexa humillimè allegârit & supplicârit Bernardus Mallingcrotius Monasteriensis Decanus. Sed illum haud dubiè memorem futurum, qualiter Majestas sua jam tùm antè biennium, Anno videlicèt quinquagesimo primo, putatitias hujusmodi & adversantes legibus prætensiones rejecerit, simúlq; demandârit, ut Celsitudinem suam, veluti Canonicè electum, confirmatum, & â Cæsareâ Majestate infeudatum, Episcopum & Principem decenter agnoscat, colat ac veneretur; cui decreto cum Sacra Cæsarea Majestas sua adhucdùm inhæreat; Hinc clementissimum, at severum, iterari mandatum, ut dictus Mallingcrotius iniquis hujusmodi postulatis posthac supersedeat, néq; similibus ultrà Majestatem suam molestet; sed primo isti decreto pareat obsequenter.*

Urget sententiam, sed sibi contrariam.

1653.

ter. *Reliqua ejusdem petita ad forum competens rejiciuntor. Signatum Ratisbonæ sub secreto Cæsareæ suæ Majestatis Sigillo die 24. Martij* 1653. Signaverat. *Ferdinandus Comes Curtius.* Qui tunc erat Imperij Pro-Cancellarius.

At Mallingcrotius isti sententiæ nequaquam acquiescens, implorato variorum patrocinio, Cæsarem rursùs interpellat, & nonnullos, quibus componendæ cum Episcopo controversiæ cura imponatur, designari rogat, cum hac inscriptione: *Ad Sacram Cæsaream Majestatem devotissima supplicatio pro decernendâ commissione Bernardi â Mallingcrott Decani Monasterienſis.* At confestim decernitur. *Inhæreri priori decreto, nec ultrà Cæsaream suam Majestatem importunitate supplicantis turbari velle. Ex Consilio Imperiali aulico. 28. Aprilis* 1653.

Secundò rejicitur.

Hac tam insperatâ responsione perculsus ad quosdam Principes Ecclesiasticos confugit, in quorum ipse tutelâ & ope non modicam causæ suæ spem jam dudùm collocârat. Sed ij pernegato causæ patrocinio, durioribus etiam verbis increpitum dimiserunt; & Moguntinum, ajunt, severam addidisse pervicaciæ pœnam, si talem ipse suo subjectum haberet imperio, quatuor clausurum parietibus, donec fame totus, inediâque con-

Frustrà implorat aliorum patrocinia.

1653. ficeretur. Quantùm abscissa spes virum felicioris expectatione successûs erectum pupugerit, docuerunt lacrymæ præter morem, uti fertur, clam in cubili uberius effusæ. Postremam igitur aleam tentari visum est, si forsan ætatis suæ & dignitatis commiseratione tactus Imperator, compositionis arbitros nominet, supplicem iterato libellum porrigere hoc modo inscriptum. *Ad Sacram Cæsaream Majestatem iterata devotissima supplicatio in puncto adtentandam concordiam humillime petitæ commissionis Bernardi â Mallingerot Decani Monasterienſis.* Sed Imperator & Ministri Oratoris sana quæquè consilia respuentis obstinationem magis indies docti tandem statuunt. *Supplicanti famosum juxtà ac injuriosum scriptum suum cum exprobratione mox reextradatur, ac præterea serio injungatur, ab omni inposterùm supplicatione & ulteriore contradictione se prorsus contineat. Ex Consilio Imperiali aulico 4. Junij* 1653. Lætioris igitur eventus desperatio coëgit impensis tot frustrà sumptibus inglorium Westphaliam repetere; & nihilò tamen minùs sui ut antè sensûs tenacem, ea capesſere consilia, quæ posteà memorabimus, vel ipsi authori exitiosa.

Rejicitur tertiò.

Redit in Westphaliam.

36. *Electio Regis Romanorum.*

Verùm jam antè sub Aprilem magno Ordinum Imperij consensu decreta erat Regis Romanorum electio, & sedes electionis

1653.

ctionis designata *Augusta Vindelicorum*. Igitur die decimâ septimâ Maij, Cæsar cum Ferdinando Hungarorum Rege, Ratisbonâ Augustam abit. Ubi cum pridiè Kalendas Junij, convenientibus in unum suffragiis, *Ferdinandus quartus*, jam pridem Hungariæ ac Bohemiæ, nunc *Romanorum Rex* auspicatò electus esset, & ipse & Cæsar Ratisbonam die quintâ Junij revertuntur. *Christophorus Bernardus* quandò discedentem Ratisbonâ Cæsarem reliquos inter Principes aliquò usque deduxerat, ipso eodem die cum primoribus quibusdam aulicis secundo Danubio Viennam descendit, & post lustratam Hungariæ & Austriæ magnam partem revertit. Transiens Salisburgo â Paride Lodronio Archi-Præsule cognitus, lautè excipitur. Habito cum invicem longo sermone, mihi testatus est non semel, ab isto Principe grandævo multa se doctum, quæ in arduis posteà negotiis non rarò profuêre. Indè salutatâ apud Oetingam DEIparâ, ante Cæsaris reditum Ratisbonam se recepit; coronationi Regis, quæ decimo quarto Kalendas Julias incredibili apparatu, pompâ & gaudio peracta est, ad cæteros interfuturus. Exeunte Junio Ordinibus Imperij prælecta Cæsarea propositio, vernaculo quidem sermone, sed in hanc sententiam.

C. Bern. lustrat Hungariam & Austriã.

1653.

37. *Propositio Cæsarea in Comitiis Ratisbonensibus.*

Haud Cæsarem dubitare, quin ex suo pronuper rescripto abundè perceperint Ordines Imperij, præsens hoc Comitium ad legem Westphalicæ pacis decretum, indictumq; non eo solùm fine, ut pacta pax inter caput & membra, intérq; hæc ipsa & exteris etiam cum coronis arctiùs firmetur; sed ut ipsa etiam pacis statuta vel eò certiùs executioni demandentur; quæque pro integriori singulorum stabilimento in communem Procerum consultationem & conventum hunc rejecta sint, conjunctis animis, consiliisq; opportuniùs decernantur. Palam sit, nihil hactenùs eorum Majestatem suam prætermisisse, quæ ad majus robur & executionem pacis quoquo modo visa sint pertinere. Evulgatis ab initâ statim pace litteris, mandatisq; & imperâsse singulis eorum restitutionem, ad quæ pacis lege fuerint obligati, & pariter hortatam Principes Circulorum Directores, ut partibus iis, quarum id vel causa, vel petitio deposceret, prompti auxiliarentur, & eâ quidem formâ, quam ipsi persuaserint Ordines, in exequendo arctiorem. Nominatos etiam pari promptitudine ex Ordinibus utriusq; Religionis Commissarios ad preces eorum, qui talibus indigebant, ut nihil defuerit, quo singuli sua securiùs obtinerent.

1653.

nerent. Cessam ex Imperij voto Franckenthaliam; evacuatam milite præsidiario Hailbrunnam; vicinos ita Status onere tributi permolesto exemptos; superatas causæ Palatino-Electoralis difficultates, pluráq; obstacula è medio sublata; quæ & Comitij præsentis consilia sufflaminare, & novas animorum dissensiones creare potuissent. Si quæ forsan lege pacis supersint adhuc exequenda, non tantùm non defuturum partibus suis Cæsarem, sed & Ordinum sensa & operam perlubenter amplexurum. Volupe sit Majestati suæ ea præsentium Procerum & Ordinum frequentia, quæ & ipsam è terris hæreditariis vel eò fortiùs Ratisbonam traxerit, quò propensiùs credat in utilitatem, decorémq; Imperij redundare, si, quæ reliqua sint negotia, super iis coram pensiculatiùs agatur. Nec dubitet Majestas sua, quin ita maturè, sapientérq; Ordines jam tum antè expenderint rescripti Cæsarei argumentum, ut ad ipsam mox consultationem procedi queat, eáq; semotis inutilibus quibusvè tricis aut disceptationibus sic maturetur, quò citiùs expediti majore cum fructu ac tranquillitate ad suos singuli revertantur. Eapropter velle Majestatem suam, ut pro innato ergà Imperium, ejusq; commoda

1653. *affectu & sollicita voluntate sine morâ conveniant, & circà themata, quæ sequuntur, in commune conferant Ordines, quidve censeant faciendum, quantocyus apud Cæsarem deponant.* Primò, *quâ possit ratione, pax labore tanto, sumptúq; parta, inter caput & membra, átque inter hæc ipsa, nec non cum exteris etiam coronis stabiliri; avita illa & beneficio pacis restaurata, mutuáquè amicitia firmari, augeriq;; & ipsa simul tot fracta malis Germania, contra omne posthac dissidium, motúmq; constantius præservari.* Quæ secundò *vi pacis supersint exequenda, quâ expeditiore viâ executioni debitè mandari queant; ac denique* tertiò, *quæ in præsens Comitium rejecta, dilatáq; sint, quo possint ábsque damnosâ procrastinatione, celeriore ac utiliore modo terminari.*

38. C.B. *Sollicitat sessionem inter Principes uti Burggravius Strombergenſis.*

Audita vix erat hæc propositio Cæsarea, quandò *Christophorus Bernardus* supplicem mox libellum Augusto porrigit, quo docet *ex Juris Consultis ac Scriptoribus Germanis evidens esse, quatuor inter Imperij Burggraviatus, Strombergam numerari; nec minùs constare Principalem iis Dignitatem pariter annexam esse ac fuisse semper, ut propterea hodiedum etiam Saxo, & Brandenburgicus Electores, is Magdeburgici, hic Norimber-*

1653.

rimbergensis Burggravij ceu Principis titulo exornentur. Idque non tantum ex aureâ Caroli quarti Bullâ, in quâ Burggravij Norimbergensis, sub classe Principum, mentio fiat; sed & diversis Imperij constitutionibus, placitisque confirmari; adeóque dubitari non posse, quin ex possessione vetustissimæ Burggraviorum sedis Strombergæ, etiam sibi sessio & votum inter Imperij Principes debeatur. Territorium eò pertinens coæquari honori Principis, quippè quod præcellentes sub se Prælatos & Equestris Ordinis viros, oppida quóque ac municipia comprehendat; & eam esse illius districtûs amplitudinem, ut multorum Principum, sessione pari & voto gaudentium terris nequaquam cedat. Episcopos Prædecessores Diœcesi quidem Strombergam univisse, collectúmque ex eâ, velut particulari Satrapiâ tributum cum Diœcesano confudisse, nec hactenùs, uti acta Imperij testentur, sessionis ac voti habuisse rationem. Id autem ex eo partim accidisse, quod Strombergensis Burggraviatus ante ipsam actorum Imperij conscriptionem, & tempora glorioſissimi Imperatoris Maximiliani primi, sub Decessore Florentio Wevelinghovio Principatui Monasterienſi subjectus fuerit; tum quod sub idem tempus nonnulli adhuc

1653. huc ex cognatione Burggraviorum, quamvis collaterali lineâ & fœmineo sexu descendentes, ipsum Burggraviatum jure quodam sanguinis prætenderint; cujus occasione à petendâ sessione, juréque suffragii haud dubiè fuerit cessatum. Et sanè Anabaptistarum seculo abhinc seditionem, ac deplorandam in eâ tot documentorum, actorúmque publicorum jacturam plurimùm obfuisse, ne Successorum cura convertere se potuerit ad debitam hujusmodi jurium Ecclesiæ tuitionem. Immò & posteà Diœcesin tempore Smalcaldici fœderis, & diversarum in Imperio turbarum, violentarúmque irruptionum, Bellorum Hispano-Batavi & post tumultus Bohemicos Germanici, in eas angustias redactam esse, ut deficiente sumptu nec Legatos ad Comitia mittere, nec iis ipsi Principes à seculo & ultrà interesse, adeóque jura & prærogativas Episcopatûs sui decenter curare non potuerint. Ut sileatur annos jam octuaginta, úsque ad sui electionem, neminem Principum fixâ sede, Diœcesin habitâsse. Jam verò cùm extet immemorialis possessio, nec minima quidem aut ratione Burggraviatûs, ejusdémque Dominii, aut successionis, contradictio appareat; & ipsa Sacra Cæsarea Majestas ad majorem Imperii splendorem, in se dignita-

1653.

dignitatem hanc postliminio resuscitârit; ipsiúsque Burggraviatûs *Regalia sibi clementissimè concesserit; iis autem ceu Regalibus majoribus jus sessionis & suffragii ipso jure annexum sit; imò & hodiè ex persimili causâ Serenissimæ Domos, Saxonicam, Brunsuicensem, ac plures, quibus antè caruerint, sessiones & vota in Comitiis Imperii acquisiviſſe; eapropter devotissimas offerri preces, clementissimo Cæsareæ suæ Majestatis decreto, desiderata pariter sessio ac votum ut competente loco concedatur.*

Non abnuit, sed preces, causasque in ijs deductas mox approbat Cæsar; ac Principi Electori Moguntino, ceu Directori in mandatis dat, ut Monasterienſi Episcopo, veluti Burggravio Strombergenſi sessio, votumq; inter Principes tribuatur. Utrumque feliciter adeptus quietè continuavit, uti ex impressâ & nomine Strombergensis Burggraviatûs â *Wiedenbruckio* ceu Monasterienſi Legato subscriptâ Imperiali Ratisbonensis Comitij Constitutione, luculentiùs patet. Atque ita *Christophorus Bernardus* Ecclesiam suam & posteros Successores non aspernandâ dignitate cumulavit.

Et obtinet. 2. *Julij.* 1653.

39. *Quinque propositiones Janseniæ*

Dum Cæsar & Ordines in conventu suo res Imperij strenuè curant, Romanus Pontifex componendis Ecclesiæ dissidiis, servandæque unitati sollicitus intendebat. *Cornelius*

1653. *adscriptas damnat Pontifex.*

nelius Jansenius Delpho-Batavus, quondam in Lovanienſi Academia ſacrarum litterarum interpres poſt Epiſcopus Iprenſis, librum compoſuerat, qui *Auguſtinus* inſcribebatur; primo ab obitu anno in lucem datus, operâ amicorum. Contineri eo, ſecundum alia, quinque propoſitiones aſſerebant, quæ pleriſque Catholicis Doctoribus, præcipuè de gratiâ & libertate, non ſatis fidei conformes viſæ ſunt. Super iis admirabili partium ſtudio per Academias Galliæ diſceptabatur. Lovanienſi Belgicâ ferè præ reliquis Profeſſorem quondam ſuum tutante. Controverſiâ ad Urbem relatâ, Pontifex pluribus ſimùl Theologis propoſitionum examen committit, compertoq; Orthodoxis eas dogmatis adverſari, publico ritu condamnatas, editâ Conſtitutione proſcribit, quam ipſe univerſo Orbi Chriſtiano juſſit intimari. Et eam *Chriſtophorus Bernardus* pro obligatione muneris & teneritudine affectûs, quâ ergà Sanctam Sedem ferebatur, ſtatim quoque per Diœceſin Monaſterienſem evulgari, exacteque obſervari ex ipſis Imperialibus Comitiis demandavit. Verùm hæc conſtitutio, tametſi non his tantùm locis, ſed & in Galliâ, Belgio, ac Orthodoxâ Germaniâ, valvis Eccleſiarum affixa & è ſuggeſtibus declamata ſit, haud potuit tamen omnem Diſputantium calorem reſtinguere. Pars triumphatrix impo-

Editâ conſtitutione.

Quæ, tametſi publicata, non ſedat fervorẽ partium.

tentiùs

tentiùs ferri in ipsum Jansenium; proclamare hominem hæreticum, depingere inferorum luentem pœnas; epigraphen eversо cippo supprimere, & mirabili catastrophe in comædiis repræsentare defuncti vitam & exitum. Contra pars victa dogmatibus fidem, & sanctæ fidei reverentiam præfata, negare propositiones illas esse Jansenij, aut contineri in ejusdem libris; hos non tam vastos esse, quin facilè evolvi possent, notariúque folium, pagina, versus, linea, ne quid lateret inscios; aut certè verba, quæ in Jansenio reperiri velint, spectato contextu non facere sensum damnabilem. Et sanè immeritò sic perstringi tanti exempli virum; nec ullâ ratione tractari posse ut hæreticum, non modò nullius unquam errati, multò minùs pertinaciæ convictum; sed quem manifestò constaret scripta & labores omnes Ecclesiæ judicio subjecisse. At nos altercationibus hisce ad Theologorum Cathedras relegatis Monasterium revertamur. 1653.

Mallingcrotius sextâ Julij Ratisbonam reliquerat, festinato in Westphaliam reditu, ut ante D. Jacobi ædes Paulina Monasterij præsentem videret. At redeuntis peculium absorpserat sumptuosum iter, & quoniam â die latæ suspensionis annona Decanalis sequestro deponebatur, non parùm fides imminutum ibat, ab annuis hucusq; pro- 4°. *Mallingcrotius regressus Monasterium.*

1653. proventibus adhuc sustentata. Interim res familiaris, litium multitudo, causarum patroni, & solitò major nunc etiam hospitalitas haud modicum quotidiè deposcebant. Hæc inter æstus viam invenit, quâ necessitas aliquantùm levaretur. Villam colebat Decano vectigalem, nonnemo Havichorstius. Hic, uti consueverat, in pervigilio D. Jacobi debitum nunc soluturus, cum trecentis imperialibus (quæ annui vectigalis summa erat) uxorem mittit ad Sequestrem â Collegio Cathedrali pridem designatum, qui decanales proventus in residuo locabat. Haud procul is habitabat ab ædibus Decani, ita ut eas Villica prætergredi necesse haberet. *Mallingerotius* transeuntis præsentiam monitus, ex ostio domûs suæ improvisus erumpit, in fœminam involat, corbem, quo pecuniæ gestabantur, unà cum argento extorquet, & frustrà clamante ac reluctante misellâ, festinus domum asportat, unicè lætus, & prædam hanc adeò sibi feliciter in manus venisse, & eo audentis æstu plebem suprà modum delectari.

Æstu pecuniam accipit.

Captat populi studia.

Exinde ad aucupandam populi gratiam totus se componebat. Cum singulis solitò humaniùs, mitiusque agere; expeditè ac frequenter salutare obvios, præter morem venerari transeuntes; in plateis sphærulas precatorias sub pallio volvere; subindè ruri obam-

obambulans ut spectaretur, obvio cuiq; repagulo aut vacerræ innixus, recitare horarias preces, & cum multis epulari ipse, & ultrò alios ad convivia liberaliùs invitare; quæ partim amorem ac benevolentiam plurimorũ concitabãt, firmabantque; partim ad commiserationem viri, aliorum solatio quasi destituti, ac temeritate, potentiâq; Principis & Capitularium oppressi, permultos inducebant. 1653.

Nec alia domi deerant incitamenta, quæ subditorum ac civium animos à Principe & Capitularibus alienarent, præsertim si ab aliis, seu verè, seu fictè, eadem aggravarentur. In omnium memoriâ recens erat anni præcedentis super ejectis perticis cum Cathedrali Collegio controversia. Sopitam tunc quidem eam fuisse interpositione Principis, sed nimiùm Capitulo faventis. Exaggerare hoc *Mallingerotius*, quoties cum Civitate lis esset, ad hujusmodi favores, ex lege *Capitulationis* sibi notæ, Principem obligari. Nunc magnam pecuniæ summam quot mensibus absorbebat Ratisbona. In luxum eam tantùm converti criminabantur, citrà commiserationem Patriæ vix dum respirantis. Laxatum alibi, seu Berkelæ seu Amisiæ alveum, & extructa Principis sub præsidio quibusdam in locis monopolia, quibus merces peregrinæ minoris venderentur, solis civibus & mercaturæ Monasterienſi pernitiosa. Hæc nonnulli, audentiùs quidem quàm cautiùs jactabant; Sed nec deerant

Aliundè etiam concitati.

1653. rant alij, qui Principis partes è contrà tuebantur. In componendâ namq; Civitatem inter & Capitulum discordiâ ajebant nominâsse illum Conciliatores uti partium securos, ita & gratos, acceptosq; & eorum industriæ deberi, quod compositio litis festinata sit utriusq; partis bono. In conventu verò Ratisbonensi vivere oportere pro eâ, quâ deceret Principem Imperij dignitate; cedere & hoc in utilitatem non minùs quàm gloriam subditorum. Et istâ vivendi ratione conciliari Principum ac Procerum animos, ad patriæ securitatem. Propolia esse pauca, quæ uti paucis fortè mercatorum obessent, ita prodessent plurimis, immò omnibus, qui talem ipsi mercaturam non facerent. Invitatos aliquandò à Principe Consules, ut dilatando Amisiæ Civitas pariter succurreret, nec sine magno incolarum emolumento, si merces advehi possent beneficio navigiorum; sed surdis aut impossibilitatem obtendentibus cantatū esse. Hujusmodi sermones ultrò, citroque passim miscebantur, at parùm molliebant eorum sensus, qui quantò antè averti magis à Decano fuerant, nunc vanâ humanitatis specie capti, studiosiùs partes ipsius defensabant. Verum suis adhucdum focis ignes continebantur, propemodum ubi fomes accederet, plus nimiò erupturi.

41. *Princeps laborat de evacuandâ Vechtâ.*

Hæc dum Monasterij geruntur, Ratisbonæ nihil idcircò remittebant Principis studia in unam patriæ salutem incumbentis. Etenim

Suc-

1653.

cicus miles *Vechtam* Nobile Diœceſis mũnimentum, pignoris loco tenebat, gravis, ingratuſq; hoſpes, donec centum adhuc & quadraginta circiter imperialium nummorum millia ab aliquot Germaniæ provinciis exſolverentur. Principatus Monaſterienſis in ſingulos menſes erogabat millia omninò ſeptem, quæ ſi pridiè Kalendas numerata non erant, ad ultimi uſque nummi ſolutionem vexabatur continuâ Præſidiatiorum Vechtenſium executione & inſolentiâ militari. Ægrè habebat *Chriſtophorum Bernardum* & patriam pro alienis potiſſimum nominibus tam dura pati, & aliorum argenti penuriam cauſantium lentitudine ſe diſtineri, quò minùs ab onere tam gravi Diœceſin eximeret. Quin & moræ impatientia quotidie creſcebat altiùs reputanti ingens patriæ, Germaniæq; damnum. Nam continuata biennium iſthæc menſtrua ſolutio, ipſam ſummam Suionibus debitam longè excedebat. Nihilò tamen minùs debitrices Provinciæ, poſt tot annorum bella exhauſtæ, ſupremam rei nummariæ difficultatem, re verâ meram ſolutionis impoſſibilitatem cauſabantur.

Chriſtophorus Bernardus eâ tergiverſatione procraſtinari vota ſua, tamq; graves Principatus ſui moleſtias exterorum culpâ proferri ſentiens, aliam quercum excutit. Cæſarem orat, Ordines Imperij interpellat, inſtat & urget indefeſſus, ut ſi coacto ipſius ære Suecis ſatisfaciat, hi Vechtam ſine cunctatione evacuare teneantur; erogatam verò pecuniam ſibi liceat à debito-

1653. bitoribus repetere executione, uti vocant, paratâ. Omnibus tandem Ratisbonæ in id consentientibus, Monasterium Comitia indicit, ut in commune conferant Ordines Diœcesani, quâ nunc faciliore ac celeriore viâ æs corrogari possit abituris Suionibus suffecturum. Et hi quidem numero satis frequente congregati, tametsi sollicitè consultabant indies, aversis tamen per dissensiones animis tantisper conventum interrumpere coacti sunt, & Principis reditum præstolari.

Eo fine indicit Comitia.

42. Quare *Christophorus Bernardus* discessum Ratisbonæ maturabat. Cumq; jam antea præmisisset *Merveltiũ* Cancellarium & Henricum *Bisschopingium*, Jurisconsultum ac Consiliarium, qui cum Matthiâ *Smisingio* Canonico Monasterienſi Circularibus Westphaliæ Comitiis *Essendiæ* præessent: Ipse Nonis Decemb. Imperatori & Augustæ, postridiè Regi Ferdinando valedicit. Biduò post salutatos Electores ac Principes adhuc præsentes, apparato magnificè convivio, liberaliter omnes excipit, atque ita undecimo ipsius mensis die Ratisbonâ excedit, relicto Bernardo *Wiedenbruckio* qui in Collegio Principum vices suas obiret Legato.

Discedit Ratisbonâ.

Relicto Wiedẽbruckio Legato.

Cujus viri virtutes, quod mihi fuerit semper, ceu Pilades Orestı, è memoriâ nullo unquam tempore excident. Et quoniam non hac tantùm, sed plurimis aliis, ac difficillimis Legationibus, functionibusq; clarior posteà evasit, artes ejus & primævam vitam juvat hîc paucis agnoscere. Pater illi fuit ejusdem nominis Pro-

Can-

Cancellarius Paderbornensis, primariæ Doctrinæ vir, ac Juris-consultorum omnium istis locis facilè primipilus. Vestigia parētis pro ætate jam tum exprimebat Bernardus Adolescēs, cœpitq; ingeniū eluceſcere, cum liberalibus disciplinis erudiretur; sive enim operam daret Grammaticorū aut Rhetorum præceptis, sive placitis Philosophorum, seu Justiniani legibus, præreptam omnibus palmā solus ipse reportabat. Memoriâ tam felici erat, ut idem ipsi propè fuerit legere ac observare. Imbutū jam scientiis oblatæ mox dignitates primùm aliò, deindè Treviros evocârunt, ubi ortà *Philippum Christophorum* Archi-Episcopum inter & Metropolitanum Collegium controversiâ, captoq; ab Hispanis Electore, Viennamque traducto, in consiliorùm administrationem adscitus, nutantibus licet cæteris, immotâ semper fide à Cæsare & Ejusdem parte stetit. Sed regresso à captivitate Septemviro, veteregq; odio in Canonicos ac Ministros recrudescente, satiùs habuit mutare sedem, quam inter eam Principis aversionem diutiore servitio molestari. Postulatus igitur Urbis Monasterienſis Orator, tantâ omnium satisfactione eo munere defunctus est, ut cum ad capescendam, demortuo parente, Pro-Cancellarij dignitatem invitaret Princeps Paderbornensis, abiturienti sponderent ultrò, quod nulli retrò hactenùs acciderat, non modicum, si maneret, salarij augmentum. At *Christophorus Bernardus*, quidquid Trivirensis Coadjutor & Paderbornensis Præsul magnarum spe di- 1653.

1653. gnitatum allicerent, tractum fortiùs virum in consiliorum, curarumque partem adscivit. Et certè usui fuit egregia viri virtus in iis, quæ novum illicò Principem excepêre, negotiis. Ad ardua quæque adhibitus, & ut erat expedito à naturâ & arte ingenio facilis, in arcanis semper congressibus, in rerum tractationibus, in Legationibus plurimis, Principi, Patriæ & Imperio fidelem, impigramque operam domi, foriſque luculenter comprobavit. Quem & aliàs *Leopoldus* Imperator excellentissimas ob virtutes & celebrato amplo diplomate tàm illius, quàm Parentis merita, nobilitate ad omnes posteros transeunte decoravit, aut veriùs in parente decoratum confirmavit.

40. *Torckius Romæ de statu Diœcesano refert.*

Sed *Wiedenbruckio* Ratisbonæ rebus Germanicis occupato, *Torckius* Canonicus Monasterienſis, quem Princeps hac æstate Romam ablegaverat, ut pro solitâ Episcoporum obligatione de statu Diœcesano Pontifici referret, hoc munere per eos dies in Urbe fungebatur. Quanti verò Romæ jam tùm æstimatus fuerit *Christophorus Bernardus*, testes sunt hæ litteræ, quas è cœtu Cardinalium ad ipsum pertulerunt Ratisbonâ vix digressum.

Reverendissime Domine, uti Frater.

ACcedens ad Apostolicam Sedem Canonicus istius Cathedralis Ecclesiæ, ad visitanda sacra Beatorum Apostolorum limina ab Amplitudine Tuâ specialiter ablegatus, hoc munus nuper ejus nomine reverenter obivit, & statum Ecclesiæ Monasterienſis retulit Eminentissimis Patribus Sacri Concilij Tri-

dentini

dentini Interpretibus & visitationi sacrorum liminum Præpositis, qui de reformatis Clericorum moribus, & Ecclesiasticâ disciplinâ post invectam belli licentiam revocatâ de restitutâ Monialium clausurâ & regulâ; de erecto seminario, & de aliis Pastoralibus muneribus egregiè præstitis, Amplitudinem Tuam laudibus extulerunt, Altissimo gratias agentes, quod Ecclesiæ isti diuturnis calamitatibus & multiplicibus dispendiis afflictæ tantũ voluerit præesse Pastorem, qui à præteritis incommodis eam erigere & ab ingruentibus malis valeat reparare. Cujus quidem perniciosam rerum seriem ab Amplitudine Tuâ luculenter recensitam, quemadmodùm Eminentissimi Patres cum lachrymis audiërunt, ita Apostolicam Sedem, quam Amplitudo Tua nuper tanquam Matrem & Magistram venerata est, firmissimum eidem propugnaculum futurum pollicentur, ut Ejus operâ Monasterienſis Ecclesia non solùm pristino decori reddatur, sed & antiquis reassumptis viribus majus quotidie sumat incrementum. Interim DEUM Opt. Max. precamur, ut Amplitudini tuæ jugiter laboranti cælestium charismatum copiosam largiatur ubertatem, concedátq; ex isto Monasterienſi candelabro diu Germaniæ toti prælucere. Romæ XV. Novembris MDCLIII.

Amplitudinis Tuæ

Uti frater studiosus

PETRUS ALOYSIUS Cardinalis
Caraffa Præfectus.

FRANCISCUS PAULUTIUS
S. Congreg. Card. Secretarius.

FINIS *LIBRI PRIMI.*

JOANNIS ALPENI
PRÆPOSITI SANTENSIS
De
VITA ET REBUS GESTIS
CHRISTOPHORI BERNARDI
EPISCOPI ET PRINCIPIS MONASTERIENSIS
LIBER SECVNDVS.

ARGVMENTVM.

1. CHRISTOPHORUS BERNARDUS *Ratisbonâ redux. Reaßumit Comitia. Ordinum diſſenſio ſuper modo collectandi. Civitates provocant ad Cæſarem.*
2. *Lis ſiſtitur. Capituli & Nobilium querela.*
3. *Succi Legatum mittunt. Tergiverſantur Vechtam dimittere. Urgente Chriſtoph. Bernardo & Fratre, tandem diſcedunt. Magnâ omnium lætitiâ.*
4. *Mallingcrotius inquietus. Chorum denuò frequentat. Contrà proteſtante Capitulo.*

5. *Decla-*

5. *Declaratur Irregularis. Vitatur à Capitularibus.*
6. *Negat valuiſſe ſuſpenſionem. Et quare.*
7. *Rationes illius enervat Princeps.*
8. *Contumacior Mallingcrotius excommunicatur.*
9. *Sed flocci pendit. Vitatur. Populi ſtudia. Magiſtratus conniventia.*
10. *Odium in Patres Societatis. Favor Religioſorum pro Mallingcrotio. Quo ſtimulatur.*
11. *Arcetur ab ingreſſu Eccleſiæ. Diverſa hinc inde ſcripta affigit. Quæ juſſu Principis avelluntur. Et prohibentur legi.*
12. *Princeps reſolvit Mallingcrotium cuſtodiâ attinere. Scribit id ad Senatum.*
13. *Reſpondet Senatus. Et queritur ſuper verbo* mandare.
14. *Quid replicent Principis Conſiliarii.*
15. *Mallingcrotius abſolvitur ab excommunicatione per Delegatum Nuncii. Litteræ affiguntur valvis Eccleſiarum. Non ſine populi motu.*
16. *Chriſt. Bern. probat proceſſus iſtius iniquitatem. Congreſſus Circulorum Weſtphaliæ & Saxoniæ inferioris Monaſterii.*
17. *Inſtante Principe dat reſolutionem Senatus.*
18. *Reſponſio Conſiliariorum.*
19. *Finalis Senatûs Urbici reſolutio. Cum aliquâ querelâ.*
20. *Concurrentia* Bernardorum *in hiſce negotiis.*
21. *Mallingcrotius jubetur reſtitui. Implorato etiâ brachio ſeculari, at Princeps appellat Romam.*

22. *Populi sermones ac studia. Multi ad ha* 34
attenti. Omina. Carmina famosa. Contr
nuata Magistratûs conniventia.

23. *Princeps acquiescit Senatorum resolution* 35
Explorat mentem Nuncij. 36

24. *Mandat attineri Mallingcrotium domi sua.*
Exequentibus id Pratorianis, turbatur Civitas.
Cura Senatus. 37

25. *Mallingcrotius erumpit. Plebs conatur in*
Pratorianos irruere. Ædes Brabeckij mo-
lestant. Invadunt Collegium Societatis. 38

26. *Pellente Dickhovio recedunt. In plateis ob-* 39
vios Patres insequuntur. Attonita Urbe. Et 40
modestioribus tempora comparantibus.

27. *Princeps eo facto irritatus. Citat Senatum.* 41
Factum exprobrat.

28. *Responsio Senatorum. Replica Principis. Qui*
& iniquum Delegati processum palàm
probat.

29. *Senatores dimissi per epistolam respondent.*
Id Princeps indignatus. Invectusq; iterùm
in actiones Mallingcrotij. Et tumultuantis
plebeculæ. Sublatam brachij secularis im-
plorationem docet.

30. *Mallingcrotius constantiam simulat. Sed*
clàm Monasterio egressus. Coloniam abit.
Ejus Scriab capitur & Abusiam ducitur.

31. *Criminationes Plebis. Fama de pulsis Mona-*
steriò Jesuitis.

32. *Horum Vindiciæ.*

33. *Testimrnium Senatûs.*

34. *Vin-*

34. *Vindicias Societatis Plebs criminatur. Et Urbis innocentiam pari libello Senatus asserit. Eius summa.*
35. *Quid contra hac vulget Princeps.*
36. *Indicuntur Comitia. Litteras evocatorias loco Monasterienſis Civitatis Warendorpium signat. Contrà protestantur Monasterienſes.*
37. *Principis in eos invectiva. Responsio Monanasterienſium.*
38. *Tandem Senatus seriò inquirit in nuperæ seditionis reos.*
39. *Armat se Sueciæ Rex. Varij de eo sermones.*
40. *Et copias auget Princeps. Et cum Principibus Rhenanis fœdus paciscitur.*
41. *Tabulæ fœderis.*

DIgressus jam Ratisbonâ *Christophorus Bernardus*, præproperato itinere reditum in Westphaliam maturabat. Celebratâ apud Episcopum *Paderbornenſem.* in arce *Neohusanâ*, nascentis Christi solennitate, die Divo Stephano sacrâ, â Joanne Comite *Ritbergenſi* excipitur honorificè, lautoq; habetur. Indè *Saßenbergâ* exeunte anno Monasterium revertit, summâ omnium gratulatione. Mox interrupta aliquantisper Comitia innovari jubet, ad eáque ut emergenti quotidie patriæ damno præveniret, celeriter finienda, animum, operámque omnem impendit. Inter Ordinum

Christophorus Bernardus redux.

Reaßumit interrupta Comitia.

num igitur discordias, superantibus suffragiis, decreta est, evulgatáque *capitatio*, ut in subsidium necessitatis publicæ, quisquis Provinciam habitans, nullo personarum discrimine, ratam partem conferret. Eam certè damnari nullâ ratione, sed velut salutare, opportunúmque remedium excipi debere, obtendebat Capitulum Cathedrale & Equestris Ordo. Quippè solis ferè paganis, ac misero cuíque, gravem hactenùs fuisse Martis sarcinam, opulentioribus modico duntaxat oneri obnoxiis, ut profectò æquum putarent, & hos partem calamitatis accipere; & illos dispertito inter populares onere sublevari. At verò Civitates palàm reluctabantur; cedere videlicet tributum illud, in solam suorum perniciem; nec majorem in ullo convinci iniquitatem; civium námque & opificum non tantùm ejusdem, sed & unius ac alterius Civitatis disparem prorsùs esse conditionem, ut vel his fieri gratiam, vel injuriam iis inferri necesse sit. Sed nec adeò tributi hoc genus, quam modum deposcendi iniquum censeri, haud expectato nempe Civitatum assensu, â Capitulo & Nobilitate solâ, inaudito hactenus exemplo decretum; causam quæ tangat omnes, non pluribus, sed omnium calculis approbari oportere; & quoniam istiusmodi capitatio â Principe contra morem majorum admissa

Civitates provocant ad Cæsarem.

missa jam, ac publicata erat, gravatæ ex eo Civitates Cæsarem appellare. Certantibus ita, hinc querimoniis, & iteratâ ad superius Tribunal provocatione, illinc authoritate & imperio, partium studiis, aliquot decurrunt menses; quibus tam parùm emonebatur decreta capitatio, quam Patria levabatur Suecorum præsidio. Præsentiscens igitur *Christophorus Bernardus* ægrè adduci Civitates, immò ne adduci quidem, remissiùs rem ursit: præsertim cum Monasterienses quinquaginta Imperialium nummorum millia (qualis ex eâ capitatione summa sperabatur) fide suâ coacturos se sponderent, & si reliquum deindè Parœciis pro more patrio imperaretur, congruentiùs multò, ac suaviore viâ, videret satisfieri posse Suecorum postulatis. Non ideò tamen, querebatur Capitulum & Nobilitas, creatam eâ cunctatione jacturam Provinciæ compensari; quam quinquaginta Imperialium millia excessisse hac ratione supputabant. *Ineatur calculus eorum, quæ à tam numeroso Clero, tam amplâ Nobilitate, tot utriusque sexûs Religiosis, tantâ Ministrorum multitudine, à Magistratibus denique Civitatum, Oppidorúmque, qui publicis nunc oneribus immunes essent, ex hac capitatione universali fuissent contributa; considerentur ingentes illi Ordinum sump-*

1654.

2. *Lis sistitur.*

Capituli & Nobilium querela.

tus, prolongatis ex eâ Civitatum reluctatione tam diu Comitiis impensi; soluta Sueco quot mensibus septem millia; & nunc etiam post itineris impensus, exposci millia sex, ceu congiarium, pro accelerati fœnoris beneficio, apud Amstelodamenses fœneratori offerendum; quantam non summam adæquent? quorum omnium solutio cumulatis posteà exactionibus, tantò futura sit patriæ difficilior, quantò ex unius capitationis solatio, facilius hodiè levamentum. Nihilò tamen minùs Princeps, sivè quod benignius agere cuperet, sive quod etiam Civitates validiùs impellere tunc quidem importunum crederet, & ne inter eam Ordinum altercationem diutiùs protraheretur festinata præsidii Vechtensis abductio, oblatas â Civitatibus conditiones tandem admisit. Et hisce primùm Comitiis dissidia pullulare cœperunt, quorum ego progressus malorum sic in præsentiâ narraturum me spero, ut qui judicium adferent, affectionibus incorruptum, partiúmque securum, sinceram probaturi sint in scribente fidem.

3. *Sueci Legatum mittunt.* Advenerat jam *Ratisbonâ* Monasterium *Hoffstetterus* Suecorum Ablegatus, qui post pecuniam sibi numeratam *Vechtâ* præsidiarios educeret. Et hic quidem nihil æquè simulabat, ac parati æris desiderium, & Imperij

perij decreto, votóque Principis deferendi promptitudinem. Sed â quibusdam Nobilibus, qui eodem in diversorio quotidiani convictores erant, in tanto ære corradendo meram persuasus præsentis patriæ statûs impotentiam, ex iis etiam Ordinum contentionibus, non parùm auctam, nihil minùs intendebat; nec aliud sperabat certiùs, quam Suecos præsidium *Vechtense* continuaturos, inexplicabilem futurarum non minùs, quam præsentium utilitatum occasionem. *Christophorus Bernardus* gnarus omnium, vel eò studiosior argentum undíque conquirebat; & inventum tandem, congestúmque ab exteris, â Ministris, â Mercatoribus, â patriâ totâ, paratum obtulit Ablegato. At hic quæsitis novis in dies singulos effugiis, moras nectebat, nec nisi tardè ad rationes æquas poterat adduci. Verùm hac difficultate tandem quóque superatâ, rursús alia exurgebat. Licet enim æs jam numeratum, receptúmque, & uti conventum prætendebant, extra diœcesin *Oldenburgum*, Comitis sedem, mutuâ Principis operâ transvectum esset, necdum tamen Vechta tradebatur.

Tergiversantur Vechtam dimittere.

Christophorus Bernardus ab evacuatione haud futuras procul, ad viciniam celerrimè vectus, in arce *Dincklagen*, tribus leucis *Vechtâ* distante considebat. *Henrico*

Urgente Christ. Bern. & Fratre.

rico Baroni de Galen germano fratri ac Vechtensi Satrapæ in mandatis dat, ut post exsolutum nunc æs militaris præsidij discessum, & munimenti restitutionem apud militiæ Præfectum maturet. Sed hic æquè ac miles pertinax, esculentis ac donativis pasci assuetus, nunc hanc, nunc illam moræ causam prætexebat, ægrè admodum, uti apparebat, è loco tam utili migraturus. Enimverò Princeps celeritate utendum certus, eâ meritò cunctatione offensus, obtestatur Imperij totius voluntatem, ipsius Coronæ Suecicæ fidem, & utriúsque existimationem, atque iterùm, & severiùs Fratri mandat, actutum regrediatur *Vechtam*, oggerat hæc Præfecto, ejúsque ac militiæ mentem, velintne cedere, postremùm exploret; scire se si negent, quid facto opus; nec ullum unquam fore, qui emergentis ita novi in Imperio belli causam aliquando sibi possit imputare. Frater non minùs generosè, quam prudenter hæc exequitur, nec passus munificentiam desiderari, Præfecto & militiæ author est, ut eodem die (erat decimus tertius Maij) sub tempus pomeridianum, ad tympanum pedites, equitesque excedant. In campo eam noctem morati, liberalitérque habiti, vix postridie *Wildeshusum* transierunt, cum ecce novis è Suecià mandatis jussi feruntur, *Vechtæ* possessionem, ac præ-

Tandem discedunt.

1654.

præsidium continuare. Id quod tamen mihi extra famam incompertum est. Sed *Christophorus Bernardus* abruptâ quavis morâ, excuntibus è vestigio succedit, *Vechtam* ingreditur, militem suum imponit, & solenni, sed incredibili incolarum ac totius patriæ lætitiâ DEO grates agit, quod post tot calamitates, curas, ac labores, omni tandem præsidio hostili, Provinciam universam liberâsset. Nuncio mox Ratisbonam, Romámque delato, exceptóque ingenti ubique plausu Pontifex, Imperator, Principes tam felicem exitum *Christophoro Bernardo* gratulati, & ipsi conceptam inde animi voluptatem abundè testabantur.

Magnâ omnium lætitiâ.

4. *Mallingcrotius inquietus.*

Nihil â pacatâ nunc Germaniâ, nihil â conterminis Provinciis timebatur; domestica solùm dissidia bonorum animos distinebant. *Mallingcrotius* exortarum in Comitiis simultatum occasionem nactus, quùm animadverteret magnam fore partem Civium offensam, enimverò utendum sibi duxit eâ rerum opportunitate, ratus, si illa offensionum initia, quæ ex uno latere satis per se complures fovebant, ex altero ipse clam aleret, conatus haud dubiè successuros. Ergo telam sic ordiri placuit.

Chorum denuò frequentat.

Illuxerat Divi Jacobi pervigilium, Capitularium frequentiâ insigne; quo collato

1654. to cum mentis suæ consciis jam pridem consilio chorum, quem â biennio non frequentârat, denuò subingressus, occupatâ Decanali sede posuit eorum fundamenta motuum, qui cum Monasterienſium & sui ipsius exitio tot annos duravêre. Et quanquam amicorum nonnulli, quibus haud perindè probabatur ista novatio, persuadere viro nitebantur, ab iis, per DEUM, desisteret cæptis, quibus non exiguam ejus causa jacturam acciperet; facilius enim expectari posse ad Martium mensem, quando terminatâ *suspensione*, plenâ authoritate pristino restitui oporteret. Sed hisce facilè rejectis, vir quippe suopte ingenio ab aliorum consiliis, si ultrò præsertim offerebantur, aversus suam, eorúmque mentem pronus sectabatur, qui propositi constantiam suadebant, specie quidem retinendæ dignitatis, re autem verâ, ut ei litium summam conficerent, cui succumberet.

Contra protestante Capitulo.

Cum autèm non suo solius ausu, sed Capitularium plerorumque consensu in ædem rediisse vulgo crederetur; Collegium Cathedrale ill temeritatis, primùm injuriam, Tabellionis operâ, dein facti insolentiam æquè ac ignorantiam, scripto publico testatur. Verùm *Mallingcrotius*, verbis iis facilè posthabitis, ingressum chori & Decanalem, ut ante, sedem continuabat.

Pro-

1654.

Procurator Fisci ex violatâ tot actibus censurâ, ab Episcopi Judicis officio, prævaricationis pœnam exposcit. *Christophorus Bernardus* & Cathedralis etiam Collegij querelâ imploratus *Mallingcrotium* tanquam duplicis, Apostolicâ scilicet & Episcopali authoritate, latæ *suspensionis transgressorem*, propridiè Kalendas Augusti *Irregularem* pronunciat, & ni porrò contineat se, anáthema minatur. Sed nec ideò ab ingressu chori, vel sacris *Mallingcrotius* abstinebat; quin contra audentior, crebriùs quotidiè templum frequentabat, majore semper applaudentis & animantis populi concursu. Nam observatum est ab eo, quo chorum conscenderat die, tantam semper hominum multitudinem, opifices plerúmque & operas, turbis miscendis genus aptum, feriatis etiam diebus ad principem ædem confluxisse, quanta vix aliàs solennioribus isthic visa fuit. Allectabat nimirùm spectatores, accedente Decano festinanter recedere Canonicos, silere Sacerdotes chorauléscque, abrumpi canentium voces; iterúmque alios subindè ad cantum à Decano ferociùs compelli. Eam namque Canonici Theologorum opinionem sequebantur, qui sentiunt *denunciati suspensi* consortium vitari oportere.

5. *Declaratur irregularis.*

Vitatur à Capitularibus.

6. *Negat valuisse*

Ut autem eo fulmine, prorsùs immerenter

1654. renter, tactum se conficeret *Mallingcrotius*, suspensionem asserebat contra sacri juris præscripta latam esse, adeoque nec ab initio unquam valuisse. *Episcopos namq; Monasterienses juramento prohiberi. ne quam intra septa immunitatis Ecclesiæ Majoris jurisdictionem exerceant; cujus circumferentia uti non tantum includi se, sed & primariam istius partem esse liquidò constaret, ita nec potuisse ab Episcopo, omni potestate destituto, canonicè suspendi. Nec mirum debere vel absurdum videri, quod Episcopo in præcipuum diœcesis totius locum jurisdictionem liceat ejurare, cum pluribus in locis Cathedrales Ecclesiæ, imò totus Leodiensis Clerus à Præsulis sui jurisdictione exemptus dignoscatur.*

suspensionem.

Et quare.

Sed & ipsum pridem ad sedem Apostolicam provocâsse; esset autem jure certum, quod appellatio ad Judicem superiorem interposita suspenderet Inferioris potestatem. Neq; frivolam illam; sed gravissimarum rationum fundamentis innixam esse. Quâ præmissâ, si nihilominùs Judex præsumat suspensionis sententiam ferre, eam omnino nullam, imò & vitio attentati obnoxiam censeri.

Et verò minimè suspendi potuisse, qui nunquam convictus sit deliquisse.

Cur

Cur igitur impediretur chorum frequentare & id cumprimis exequi, quod â se postularet vocationis & officij obligatio Decanalis? *Adhæc non semel petiviſſe inſtanter, adire ſibi Principem ut liceret, Ejusq; dexteram exoſculari, opportuniſſimum ſcilicet ponendæ ſimultatis medium; ſed bis eâdem ſeveritate admißum non eſſe; obtuliße toties paritionem, nec tamen unquam, ſponteneâ etiam ſubmiſſione, & obedientiâ potuiße quidquam obtineri.* Hæc in chartis ſic explicata, quò latiùs in vulgum, ac celeriùs diffunderentur, plurium deſcripta manibus committit eorum fidei, quorum operam noverat miſcendis rebus ſuâpte naturâ proclivem eſſe. 1654.

7. *Rationes illius enervat Princeps.*

Chriſtophorus Bernardus, ut primùm iſtiuſmodi ſchediaſmata ad manum devenêre, ne quo fortè præjudicio ſinceræ mentes occuparentur, ocyùs juſſit, & hoc quidem ordine, ſingula confutari. *Quamvis enim* primò *Epiſcopum inter & Collegium Cathedrale conventum ac juramento etiam firmatum eßet, non debere nec velle Epiſcopum intra ſepta immunitatis Collegij exercere juriſdictionem; notam tamen eße juris regulam, quæ mutuo conſenſu coaluerint, mutuo pariter conſenſu diſſolvi poſſe. Eßet autem in aperto, quantâ contentione*

1654. *tione Principem Capitulares imploraverint, ut quæ Decanus patrârit enormissima ſcandala, pro officio removeret. Quod ſi verò hoc ne quidem caſu liceret Epiſcopo jus & jurisdictionem exercere, quo quis igitur pejor eſset ac protervior, nec à Capitulo corrigi poſſet, eò & impunitiorem fore, abſurdiſſimè ſequeretur.*

Sitne Capitulum ab Epiſcopi jurisdictione exemptum, quæſtionem eſse nunquam hactenus agitatam, & quidquid ſit de Leodiensi, certò conſtare de Monaſteriensi Clero, omnem illum Antiſtiti ſuo ſubiectum eſse.

Appellationem extra judicium, ſine ſcripturâ, abſq; gravaminum deductione interpositam; adeóque manifestò nullam fuiſſe; ſed nec ea potuerit Epiſcopum ligare, cui nunquam fuerit intimata, præterquam quod in tantâ exceſſuum evidentiâ non ſolùm admitti non debuerit appellatio, ſed admiſſa etiam, latam jam ante ſuſpensionis ſententiam nequeat remorari.

Quis autem *negaverit illum deliquiſſe, qui tantâ cum temeritate cenſuras violârit? tantâ cum populi offensione interturbârit rem divinam? tam protervè contempſerit mandata Principis & Paſtoris ſui? animo tam contumace*

debitam

1654.

debitam recusârit venerationem & obsequelam? Et quid gravius vitio idololatriæ, cui inobedientiam cómparet sacer textus?

Auditum adhuc per eos dies dixisse Mallingcrotium, Electionem quamtumvis à Pontifice & Romanæ Curiæ Proceribus approbatam, confirmatámque nunquam se tamen uti canonicam agniturum. Et talem ad aures Principis meritò admissum non esse.

Sed & oporteat illum reminiſci, quam atroces in Præsulem suum injurias, apud Cæsarem Ratisbonæ, toto quasi conspectante Imperio, & apud alios, alibi conjecerit, quas osculo dexteræ duntaxat unico, ceu gratiæ tesserâ, leviter abolere, indignùm foret Principis & Episcopi majestate. Oblatam aliquandò paritionem tabulas anteactorum omnes pernegare, quamvis decuisset ac debuisset Pontificis & Cæsaris jussa sequi, Principem ut herum suum venerari, Episcopi censuram uti Pastoris sententiam timere, & oblatâ condignâ satisfactione absolutionem flagitâsse. Continuis ita scriptionibus inter Principem, Capitulum ac *Mallingcrotium* quotidie certabatur. Interim plebi, alienatis jam semel animis, argumenta *Mallingcrotii*, uti vero propiora faciliùs persuadebantur.

Cum

1654. 8. *Contumacior Mallingcrotius excommunicatur.*

Cum autem multos expectatione suspensos, intentosque haberet ea præsertim causa, quæ tanto populi studio fovebatur, & in horas crescceret *Mallingcrotii* contumacia, *Christophorus Bernardus* cernens etiam sub interminatione anathématis interdictum ingressum Ecclesiæ, pari temeritate posthaberi, ad preces Procuratoris Fisci, consultis tamen antè Primoribus divinæ facultatis & sacri juris interpretibus, â piorum Societate hominem segregavit. Quò causæ penitiùs & plures innotescant, haud piget ipsa anathematis verba hic adscribere, prout è suggestibus recitata, & valvis Ecclesiarum affixa sunt, sub hoc tenore.

Quandoquidem Bernardus à Mallingcrott ante hac, & quidem sextâ Martii Anno nuper quinquagesimo secundo, illam potissimum ob causam (reliquis pro hac vice præteritis & brevitatis amore subticitis, suis tamen locis & temporibus debitè prosequendis, & urgendis, illúmq; in finem omni meliori modo reservatis) quod post obtentam à Nobis & Venerabili Capitulo Nostro Apostolicam confirmationem, ac eandem in & per Civitatem ac Diœcesin nostram Monasterienſem debitè publicatam, obedientiam & reverentiam vigore Apostolicorum rescriptorum & manda-

mandatorum Nobis debitæ, etiam in Ecclesiâ Nostrâ Cathedrali; nec non processionibus publicis, cum gravissimo totius Cleri & populi Nobis concrediti scandalo exhibere palam & publicè detrectare præsumpserit, Canonicè à Nobis suspensus; & postmodum ad Fiscalis Nostri humilem, devotámq; implorationem ac instantiam, cum ulterius inobediens refractarius existens, suspensionem Nostram canonicam, sæpissimè pro libitu, ac voluntate suâ violaret, seseq; non solùm in Vigiliâ & ipso S. Jacobi festo ad Ecclesiæ Nostræ chorum (à quo tamen multo tempore censuram suspensionis dubio procul timendo, illámq; agnoscendo, abstinuerat) nec non locum Decanalem & stallum, uti vulgo ajunt, occupando violenter intruderet, sed etiam sæpè numerò Sacrum legere, celebrare & divina peragere, suspensione Nostrâ totali & canonicâ omninò vilipensâ ac posthabitâ, publicè præsumeret (cum tamen partium suarum & devotionis à subdito superiori, & Episcopo debitæ fuerit, sententiam Pastoris sui, sive justam, sive iniustam juxta Sacrorum Canonum præscripta timere & revereri) à Nobis irregularis notificatus Decanus, prout hæc omnia non solùm in patenti scripto

1654.

1654. protestationis venerabilis Capituli Nostri, sub dato 25. Julij, ipsi per Notarium & testes insinuato, átq; ad valvas Ecclesiæ Nostræ Cathedralis publicè affixo, sed etiam è Decreto Nostro notificationis, incursæ ipso violentiæ facto Irregularitatis in Civitate Nostrâ Coesfeldiensi trigesimâ Julii ejusdem proximè elapsi mensis exarato, de Ambone per totam Diœcesin Nostram publicato, átq; ad valvas Ecclesiarum ubiq; similiter affixo, latiùs apparet, ad quæ Fiscalis Noster se humillimè retulit: binas ejusmodi censuras in ipsum debitè & canonicè prolatas, ulteriùs contemnendo, & planè vilipendendo ad demonstrandam magis publicè, & enixius refractariam suam oppositionem, & inobedientiam à primò currentis mensis Augusti, usq; in hodiernam diem, quotidie non solùm ad chorum & divina sese propriâ temeritate ingerere, de facto præsumpserit, sed etiam divinum officium & cantum in choro Ecclesiæ Nostræ Monasterienſis, scandalosissimè, & summè punibiliter confundere & perturbare non erubuerit, dum sese de facto, & violenter ulteriùs intrudendo illud suo temerario ausu, & punibili facto effecit, quod ad ipsius sese ingerentis præsentiam reliqui in choro præ-

sentes

sentes (quibus officium divinum & cantum ipso præsente continuare, à venerabli Capitulo Nostro inhibitum fuit) discedere, & cantus cessare, ac pulpita vacua, cum magno omnium Civitatis Nostræ Monasteriensis incolarum scandalo, relinqui debuerint; quinimò è loco, & stallo Decanali, tertiâ hujus, inaudito hucusq; exemplo excurrens, Sacerdotem in summo Altari celebrantem inter ipsa Divini Sacrificij Venerandissima Mysteria turbare, ad dandam benedictionem Diacono tum quidem temporis, citra ejus præsentiam Evangelium cantare obligato, sed ad mandatum à sæpiùs memorato Venerabili Capitulo Nostro factum justè renuenti, præterea & ipsum Diaconum ad cantandum Evangelium violenter cogere, Vicarios & Chorales ad cantandum animare, & illis hæc omnia impunita fore, seq; defendere velle, promittere & spondere, nec non alia scandalosa quamplurima perpetrare & peragere nullatenùs verecundatus fuerit, aut timuerit. Debuimus tandem, quamvis inviti omninò, instante Nostro Fiscali ad ulteriora publica scandala in Ecclesiâ DEI præcavenda, & ut cultus Divinus in omni tranquillitate & quiete perageretur, ipsi suspenso & irregulari 1654.

1654. *Decano ingressum Ecclesiæ Nostræ Cathedralis de consensu & præscitu sæpius memorati Venerabilis Capituli Nostri sub Excommunicationis Majoris ipso facto, absq; ullâ ulteriore monitione, aut declaratione, incurrendæ pœnâ inhibere, & gravissimè interdicere; uti latiùs patet è Diplomate Nostro eum in finem insinuato, & affixo, ad quod similiter Fiscalis Noster so devotissimè referebat; & quamvis rebus ita manifestè & notoriè constitutis speraverimus, ac in Domino sincerè confisi fuerimus, sæpiùs fatum Bernardum â Mallingerot per præmissas salutares disciplinas ac correctiones tandem aliquando ad saniorem mentem rediturum, ac consilia prudentiora cum humili, uti decebat, submissione, reverentiâ ac deprecatione, amplexurum fuisse, ut ita absolutionem tam â Sanctissimo Domino Nostro quàm â Nobis obtinere mereretur; attamen re ipsâ, & facto experiri debuimus, uti & absq; eo â Fiscali Nostro Nobis humillimè remonstratum fuit, quod omnibus salutaribus disciplinis & correctionibus scandalosissimè, atq; summè punibiliter spretis & rejectis, in Episcopalis Nostræ dignitatis, Principalis respectûs & Jurisdictionis Nobis competentis gravissimum*

1654.

mum contemptum, & palpabilem pessimæ sequelæ aespectum, quo lenius & longanimiùs cum ipso agere, ejusq; punibilia perpetrata, & acta patientius æquo animo perferre, & patientissimè jam ab aliquot annis tolerare voluimus, tulimus ac toleravimus, eò magis ipse â Mallingcrott *in suâ inobedientiâ & contumaciâ obstinatè & contumaciter consistat, permaneat, ac planè insordescat, dùm contemptis & vilipensis prioribus & præmissis omnibus, planè refractariè & manifestè rebellando, Ecclesiam Nostram Cathedralem ingredi, chorum intrare, in Sacristia & alibi Missæ officium legere, plurimáq; alia punibilia, & scandalosa, perpetrare, præsertim ipsum Divinum officium quotidiè ferè sub ipsâ etiam elevatione Sanctissimi Corporis Christi turbando, & coram omni fideli Populo (quem etiam contra Nos concitare, commovere, átq; â Nostrâ devotione retrahere velle, non levibus constat indiciis, præsertim ex frequentiori & planè insolito ejusdem populi accursu) confundendo, átq; quantum in ipso fuit, impediendo, audaciter, pertinaciter, & omninò inobedienter non erubuit, censuras quaslibet, clavésq; Ecclesiæ palam contemnens; ut autem tantus, tamq; gravis*

contemptus, tantáq; inobedientia, pertinacia, obstinatio & impœnitentia, graviore coërceatur pœnâ, & crescente in delinquente delicto & contumaciâ, etiam augeatur, & crescat in Ecclesiâ DEI punitio; ideo Nos ad ulteriorem Fiscalis Nostri instantiam, humilémq; implorationem, DEUM & sanctam justitiam præ oculis habentes, & ut exemplo unius non ex inferioribus, subditi discant, promptè suis obedire Prælatis ac Superioribus, scandala & pernitiosa exempla tollantur, & Ecclesiasticæ disciplinæ vigor & rigor conservetur, de expresso consensu, & præscitu Venerabilis Capituli Nostri, sæpefatum Bernardum â Mallingcrott suspensum & irregularem Decanum, ob tot perpetratos, toties iteratos, & repetitos, sub Excommunicationis, ábsq; ullâ ulteriori monitione aut declaratione incurrendæ pœnâ prohibitos & punibiles actus, ipso temerariæ transgressionis & refractariæ controventionis facto, in Excommunicationem Majorem incidisse, átque huic gravissimæ omnium in Ecclesiâ censuræ jam tum â tempore illo innodatum esse & fuisse, ac ideò eundem tanquam excommunicatum ab omnibus Christi-fidelibus sub pœnis, & censuris juris vitandum, præsentibus

sentibus Nostris litteris denunciamus, notificamus, & respective in virtute sanctæ obedientiæ omnibus Nobis subditis, ac fidelibus cujuscúnque Ordinis, Religionis, status aut conditionis existant districtè præcipiendo mandamus; volentes ac præcipientes non solùm debitis hæc locis intimari, sed etiam per totam Diœcesin Nostram de Ambone publicari, & ad valvas Ecclesiarum ubiq; affigi, salvis tamen in omnibus Processibus Apostolicis, & aliis â Fiscali Nostro jam institutis, aliisq; censuris aliundè incursis. Decretum & signatum in Civitate Nostrâ Coesfeldiensi, vigesimâ nonâ Augusti, Anno millesimo, sexcentesimo quinquagesimo quarto.

9. *Sed flocci pendit.*

Sed *Mallingcrotius*, & cò parum terriculamento porculsus, nihil propterea mutabat, tantò in æde sacrâ frequentior, quantò videbat suum isthic consortium studiosiùs evitari. Ipso namque sacram ædem subingresso fugere Capitulares, cessare cantus, omitti horariæ psallentium preces, abrumpi sacrificia, extingui candelæ, quæque aliàs sacris interdicto fieri assolent, gnaviter expediri; attonitâ primùm, suspensâque plebe, mox etiam Decani commiseratione, posthabito sacri Ordinis respectu, in calumnias effusâ; Chorifugas illos, post dira-

Vitatur uti Excommunicatus.

1654. rum, furcarumque imprecationem, dignos esse, qui non ex æde solùm, sed & urbe & orbe expellantur. Neque verbis tantummodò certatum. Diplomata, quibus sacrorum Decanus interdictione corripiebatur, ut primùm Ecclesiarum propylæis affixa erant, mox hic lacera, isthic avulsa, alibi fœdis conspurcata sordibus visebantur. Enimverò ejusmodi facinora pleraque erant execratione multorum prædamnata: nec tamen ideò Senatus, quamvis hæc invito etiam Principe fieri, nec aliò, quam ad seditionem spectare, haud obscurè prævideret, negotium uti par erat, dispellere festinavit. Suadebant providentiores, certè non pauci, ut istum vulgi favorem, ac prona erga Decanum studia celeritate præciderent; ut anteverterent motibus, ad quos excitandos hujusmodi facta & sermones seu veri, seu ficti, apud homines turbarum avidos juxta valerent; ut iis statuentur pœnæ, qui Basilicam D. Pauli spectandis tantùm, animandisque Decani factionibus adirent. Sed quod adeò benè monentibus obtemperatum non sit, suâ Senatores indulgentiâ & cunctatione posteà, cum eorum authoritas apud plebem ferè concidit, experti didicêre, quantum virium morbis accedat, procrastinatione mediorum; quæ si essent in tempore adhibita,

Magistratûs conniventia.

hibita, omnes plebi factionis nervos succidissent, & animum Decano pervicacem. 1654.

Is enim auctis in dies singulos odiis populo utebatur, non ad Principis solùm, Capitulariumque, sed & *Jesuitici* nominis execrationem. Hi namque quod jure Decanum sacris interdici affirmâssent, apud vulgum viri studiosum, infames, invisiq; uti turbarum omnium, ita & harum præcipui audiebant incentores. Quippe concesso â Capitularibus per illud tempus hortulo seu terræ particulâ, extendendis Collegij ædificiis, orientem versùs peropportunâ, merum per favorem, execrando *Jesuitas* programmati subscripsisse, Intenditque suspicionem, quod Theologorum alter è Societate (erat is Petrus *Witfeldius* rarâ eruditione, vetereque multarum rerum usu venerandus senex) Decanum â sacris amoveri posse judicârat, quoniam electione Romæ comprobatâ, ipse ad Imperatorem conversus, laboraverat seculari manu potestatem Ecclesiasticam impedire. Id uti ab aliis item consultis tactum non erat, ita suo arbitratu creditus est addidisse, eò proniore ad hæc populo, quò contrarium â cæteris Religiosorum familiis viderent, si non apertè defendi, saltem uti verisimilius amplexari. Hi namque *Mallingcrotium* templa

10. *Odium in PP. Societatis.*

Favor Religio-

1654. *forum pro Mallingcrotio.*

templa sua, cænobiaque ingressum honorificentius excipere, studiosius observare, præsenti condolere, coram aliis commiserari; eorumque Buccinatores aliqui, in mores, injustitiamque dominantium (themate auditoribus haud accommodato) non surdis vulgi auribus assidue atque acerbè declamare; quorum turbulentis concionibus, privatisque paucorum dictis, tanquam sacris imbuti multitudinis animi, magis, magisque impellebantur. Quin etiam in frequenti concione recitandum sacræ proscriptionis diploma, contra suam (sic enim exprimebant nonnulli) mentem agere se invitos, coactosque palam præfati ita obiter perlegere, ut murmurantes singuli, recitantes vix quisquam intelligeret. Prudentiores, & ex ipsis etiam Religiosis, consodalium suorum dicta, factáque demirati, ab eorum modestiâ requirebant, præbere cæteris obedientiæ adversus Præsulem documentum; id Religioso instituto propiùs esse, quàm importunis palàm vociferationibus, aut seditiosis privatim incitamentis, rem optimam corrumpere, & adeò præcipitem latenti adhuc exitio viam parare. Illi contrà non stetisse Principem juris viâ lamentabantur, dum omissâ denunciatione Decanum suspenderat, & quanquam in tantâ excessuum evidentiâ necessariam eam non fuisse,

idque

idque peritissimos Romanos Judices & illustriores Germaniæ Academias sentire, Princeps publico etiam typo docebat; ipsi tamen præconceptæ jam mentis suæ tenaces, populum in eam quoque sententiam de se pronum facilè trahebant.

Nec uspiam studiosior *Mallingerotius*; ubi enim vidit indies augeri populi studia; eáque tam seriò foveri quorundam Religiosorum ope, nihil æquè percellere animos, atque vulgatam sui viri grandævi, præclarè de patriâ meriti, tamque innocenter patientis injuriam; ille rem amplificando, Principis severitatem, Capitularium odia, Jesuitarum blanditias, argumenta inclinatis ad suspicionem animis idonea permiscendo, mirùm quantùm & rei invidiam & â Principe, Collegióque Cathedrali abalienationem, & in *Jesuitas* odium cumulaverit. *Quo stimulatur.*

Interim *Mallingerotius* auctâ ex favore vulgi confidentiâ in principe templo non minùs, quam ante frequens erat, incertus licet aliud â se confici nihil, quam publicæ pietatis exercitia disturbari. Cui malo ut occurreret *Christophorus Bernardus*, operâ Prætorianorum utrámque majorem templi januam, occlusis cæteris, observari facit, & ab ingressu arceri Decanum. Ille tametsi vim vi repellere licitum, néque id hoc rerum statu difficile sibi 11. *Arcetur ab ingreßu Ecclesiæ.*

1654. sibi fore, testabatur; nolle se tamen effundendo insontum sanguini aut sacrorum violationi præbere causam, sed citra juris sui læsionem ab ingressu tantisper sese temperaturum, donec Judicis superioris authoritate medela adferatur. Et spe Coloniensium processuum jam erectus, subindè transiens, bono satellites animo esse jubet, hac â se molestiâ propediem liberandos.

Diversa scripta hinc inde affigit.

Interim ut suam populo, quem ubiq; Judicem ambiebat, & innocentis læsionem, & causæ justitiam comprobaret-contra Anathematis diploma, & ipse diversa valvis Ecclesiarum scripta affixit; quibus primùm, citatis sine locorum indice immensum authoribus, rem suam stabilire nitebatur; tùm enumerando irrogatas sibi injurias; *immerentem, exutum Satrapiæ Horstmariensis administratione; ex arce Schonebeckanâ deturbatum; e Turnariorum numero expunctum; proventu Decanatûs, ipso scil. alimento, iniquè spoliatum se dolebat; tentatam semper postulatis & dignitate & famâ suâ indignis concordiam; accessum ad Principem per se, per alios sollicitatum inusitatâ severitate bis pernegatum, ideóq; viam omnem componendæ liti obstructam esse.*

Jußu Princi-

Princeps scripta hæc tanquam incentiva ac turbarum pabula, â nullam habente

1654.

te jurisdictionem affixa, lacerari confestim imperavit. Ut autem isti imposterum notæ antevertat *Mallingcrotius*, aliud usurpat medium. Binas ex ligno confieri tabulas curat, incussis supernè duobus uncis, ex quibus commodè suspendi possent; iisq; agglutinat, quæ legi volebat scripta. Has propylæis Ecclesiarum per famulos affigi præsens ipse mandat, relicto dein eorum altero excubitore, qui custodiat, & si forsan accedant publico missi nomine tabulas surrepturi, avulsas illicò tollat, fugiatq;. Id consilium, quia ex animi sententiâ pluries successit, aliquamdiu continuatum est.

pis lacerantur & avelluntur.

At verò Princeps quo minùs incauta plebs censuris illicitæ societatis involveretur, sub gravi pœnâ edixit, ne quæ eo in genere â Decano scripta, affixáque imposterùm legerentur. Sed eâ prohibitione, uti plerumque contingit, & cupido lectoribus, & justitiæ specimen Decani causæ accrevit: proindéque tanta certatim lectitantium multitudo advolavit, ut complures accurrentium turbâ præpediti, legendi aviditatem satiare haud possent, & alij argumenta litterarum rogati, perceptis malè periodis falsi, fallentésque, rudes animas facilè circumvenirent.

Prohibentur legi.

12.

Indies igitur glisscente ex *Mallingcrotij* contumaciâ, populi factione, in-

Princeps re-

evita-

1654. *Solvit Mallingcrotium custodiâ attinere.*

evitabiles prospiciens turbas *Christophorus Bernardus*, statuit hominem, media quæque mitiora respuentem, honestâ extra urbem custodiâ attinere. Eâ super re scribit ad Senatum, ac *mandat*, ut deducendo per Urbem *Mallingcrotio*, ne quid turbarum conciret populus, apparitores & famulitium Urbanum ad portas usque præsto adsint. Utque unà, Consiliariis injungit (erant ij *Brabeckius*, *Fürstenbergius*, *Merveltius*, *Wiedenbruckius*) in istam *Mallingcrotij* detentionem studiosè intendant, nec minore curâ, è suspicacibus Monasterienſium animis quamcúnque removeant emergentem alicujus fortè præjudicij anxietatem.

Scribit hoc ad Senatũ.

13. *Responsum Senatûs.*

Senatus re cum Tribubus ac Plebe collatâ *Vierdenhalvium* Oratorem cum sex aliis ad Consiliarios Principis, avidos responsi destinavit, & ij quidem pridie Jdus Septembris sequentia retulêre. *Actiones* Mallingcrotij *Civitatem non tangere, néque iis miscere se intendisse unquam; Senatum quóque nullam sibi in Clericum vendicare potestatem; palam tamen esse*, Mallingcrotium *non tantùm de universâ patientiâ præclarè hactenùs meritum, sed & Monasterium Urbem superioribus bellis singulari semper benevolentiâ prosecutum; magnam fuisse partem Religionis & publica*

1654.

blicæ rei conservatæ; esse tot annorum Prælatum, nobilissimo stemmate oriundum, ut profectò viri ætas, dignitas Ordinis, familiæ nobilitas longè aliam mereantur sortem, quam ignominiosam huiusmodi detentionem; nec unquam Civitati decorum fore, si virum talem sic ipsa traderet Principis potestati. Orare igitur, ut dictorum habeatur ratio, & interim tam molestâ comprehensione supersedeatur. Preces has Civitatis primas esse, ex quo Princeps gubernaculum teneat, eóque firmiùs confidere vel tantò facilius exanditum iri. Cæterùm missas his diebus super abducendo Malingcrotio ad Senatũ litteras, ita compositas esse, ut salvâ juris jurandi religione, citra læsionem competentis sibi juris conducendi, earum argumento minùs liceat deferre. Extare Episcopi Erici & aliorum Prædecessorum autographa, qui in re consimili nunquam Senatui mandârint, sed proprium fuisse semper rogare aut requirere. Ad privilegia Civitatis conservanda juramento se obligari, nec dubium esse, quin Princeps benignè recordetur, auspicatò nuper inauguratum, accepto homagio, Civitati vicissim jura sua conservaturum solenniter addixisse.

Querela super verbo mandare.

Præte-

1654. *Præterea manifestum esse vulgi favorem, justam* Mallingcrotium *causam fovere sustinentis, ex eóque non omninò vanum censeri seditionis metum, cui posteà cohibendæ haud par foret Magistratûs potestas, ut vel timor ille non modicam quæsitæ abductioni creet difficultatem. Porrò existimare senatum, Populumq; Monasterienſem comprehendẽdi extra mœnia Decani occasiones Principi nunquam defuisse, nec alia coercendi media hodiedum deesse, se quóq; si ita videatur opportunè persuasuros, ut exosis illis chartarum affixionibus finem imponat.*

14. *Quid replicent Consiliarij Principis.*

Indè digressis paulisper, Consiliarij singulas à capite causas expendunt, & post exiguæ moræ consultationem denuò vocatis, admissisque ita responderunt. *Sibi à Principe aliud in mandatis non esse, quam unam* Mallingcrotij *detentionem; quippè qui ab ipsâ statim electione assiduus calumniator, nec hodiè post Pontificis confirmationem, Cæsaris investituram, & totius Patriæ homagium à contumeliarum asperitate se contineat; imô delicta delictis cumulando; non ita pridem ipsius quæstionem statûs movere præsumpserit, homo obduratus, incorrigibilis, rebellis & censurarum Ecclesiasticarum contemptor. Remedia mitiora,*

1654.

tiora, quæ Episcopi mansuetudo durioribus præmisit, nihil profecisse, ut ad secularia converti nunc postulet patriæ salus. Et quoniam Principi fixum, statumq; sit haud aliter, quam istâ Mallingcrotij *detentione, securitati & quieti publicæ posse consuli, ideò suadere, preces suas reservet Magistratus majori quandóq; Civitatis emolumento. Si quæ sint* Mallingcrotij *in Patriam, inque urbem merita, non tam illi, quam toti Collegio Cathedrali tribuenda esse; aut certè dolere cum Patriâ Principem, ista non modò non continuata, sed aliis super alia flagitiis nimiùm fœdè interrupta. Et verò habitâ dudùm stirpis* Mallingcrotiorum *ratione plurimùm hactenùs Principem connixisse, longanimem resipiscentis expectatione, tardiùs duriora amplexum; nec etiamnùm aliud meditari, quam custodiam honestam & errantis dignitati parem. Principis litteras, quibus sub præcepti formâ jussos se querantur, allegatam eam anxietatem non mereri. Cum enim nullam in Clericum jurisdictionem Senatui competere ipsi ultrò fateantur, ac solius Principis sit tumultibus antevertere, & publicam in Rep. quietem curare, quis arguat jure, utrúmque & subditis imperantem? Usitatum esse in*

1654. aulis Principum Germaniæ, dum ad subjectos scribunt, non uti alio quam mandandi verbo. Nec enim addecere, subditos in causis æquioribus à Principe rogari. Si qui forsan olim ita fecerint, alia tunc fuisse tempora, alios mores, nunc uti inscriptiones nominum, ita stylum ac scribendi normam à seculo plurimùm variatam; nec aliud rogando significatum olim, quam nunc mandando; cum Principum preces, imperia, & rogare idem quod mandare censeatur. Et verò non videri operæ pretium, in re gravissimâ de verbis, quæ formare Secretariorum sit, diu altercari, frustrariq; idcircò æqua Principis postulata, quem constaret in privilegiis Civium conservandis fidem suam obligâsse non minus, quam Senatores, adeóq; ne quid adversùs illa imperatum sit, eidem curæ fuisse, & verò etiam posthac futurum. Sed & probè recordari Principem, in iisdem inauguralibus illæsam Principis jurisdictionem, ipsámq; Urbem immotâ ergà ipsum fide se conservaturos, Sacramento Senatores obligâsse. Nunc tempus esse memoriam ejus innovandi; prospicerent tranquillitati publicæ, turbis, quas metuant ipsi, maturè prudentiâ suâ prævenirent; edictis, pœnisque plebem coërcerent, juberentq; seriò, domi se continere juratos

1654.

tes Cives; cohortes peditum binæ, quæ communis ærarii Patriæ stipendiis alantur, ad compescendam vulgi insolentiam armatæ vigilarent; & si quidem iis necdum satis fidant, Principem plures prompte additurum, nihil ut desit qualicunq; tempestati componendæ. Quod verò Princeps attinendo extrà Urbem Mallingcrotio securitati publicæ citiùs non prospexerit, id eius longanimitati adscribendum, qui expectatâ quotidiè Decani resipiscentiâ salubri (uti putabat) moderatione usus, leniora asperioribus præmiserit; quem omnem nunc medicinam aspernari videns, ex desperatâ sanitate viri, suis quóq; morbis salutem Reip. involventis, remedium invitus ultimum quærere & adhibere compellatur. Alia ad obsequium reducendi Mallingcrotii media, si Monasterienses occurrant, avidè se excepturos; Principi verò, cum expeditis frustrà censuris lenius hodiè nullum supersit, quam honestâ Decanum custodiâ attinere, idcircò urgere se iterùm, ut Principis menti Senatores quantocyùs suffragentur. Ad verborum hæc postrema Monasterienses muti, paulisper è conclavi secessêre, paulóque post revocati defectu, ut ajebant, mandatorum petiêre dies pauculos moram. Reponunt Consiliarij gravem

1654. eam Principi fore, custodiam *Mallingcrotij* ad accelerandam patriæ quietem maturanti. Indè subjicientibus, motu duntaxat proprio (nec enim in mandatis id datum erat) quid videretur, si *Mallingcrotium* in ipsâ Cathedrali immunitate ac domi suæ contingeret honestè custodiri, respondit Syndicus nihil; sed cum morâ, ut ante dimitti petiit, acta Senatui relaturus.

15. *Mallingcrotius absolvitur ab excommunicatione.*

Provocaverat jam ante *Mallingcrotius* ad Nuncium Pontificis Coloniam Agrippinam. Ubi questus Episcopum potestatis expertem, nullâ suffultum justitiâ, sed solius ductu rancoris, in se sacræ proscriptionis fulmen, licet irritum vibrâsse, libello supplice remedium flagitavit. Nuncium tunc agebat *Josephus Sanfelicius* Archi-Episcopus *Consentinus*. Is improvidâ facilitate causam actutùm committit Joanni Philippo *Mockelio* S. Cuniberti Canonico. Quod autem idem ipse, in alterâ cum *Mallingcrotio* controversiâ, Commissarius jam olim *Christophorum Bernardum* iniquè gravâsset, essentque dudum ejusdem manus per Apostolicos processus ligatæ, expectabant ab ejus æquitate sagaciores, hanc se commissionem, uti pridem ante suspectum, recusatúmque prudenter declinaturum. Sed tantùm abfuit, ut præcipiti coram amplexu suspicionem auxerit, & neglecto juris ordine, nullâ scilicet præmissâ denun-

denunciatione, omisso gravaminum examine, sine omni cautelâ, cum manifesto clavium despectu, Judex promptissimus, illicò *Mallingcrotium* pronunciârit anathematis vinculo exsolutum. 1654.

Quæ Monasterium ocyùs perlata absolutio, eâdem authoritate jubetur in templis palam è suggestibus recitari; quod tametsi Principis interdictum præcaverit; valvis tamen Ecclesiarum affixa, hoc avidiùs excepta est, quò plausibilius videbatur argumentum. Sanè fuit illa litis quidem præambulum, sed multorum apud imperitam plebem motuum auctrix. Hæc enim & latinitatis & juris sacri rudis, tantò faciliùs in errorem trahebatur, quantò Decani causam inter legendum perversiùs attollebant sinistri interpretes. *Affigitur valvis Ecclesiarum.*

Ut autem *Mallingcrotius* & severitatem Principis, proclamationem inhibentis, & commiserationem sui apud populum augeret, ipsus obibat templa & affixiones præsens curabat. Quod dum in Cathedrali quóque molitur, concurrit plebs frequens, rata ædem denuò subiturum. Loci tunc istius excubitores Prætoriani, objectu corporum, armorùmque mox ostium vallant, ab ingressu simul, egressúque arcendis intenti. Hæc inter civis quispiam, dum statiòni molestus exitum tentat, ab hastatis repellitur. Id ignominiam, injuriamque *Non sine populi motu.*

1654. interpretantur, qui præsentes erant, concives: nec abfuissent ultorum manus, si non plurium honestas ac loci reverentia impetum stitisset. Interim Decano, posti agglutinatum parietibus exemplar, domum abeunte, procaciores nonnulli è vapparum grege, Prætorianos cachinnis primùm ac sibilis illudere, dein non obscuris verborum contumeliis ac scommatibus lacessere, ausuri & promptas manus inferre, dummodo, uti spargebant, præeuntem haberent, quem sequerentur.

16. *C. Bernardus istius processûs iniquitatem probat.*

Christophorus Bernardus multâ statim ratione, publico donatâ, perstringit acriter *Mockelij* temeritudinem, & solidè probat totius processûs iniquitatem. Ipsa verò affixa hinc inde absolutionis exempla, uti cursositatis ante pabulum, ita nunc jussu Principis atro penicillo denigrata, spectamentum offerebant transeuntibus sanè perridiculum; quasi jam tum ominosâ hujusmodi pulligine infelicem exitum prælugèrent.

Congressus Circulorum Westphaliæ & Saxoniæ Infer.

Per eos dies Monasterij consultabant Principum *Westphaliæ* & *Saxoniæ* inferioris Legati, quo demùm modo, uti imperaverat Cæsar, obsessæ â Suecis *Bremæ* succurreretur. Eóque agriùs habebat *Christophorum Bernardum* & populi factio, & Senatorum mora, quò tenacior erat authoritatis suæ, & in eâ præsertim Legatorum

præsen-

1654.

præsentiâ promptius ipse obsequium expectaverat â subditâ Civitate.

Quare cunctationem ultrà pertæsus, Consiliariis extremùm mandat, deposcant extemplò â Senatu, quid super attinendo, abducendóque *Mallingcrotio* tandem destinârint, Evocatus igitur Syndicus cum iis, quos ante socios habuerat, datæ nuper declarationi inhæsit. Non posse nimirùm Civitatem, quæ jussa, non rogata fuerit, citra fraudem privilegiorum, in abductionem *Mallingcrotii* consentire. Et iterùm docendo, quid in re consimili fecerint Episcopi decessores, præsentia exigebat ad superiorum normam. Dein, omissis etiam iis, exaggerare evidens tumultuum discrimen. *Profectò apparuisse non ita pridem Leodij, & cumprimis in urbe Neapolitanâ, quid populares turbæ possint, ut quæ in arma humilem per piscatorem tracta, suo procul ab exitio non abfuerit. Sibi evenire posse, quod cuiquam posset, in tanto præsertem opificum & exterorum confluxu, quos nullâ jurisjurandi religione Senatui constaret esse obstrictos. Nec dubium fore, quin inter eam* Mallingcrotij *abductionem, si fortè Prætoriani compescerent insolentes, (jurati licet cives se domi continerent) manifesta seditio nasceretur. Adhæc ipsius Patriæ*

17. *Instante Principe dat resolutionem Senatus.*

1654. *privilegio obligari Civitatem, si quempiam ex Ordinibus inter & Principem controversia emergat, conjunctionem rursus animorum, interventu suo conciliare. In ea laborâsse se hactenùs, nec rebus hucusque compositis Civitati tanquam arbitræ licitum, abductioni compartis adstipulari. Sic inter Magistratum, Tribunos plebis, Tribuum præfectos, totámque Communitatem convenisse.*

Consiliarij Principis, tametsi effugiis hisce jam ante obviatum satis, & abundè satisfactum edicerent, nihilominùs crambem recoquunt, & singula ordine refutant. At dum exaggeratum seditionis metum tangunt, *non sine animi commotione Principem*, ajunt, *excusationem adeò frivolam cum stomacho rejecturum. Si enim Senatores esse, si clavum Reip. tenere velint, illud utiq; authoritatis, artisque & potentiæ insit oporteat, ut quietem, benè constitutæ Civitati apprimè necessariam conservare, factionibus turbulentorum obviare, pessimósque frangere conatus possint; quò Cives, quò superiores, quò singuli tranquillitate publicâ fruantur; nec quisquam in exercendo jure suo turbetur. Hoc fine Principem ingesta nuper media commendare iterum, suáq; prompte* sub-

18. *Responsio Consiliariorũ.*

1654.

subsidia, si necessaria judicent, vicissim offerre. Quod Leodiensium ac Neapolitanam rebellionem attineret, sperare Principem, ejus Monasterienses erga se fidei & devotionis esse ac futuros inposterum, ut rebellionis audaciam suspicari nolit; secus (quod superi avertant) non sibi minùs, quam istorum locorum dominantibus defuturam compescendi, puniendique potestatem. Nec eam defuisse prædecessoribus suis, quando Anabaptistarum insaniam suppressêre, monumenta domestica, suspensos ad D. Lamberti corbes, luculenter testari. Nunc Magistratûs hujus esse, prudente vigilantiâ istiusmodi malis prævenire, qui sequiorem in eventum exactam villicationis suæ rationem Principi reddere obligetur. Nec eam exterorum opificum & otiosæ plebis multitudinem Monasterio ineße, quæ duarum cohortium præsidio, ipsorumque civium, & si necessitas urgeat, oblato Principis auxilio non possit facilè coêreeri. Adeóque inanem esse seditionis metum, dummodo Senatus muneri suo haud desit. Obligationi conciliandæ inter Principem ac Decanum concordiæ, quam à Patriæ privilegio injunctam sibi meminißent, totius triennij spatio & ultra ab ipso electionis die abundè sa-

1654. *tisfactum.* Exin Mallingcrotium *suspensum, irregularem, excommunicatum, magis quotidiè, magisque pervicacem, incorrigibilem, rebellionis reum & novissima exempla meritum, si honestâ tantùm custodiâ attineatur, clementiæ Principis & solius benignitatis esse; nec minùs ita exigere publicam patriæ salutem, ac ipsius Magistratûs obligationem; cui sacrosancti jurisjurandi Religio majus haud dubiè inaugurato Principi suo obsequium, quam ejusdem rebelli favorem deferendi imposuerit necessitatem. Irent itáq; & ábsq; longiore morâ, quid postremùm statuerint, tandem declararent.* Paulisper egressi, reversíque prioribus inhæserunt, & modicum adhuc spatium ad consultandum petiêre.

19. *Finalis Senatorum resolutio.* Quo dato post triduum reduces hanc Senatorum declarationem detulerunt scripto comprehensam. *Ad postulata Principis super abducendo* Mallingcrotio *Cathedralis Ecclesiæ Decano, per Celsitudinis suæ Consiliarios Magistratûs Vrbici Deputatis proposita, auditâ relatione, præmissâque solemni deliberatione, declarat idem Magistratus unà cum Tribunis plebis, Magistris Tribuum, totâque Communitate suis se civibus & universis Civitatis incolis man-*

mandaturos, ne controversiæ Principem suum inter & Decanum pendenti, sese ullatenus immiscеant, nec quis in partem alterutrius descendat; considere ê contra, nullam quóque commotionis alicujus ansam datum iri. At vérò super abductione Mallingcrotij, *quod Senatus more Decessorum Principum debitè requisitus non sit, ipsáque res periculi plena appareat, statui nihil aut declarari potuisse. Nec sperare Magistratum istius Principem animi esse, ut pervetusta Civitatis jura, ac privilegia turbari, lædiq; velit. Sin autem Celsitudini suæ videatur, juxta quod à Consiliariis motu proprio nuper suggestum est, ipsam* Mallingcrotij *Decanalem domum, in immunitate sitam, custodiæ loco designare, Civitatem absq; tamen privilegiorum & jurium suorum damno, nullatenùs adversaturam: dummodo Cosiliarii judicent absolutionem ab Apostolico Nuncio favore* Mallingcrotij *novissimè decretam, & hoc ipso die cum mandato inhibitionis Senatui intimatam, cœptis hujusmodi non obstare. Ad singula expectari responsum. Signatum in congregatione Senatûs. Sabbato 19. Septembris Anno* 1654. 1654.

Super hæc oretenus addidêre, Magistratum ægrè admodum tulisse oggesta. *Cum aliquâ quæstà relà.*

ſta in proximo congreſſu, tam odioſa *Leodienſium & Neapolitanorum* rebellium exempla, eorumque ſupplicia Monaſterienſibus, uti apparebat, non obſcurè applicata, quorum tamen cauſas (quæ ſola Dei gratia eſſet) remotiſſimas â ſe conſtaret. Inde ſuorum meritorum & continuæ erga Principes devotionis longam panegyrim exorſi, ſub *Ferdinando* Electore Colonienſi felicis recordationis Epiſcopo Monaſterienſi, ita ſe ſemper citra jactantiam geſſiſſe, ut Serenitas ſua omnimodam ſatisfactionem frequenter celebrârit. Nec ſperare ſe nunc, ex quo Celſitudo ſua Epiſcopatui præeſſe cæpit, ab officio devotionis uſque adeò degenerâſſe, ut hanc Neapolis vel Leodij rebellantium applicationem mereantur. Reſponſum ad hæc breviter. *Principi de Monaſterienſium, ac præcipuè Magiſtratûs, honeſtorumque civium juramento ſibi obligatorum integritate, longè aliam mentem eſſe ac fiduciam; nec iſtorum unquam exemplorum mentionem facturos ſe fuiſſe, ſi non eorum ipſi prius meminiſſent.* Ita ſeptimanarum aliquot diſceptatio terminata fuit. Conſiliarij verò decretoriam Magiſtratûs declarationem, unà cum actis, ſublimi Principis judicio ſubmiſêre.

20. *Concurrentia*

Inter hæc notatum â curioſis, & rerum

rum inania considerantibus, plerósque horum congressuum actores, rarâ concurrentiâ cognomines fuisse *Bernardos*. Ipsum Principem, qui *Mallingcrotium* attitineri deposcebat, *Christophorum Bernardum*; eundem, qui deposcebatur, *Mallingcrotium Bernardum*; Civitatis Syndicum ac Secretarium, *Vierdenhalvium* & *Hollandium*, utrumque etiam *Bernardum*. Ac Principis Consiliarium & Oratorem *Bernardum Wiedenbruckium*; Quem ex ore Concilij perorantem & rebellionis maculam civibus impegisse malevoli vulgabant, & corbes Anabaptisticos è D. Lamberti turre suspensos Senatoribus contemptim præmonstrâsse, eo veluti supplicio dignis. Quæ res quoniam cum Magistratûs, urbisque despectu conjuncta erat (quanquam falsa, conflctáque) facilè compluribus credita est, ab iisque in reliquum vulgus cum maximo *Wiedenbruckij* odio propagata.

1654. *Bernardum in his negotiis.*

At vero *Mallingcrotius* gnarus eorum, quæ â Senatu permissa erant, domi suæ haud ultrà securus, apud civem Staalium (qui proximè Curiam in foro habitabat) exindè noctu diversabatur. Et quamvis desperatâ Principis gratiâ vix videret locum retrahendi aleam quam iecerat; excitabant tamen subindè nutantem animum populi studia, nonnunquam hortatus familiarium, &

21. *Mallingcrotius jubetur restitui.*

1654. & nunc etiam ſpem erigebant alteræ *Mockelij* litteræ, quibus ob Principis contumaciam *Mallingcrotium* jam abſolutum priſtino reſtitui jubebat, imploratâ etiam Urbis Monaſterienſis forti manu, ſeu, uti vocant, *brachio ſeculari*. Sanè ubi ſub titulo, nomine & ſigillo Apoſtolici Nuncij valvis eæ Eccleſiarum ferè omnium affixæ ſunt, mirum dictu, quanto argumentum hoc tripudio plebs exceperit, & *Mallingcrotius* accedente populi favore, plausuq; lætior ipſus exultârit. Et quanquam in confertâ, quæ ſe ad ſpectaculum effuderat multitudine (erat enim dies Angelorum Principi ſacer) *Chriſtophorus Bernardus* ab hujuſmodi Mockeliano gravamine, per Tabellionem ad Pontificis Tribunal, palam provocaret; nihilò tamen æquior populus, effectum clamabat Colonienſis judicati; Romámque appellari criminabatur ad producendum duntaxat ob provocantium potentiam infinitè judicium, aut profectò non ante alterutrius mortem terminandum.

Imploratо etiam brachio ſeculari.

Princeps appellat Romam.

22. Suſpenſa exortis iſtiuſmodi quotidiè novis Civitas erat ac ſermonum plena; pleriſque invaleſcente factioſo Decani, vulgiſque animo lætis; multis ad ea tantùm ſpectacula intentis ac præſenti theatro geſtientibus ſine cura reliquorum; paucis quæ indè ſecutura erant mala, reputantibus.

Populi ſermones ac ſtudia.

bus. Nec alia crebrior quam de Principe & Mallingcrotio sermonis materia, in cætibus, in triviis, in fabulantium circulis (ij passim in area Cathedrali, in foro, compitisque visebantur) plerúmq; seditionum officinis; nemo non Judex videri cupiebat, haud secùs ac si constituti partium arbitri indeclinabile judicium ferre possent. Vendebat hic, quæ in concionibus dicta, auditáque erant; iste quæ â collegâ, vel concive hauserat; alter quæ propria suggerebat ratio. Et ingenio plerúmque rudes erant, qui loquaciores, aut certè vix ultra popinalem doctrinam sapiebant. Peritiores Principis importunitatem exaggerare, perstringere Capitulares, *Mallingcrotij* causam attollere, iis studiosè silentio prætermissis, quæ partium rebus officere videbantur. Alij non tam ut auditores fallerent, quam falsi ipsi, deceptique earum specie causarum, quæ obtentui habebantur, Religiosorum authoritatem, decreta Nuncij, sermones peritiorum allegare. Si qui stabant â Principe, tam erant invisi consortiis, quam partibus impliciti, ignari causæ, aut narrare falsa dicebantur. Si verò argumenta in medium proferebant, quibus Episcopi causa commendabatur, incredibile dictu, quo non indignantium stomacho ac penè convitiis ea rejecta sint; adeò multi concepti jam semel 1654.

judicij

1654. judicij tenaces pro Decano, tanquam pro aris & focis decertabant. Et sanè perpauci erant, qui Principis partes tuebantur, aut certè ne plebis excidérent gratiâ, palam id facere timidi, servire scenæ præhabebant. Erat enim opificum in officinis, helluonum in tabernis vox propè una, *vivat Decanus, cui vitam, salutem, triumphum, fausta omnia.* Quin etiam parvulorum in angulis, vicisque platearum turmatim sese colligentium, certantiúmq; pars Decano, pars Principi devota, secuturis adhuc tempestatibus præludebat.

Multis ad hæc ationitis.

Nec defuêre, qui acria illa populi studia, execrationémque Principis, Capitularium, ac Jesuitici nominis animadvertentes præsagirent brevi Monasterium omne, contra quam pleriique existimarent, tumultibus involvendum. Eadem quippe, ajebant periti fastorum, nunc esse, quæ seculo antè Anabaptisticæ seditionis initia.

Omina.

Crevitque de ea præsagitione indè quóque sermo, quod hoc ipso anno, die S. Vito sacrâ, sub quintam matutinam ternæ turres (Sanctorum Michaëlis, Martini & Lamberti) ab improviso tonitru, terribilem inter fragorem, uno fulmine pariter tactæ, ulteriorum motuum prænunciæ crederentur. Et erat in recenti omnium memoria exitiosa ante biennium pulvereæ

pulvereæ turris evibratio ; assertúmque plurimorum narrationibus *Magdeburgi*, hujusmodi portentis ac signis præmoniti excidium. Et prandebat postero die, cum fulmen pridiè turres icerat, apud Principem *Bremensium* Ablegatus, qui biennio antè paria Bremis contigisse narrabat, & exindè varias Urbem calamitates perpessam, ac proscriptionem Imperij, & secutam tunc *Königsmarckio* Duce obsidionem. 1654.

Verùm dicta terrére, non lædere plebs gnara, parùm iis movebatur, attenta famosis aliquorum carminibus, quæ tum passim in Principem ac Jesuitas, quasi velitationes quædam secuturi quandoque prælij jactabantur. Nonnulli etiam, ex pauperum fortè scholarium sentinâ, quorum animos crebrâ sibi stipe *Mallingcrotius* emerat, suppressæ justitiæ, & injuriam patientis annum, litteris numerorum loco positis, ad parietes passim exprimebant. Non pauci denuò Magistratûs indulgentiam accusabant, monebantque, ut in hujusmodi balatrones tempestivè statuerentur supplicia, ne cunctando morbum insanabilem efficerent. Sedendo tamen ac connivendo malis indormire visi, eóque multorum judicio turbas aluisse dicti sunt. *Carmina famosa.* *Magistratûs conniventia.*

23. *Princeps acquies-*

Quò gravior interim *Christophorum Ber-*

1654. *cit Senatorum resolutioni.*

Bernardum occupabat sollicitudo publicæ quietis, hoc vehementiùs dolebat à paucorum eam factionibus interturbari. Et quanquam super abducendo *Mallingcrotio*, non debere ipsum suadebant aliqui Magistratûs sententiam expectare, quod in homines sacris initiatos, Episcopo soli, jus omne reservatum esset; nec obscurè præviderent, Monasterienses pro eâ, quâ tunc vivebant, libertate, facilè semper dissensuros. Præplacuit tamen declarationi Senatûs acquiescere, & domi propriæ honestâ ad tempus custodiâ Decanum attinere.

Explorat mentem Nuncij.

Ne verò novis Colonia turbamentis conatum impediret, è re visum est, propositi summam, causasque priùs detegere Nuncio Apostolico, & Ejus ante mentem explorare. Misso igitur Coloniam Agrippinam Henrico *Bischopingio*, qui à consiliis erat, eóq; necessitatem continendi *Mallingcrotium* coràm explicante ultrò exclamavit Santelicius, cur ob causas, tam varias, justas, graves Episcopus tardaret; festinato opus esse, nihil profectò remoræ, nihil impedimenti se objecturum.

24. *Mandat attineri Mallingcrotium.*

Conspirantis itaque Nuncij securior jam *Christophorus Bernardus* extemplò jubet Consiliariis, tunc adhuc Monasterij præsentibus, ut decretam *Mallingcrotij* detentionem accelerent, simúlque denuncient

cient Consulibus, quam ipsi nuper comprobârint in ædibus custodiam, & hanc etiam, sibi placuisse. Illuxerat jam septima Octobri dies, quâ Prætoriani, voluntatem Principis executuri, *Vingero* Duce, sub meridiem in Decani domum clàm se inferunt, ab cóque cum amicis epulante, petunt importuni accessûs veniam, & unà significant, inopinatâ denunciatione, in eorum sese custodiam, Principe sic imperante committat. *Mallingerotius* improviso militis aggressu, nonnihil initiò perculsus, paulò post mandati tenorem exigit. Quo viso, lectóque negat isthic agnosci Principis imperium, quod solius sit Decani. Indè factus armatis propior, nisi cedant, neces & exitia minatur. Sed dum paulatim mitior, vinum inficetas inter facetias largiùs propinat, accedit convivarum alter, monétque custodes, si quidem vita cordi sit, ocyus facessant indè, ac tuta petant, fore alioqui, ut integer evadat nemo. Et licet turbatiorem jam tum exitum certò prætimerent, nihilò tamen segniùs simul arma, simulq; *Mallingerotium* ac singulorum oculos observabant. 1654.

Id exequuntur Prætoriani.

Inter hæc ex ejus famulitio stabularius, è fenestra dilapsus, per Urbem discurrere ac vociferari; *teneri Decanum; periclitari vitâ; à militibus insideri*

Turbatur civitas.

1654. *domum; opem, opem implorare.* Ad cujus ſtentoris vocem mox undiqué concurrit, quidquid factioſi, petulciqué hominum generis erat. Pars ſtare in foro, captum uti putabant jam jam abducendum excepturi, pars ante domum catervatim conglobari, donec affluens multitudo tentatis foribus connititur per vim aditum aperire, & ereptum militari cuſtodiæ *Mallingcrotium* reddere libertati.

Cura Senatûs.

Quæ dum in areâ Cathedralis Eccleſiæ geruntur, accedit a d Senatum *Quantius* Concilij Secretarius, ut juſſa Principis exponat, moneátq; curam, ne quas in Urbe turbas conciat populus. Sed inopportunè nunc iſta ſignificari cauſantur Senatores, commotâ jam civitate propè universâ: nolle ſe tamen muneri ſuo deeſſe. Dum verò remedia in Senatu quæruntur, foris per eadem incrementa vigebat morbus. Jubent interim ſine tympano armatas illicò coire duas civium cohortes, quæ in foro excubent, tumultum omnem præcauturæ: ſimulque *Vierdenhalvium* Oratorem cum *Hollandi* Urbis Secretario luſtratum amandant, qui apud *Mallingcrotium* rei agatur. Abeuntes hi, dum ædibus Decani viciniore conſpiciunt violentis anticam aggreſſionibus oppugnari, & nutantem ipſum jam verticem irruentium exitio imminere (nam

Luſtratum mittit Syndicum & Secretarium.

parùm

parùm aberat, quin incautos aggressores casus tumulâsset) missos se præfati, ut malo consulant, tumultuationem tantisper compescunt. Ostio subindè reserato domum ingressi custodiam primùm demirantur, paulò post inter haustus largiores (hospite tam gratis hospitibus vinum liberaliùs præbibente) custodes interrogat *Vierdenhalvius*, cujus hæc jussu fiant; respondent Principis, unáque poscenti visendam proferunt commissam sibi potestatem. Quâ perlectâ ferunt *Vierdenhalvium* de *Christophoro Bernardo* contumeliosè locutum, & redditâ tunc papyro inter minas etiam ac convitia militem reliquisse. 1654.

25. *Mallingcrotius erumpit.*

Nihilò sub hæc turbulenti quietiores, dum eximendi periculo captivi, ut ante pertinaces, aggressionem novam moliuntur, ex insperato *Mallingcrotius*, ignotâ viâ erumpit. In eum igitur ceu Numen quoddam converti omnes, gestientes accurrere, excessum gratulari, osculari manus, humeros certatim brachiis demulcere, applaudere libertati. Tum in laudes effusi, per aream Cathedralem, per D. Michaelis portam, per forum, ceu triumphantem ad ædes *Staalij* civis deducunt. Verùm inde confestim viam relegunt, accessu nunc etiam plurium audentiores, in militem prætorianum sæ-

Conatur Plebs in Prætorianos irruere.

vituri. Hi ut intentas in se tumultuantium manus declinarent, relictâ jam domo Decanali in alteram à vico Jesuitarum (quam *Schellius* S. Mauritij Præpositus tunc possidebat) ceu turius asylum confugerant, mutuóque hortatu firmaverant se adversùs vim omnem. Dum advolantis interim plebis impetum sistunt occlusi ædium aditus, de fenestrâ *Vingerus* cordatè monet, nihil quidem sibi cum cive negotij esse, si quis tamen præter spem vim ausit, ita armatos, animatósq; singulos, ut nec inultè, nec sinè sanguine de loco turbari posse seriùs agnituros sit aggressor. Hunc ergò conatum frustrati, quâ venerant celeritate, pedem vertunt in proximas ædes, quas *Brabeckius* major Thesaurarius habitabat; quod magnum ille proscriptionis *Mallingerotij* instrumentum fuisse, perque posticum horti in domum hodie Decanalem penetrâsse miles crederetur. Ubi parte fenestrarum nunc excussâ, vim fores patiebantur jam jam perrumpendæ, si non interpellans famula insontes se, & reos fortè Jesuitas edixisset.

Ædes Brabeckij molestant.

Hac voce, tanquam classico excitti proripiunt indè se, atque unanimes ad *Jesuitarum* in vicinia *Collegium* invadendum, diripiendumq; furentes ac lymphati conclamant. Præcursores illicò

Invadunt Coll. iũ Societatis.

fores

1654.

fores certatim pulsant, nec adventum Janitoris præstolantur, sed impacto mox ariete (fœnum quippe vicino Colonus advexerat, ut in promptu esset hoc ligni genus, quo fœni congeries pressa, ne minutim excidat, cavetur) portam assulatim frangunt, viâque sic apertâ *Janitorem Societatis Religiosum*, qui sub id festinus accurrebat, usq; eò contundunt, ut nisi furentium manibus virum subduxisset fuga, perempturi viderentur. Tum in petulantias effusa turba, discurrere, vociferari, bombardas explodere, fenestras plumbeis hi globis, illi machæris, alij prælongis hastis, nonnulli lapidibus excutere. Quin etiam leviculæ, vulgare ganeonum additamentum, turbis immistæ diripere hortum, prædamq; ceu fracto ex hoste manubias per compita jactanter domum asportare, impellere coæquales, adeundos Jesuitas, isthic prostare plura ejusmodi bravia. Inter cæteros æthiopem mentitus, infuscatus gerro, rhomphæâ armatus, ictu minùs fallente *Pro virgas* (ita enim vociferabatur) maximum vitris damnum inferebat. Patrum nonnullos negotia & feriæ autumnales absentârant domo; præsentes, tanquam impares prædatorum multitudini, omissâ Collegij curâ partim fugâ, partim latebrâ sibi interim prospicere; nec enim

1654. ulli in eâ trepidatione præsentior animus. Id autem inter has perbacchantium ineptias perridiculum erat, fenestras vitreas angi portum versùs, qui ad Gymnasium ducit, insano lapidum imbre manu cujusdam ganeonis diu quati; cum verò continuatis tot jactibus, utpote præferratas excutere frustraretur, ferramenta præ concitato furore non advertens, præstigias suspicatus (impius ex jaculatore joculator) & jam, inquit, experior, quænam avernalis Hecate Jesuitarum mentes regat.

Recedunt pellente Dickhovio.

26. Ita grassabatur in Collegio tumultuantium colluvies, donec â *Dickhovio* inferioris Dicasterij Graphæo, fortuitò superveniente, pelleretur, urbaniqúe præsidij manipulum procurantibus vicinis, fortunarum prædationem veritis submitterent Senatores. At pulsi jam effractarij, discurrentesque per urbem, alia prioribus facinora superaddunt. Viros ex eadem Societate in plateis obvios, furiosiùs persequuntur, coguntq; in vicinis uspiam ædibus & latibula quærere, & scandere tabulata; sed nec sic ab insequentibus tuti, per tecta, domósque diversas servare se, úsque adeò, ut eos inter saltus, alter in subjectos silices ex alto corruens, lumbifragio multaretur.

In plateis obvios Patres insequuntur.

Attonitâ Urbe.

Horas aliquot ea plebeculæ seditio tenuit,

tenuit, attonito probo quolibet, partim homines illos, funestas inferorum larvas opinante, partim rato, manes, umbrásq; Anabaptisticas, assumptis corporum integumentis vivas rediisse. Nec deerant, quibus horum, veterúmque temporum ratio, utraque tacitè comparantibus haud planè absimilis visa est; quando duobus abindè seculis eodem quinquagesimo quarto anno, inter duos Electos, *Walramum Möersium* & *Ericum Hoianum* Comites, ob Principatûs ambitionem, ferale dissidium trahebatur, occupatis instructo utrimque exercitu arcibus, oppidisq; diœcesanis. Cúmque *Möersius* suffragiis plurimorum legitimè electus & authoritate Pontificiâ confirmatus Antistes, universam ferè patriam haberet sibi devotam, paratámque armis Principem tueri; *Hoianus* re desperatâ, cum *Joanne* fratre germano, homine feroci ac turbulento, inter Monasterienses populi Tribus adscribi se facit, unâque contra adversantium injurias Urbis implorat ultricem manum. Cives eâ capti popularitate, nec alium passuri Dominantem, offerre semetipsos, promtíque cum *Hoiano* contra *Möersium* in aciem descendere, sed in *Varlarienſi* Ericeto haud procul *Coesfeldiâ*, magnâ suorum clade profligari. Nunc verò *Mallingcrotium* ambire mytram; electionem,

1654.

Et modestioribus temporа cõparantibus.

1454.

1654. ctionem, electúmque oppugnare; desperatione successûs recurrere ad populi studia; plebem vocare injuriarum vindicem; causæ arbitros; eámque tum animis, tum auxiliis præsto esse, sed ingenti etiam pœnâ quandóque multandam. Sic fecula & personas interiisse quidem, causas tamen & eventa fermè eadem recurrisse.

27. *Princeps eo facto iritatus.*

Enimverò furiosæ seditionis nuncius vehementer afflixit Principis animum. Et quanquam in aula instabant aliqui, haud cunctandum ampliùs; exui privilegiis oportere turbulentam civitatem, ejúsq; ære condi arcem, futurum posthac tam contumaci populo frænum; ad id verò adigi posse haud pluribus, quam tribus militum millibus, operámque in id suam iidem strenuè offerebant. Hoc tamen rerum statu facilè præpotuit mitior aliorum sententia, ut in seditiosos tantùm, factionísque authores animadverteretur, cæterùm insanæ plebis furor modestis civibus fraudi ne foret. Quod Princeps consilium amplexus, *Coesfeldiam* Magistratum evocavit, commeatu libero, ne quis excusationi locus daretur, perquam benignè oblato. Cúmque statutâ horâ sisterent se Senior istius anni Consul & Senatores aliquot, in hæc fere verba præsentes affatur. *Audiviße abſentem, ingenti cum dolore, quorundam factioſorum*

Citat Senatum.

Et factũ exprobrat.

1654.

ſorum in Civitate ſuâ turbas, inſpectante ipſo Senatu, partim inchoatas, partim perfectas. Illatam prætorianis ſuis, juſtitiæ adminiſtris injuriam, vim Capitularibus, damnum Societati; Collegium à Majoribus ſuis conditum, ab ſacrilegis impiè profanatum, fractas in eo feneſtras, nobilium, agnatorúmq; clypeis inſignitas. Ipſos Societatis Religioſos ac Sacerdotes, ad cæteras contumelias indignè habitos, quæq; alia dum ſigillatim memorat, Civitatem, ait, *ob hujuſmodi facinora meritam, quæ armatam juſti Principis vindictam ſentiat, ſubactáq; pœnas luat multò graviores; tamen clementiâ inductum, mitiora poſtulare ſe, & inprimis læſæ exiſtimationis ac juriſdictionis ſuæ, tum violatæ immunitatis Eccleſiaſticæ, dein ignominiæ, damnorúmque Ordini Societatis illatorum reparationem; & ſi Civitatem ſalvam velint, in turbarum authores, incentorésq; ſeriò inquirant; nec ea flagitia diu pœnâ carere patiantur, quin potius reorum perfidiam, ſeverâ juſtâq; animadverſione compenſent. Præ cæteris verò* Mallingcrotium *reſtituant cuſtodiæ priori. Demùm quod hoc ipſo Senatus exemplo convincatur populum à ſe in officio contineri non poſſe, cautionem poſtulat, Eccleſiaſtico*

1654. *stico juxta ac civili ordini universo major posthac securitas in Urbe præstetur.*

28. *Responsio Senatorum.*

Senatores qui missi erant, cùm ab objectis initio criminibus purgare se frustrà conniterentur, ipsâ scilicet factorum evidentiâ convicti; tandem paratos offerunt se in authores diligenter inquisituros, acturósque, ut dignâ factis animadversione rei plectantur, quíque damna intulerint, ad justam adigantur omnium reparationem. Quæ verò necessitatem publicæ quietis spectent, ea nunc Magistratum continendi, coërcendíque plebem media inveniſſe, ut sanctè spondere possint, victurum posthac Ecclesiasticum ac civilem ordinem universum, omnis in Urbe periculi securum. At verò *Mallingcrotium* custodiæ priori restituere Apostolicis se processibus ac brachij sæcularis imploratione adhuc dum impediri.

Replica Principis.

Hos tametsi Princeps, occasione censurarum emanâsse, nec ad separatum secutæ posteà apprehensionis casum, criménque perduellionis capitale, cui nec ipse quidem Nuncius immiscere se velit, ullatenùs extendi posse, satis supérque monstraret; imò verò si (quam hactenus necdum expertus sit) tam piâ Monasterienſis populus Religionis teneritudine ducatur, uti jam ante sæpiùs, ita denuò contestari, abundè se apud Apostolicam

licam Sedem pro iis responsurum, ne cæco unius ex *Mallingcrotij* amore, in sui despectum, tam palliatâ veneratione porrò abutantur. Cum interim Ablegati instructionis ac potestatis defectum obtenderent, hac lege tandem dimissi sunt, ut quid super restituendo *Mallingcrotio* statuerit Senatus, spatio sextidui ad Principem ferant. 1654.

Is publicato per hos dies edicto, postquam multis exaggerat iniquitatem *Mockeliani* processûs, ad cætera subjungit, *suspectissimum hunc Commissarium nimis temerè & audacter, in favorem* Mallingcrotij *hominis privati, subdita civitatis adversùs Præsulem & Principem suum, seculare brachium implorâsse. Arctius etiam posteà mandatum, nullâ sibi, nec Procuratori Fisci factâ insinuatione, ad simplicia, nudáq; tantùm narrata pari temeritate & audaciâ decreviße. Quibus stimulata* Mallingcrotij *protervia incautam plebem ad publicos etiam tumultus seduxerit, adeò quidem, ut nisi in tempore, malo tam exitiali occurratur, facilè exurgat flamma, quæ vix postmodum extingui possit. Cum autem post interpositam ad supremum Pontificis tribunal appellationem Nuncius Apostolicus non solùm ulteriorem Mockelio processum inhibueris,* *Qui & Iniquum probat Mockelij processum.*

1654. *rit, sed omnem pariter à se jurisdictionem abdicârit, testantibus ita documentis publico typo annexis. Eaproter severe interdici subditis omnibus, ne illicitis istiusmodi actibus* Mallingcrotio *cooperentur, sed ab omni violentiâ & cumprimis sacrilegâ violatione Ecclesiasticarum immunitatum se contineant, Sanctæ Sedis sententiam opperiantur, ac monitis, mandatisque Præsulis sui, quâ decet promptitudine, obedienter acquiescant. Qui secùs fecerit, pœnas censurarum, aliásq; civiles & graves luet.* Datum erat Coesfeldiæ XVI. Octob. MDCLIV.

29. *Senatores per epistola respondent.* Quando jam sextiduum expiraverat, Monasterienses quidem reversi non sunt, sed prolixiorem miserunt epistolam, quâ suam testati rursùs innocentiam, post seriam inquisitionem, neminem significant deprehendi potuisse; *Mallingcrotium* quóque per incolas Urbis aut cives ereptum custodiæ militari negant; Eundem verò restituere priori loco, nullatenùs licere per intimatam jam dudùm brachij secularis implorationem, cujus vim hactenùs sublatam esse necdum legitimè constaret.

Id Princeps indignatus. Princeps eâ se ludi tergiversatione interpretatus, quasi hominum pleno die, inspectante Urbe propemodùm totâ, licenter tumul-

tumultuantium, ne vel ullus sciri posset, tametsi durioribus Civitatem mediis ad verius obsequium adigi oportere nonnulli ingerebant; præplacuit tamen mitior hucusque via; & ne quis postmodùm superesset alicujus ignorantiæ; seu perseverantis implorati secularis brachij prætextus, ad cujusvis notitiam processus Apostolicos, omnémque adeò sublatam esse brachij implorationem, publicis etiam typis evulgare, germano quidem, uti semper, idiomate, verùm sub hac formâ. *Patienter jampridem toleratam esse supinam* Bernardi Mallingcrotij *malitiam, ac pessimam hominis in protervià, & manifestâ quasi rebellione indurati, ac media quæq; salutaria respuentis, & tantùm non extrema tentantis, jam ante legitimè suspensi, declaratiq; irregularis & excommunicati pervicaciam; illatas ipsi Principi, Cathedrali Collegio & fidis utriusque ministris enormes injurias; ficta & alieno solùm colore adumbrata iniquæ causæ suæ tegumenta; occultas juxta ac apertas tam Clericorum, quam secularium Monasterienſis Urbis incolarum seductiones, famosorùmque scriptorum, libellorum, ac fabularum divulgationes; quibus, aliisq; hujusmodi illicitis mediis eò rem deduxerit, ut actiones ea contra Principem, Colle-*

1654.

Invectusque iterùm in actiones Mallingcrotij.

1654. *Et tumultuãtis plebeculæ.*

Collegium Cathedrale ac Ministros, imò & ipsos partibus minime implicitos ac prorsùs innocentes Patres Societatis subsecutæ sint, quales a seculo & ultrà, in hac præsertim orthodoxâ Diœcesi nunquam fuerint auditæ; nunc verò propter furiosæ seditionis, barbaræ temeritatis & contumeliarum ac detractionum enormitatem, & inprimis sacris adeò Canonibus inimicam immunitatis Ecclesiastica læsionem, ipsiúsque Mallingcrotij *ex indictâ ob criminalem causam custodiâ violentam ereptionem (cujus animadversio Principi salva maneat) adeò ubique innotuerint, ut prô dolor! tragœdia hæc, velut totius orbis Christiani fabula, in publicis relationibus & ore gentium fere omnium circumferatur. Quodq; palam esset, hanc* Mallingcrotium *dementiam plurimùm fovisse per falsum hujusmodi commentum, quasi tanta impietas, cæcitasque ab ipsi summo Pontifice átque aliis Magnatibus probaretur, eidémque promovendæ vehementer profuisse Brachium illud ab imprudente Mockelio temeriter, nullitérque ac per solos* Mallingcrotij *fautores Coloniæ extortum, quale tametsi limites etiam potestatis ac rationis excesserit, nimis laxè tamen ac perperam quóque fuerit explicatum. Ut autem enormis*

æquè

æquè commenti istius falsitas pateſcat, átq; perſimiles inpoſterum contra auctoritatem ſuperiorum (quos divina, humanáq; jura mordacibus linguis impunè proſcindi vetent) ab inquietis ſuſurronibus & factioſorum calamis naſcentes impoſturæ, falsiq; rumores, ante omnia vero ſeditionis cujúsque fomenta ſtudioſius caveantur; ſubnexos ab Eminentiſſimo Cardinale Chinetto, ceu delegato hac in causâ à Sanctitate ſuâ Commiſſario, decretos, expeditósque citationis & inhibitionis proceſſus per ſolitam locis congruis affixionem ad cujúsque notitiam publicari. Eâ tamen Romanorum proceſſuum intimatio nec finem antè, nec fidem invenit, donec ipſe tandem Nuncius repetita toties Principis dicta, edictáque, datis ad Senatum litteris confirmaret. 1654. *Sublatâ brachij ſecularis imploratione decet.*

Immotus adhæc, lætóque ut ante vultu *Mallingcrotius*; quippe per eos dies, cum quotidiana curarum, tædiorúmq; incrementa oggererent amici, auditus dicere, animum ſibi eſſe, uti hactenus nec laboribus nec adverſis unquam fractum, ita neque perſonarum eâ, rerúmque adverſantium multitudine frangendum. Credebant aliqui non conſtantiam illam, ſed curam eſſe, mœrorem adumbratâ lætitiâ convelandi, quo æmulorum ſaltem oculos cu- 30. *Mallingcrotius conſtantiam ſimulat.*

1654. pito mœrentis aſpectu fraudaret. At pau-
Sed clàm Mona-ſterio e-greſſus. cis diebus poſt, quod exitum ipſe prorsùs indeclinabilem, nonnullique Senatorum ex ejus morâ prævidérent inevitabiles Urbis calamitates, diſcedere perſuaſus eſt; teſtatúsque malle ſe abſentem, quamcúnque fortunam experiri, quam vel minimâ in re præſentiam ſuam obeſſe civitati adeò ſui ſtudioſæ; ſub dubiam veſperi lucem Monaſterio clam egreſſus *Hammonam*, Urbem *Marcæ* principem, unius noctis
Coloniâ abit. itinere devectus eſt. Undè rectâ Coloniam perrexit, ſparsâ in plures famâ, quaſi propediem rediturus.

Ejus ſcriba capitur. Haud ita feliciter evaſit *Aſſchebrockius*, ejus ſcriba. Hic enim pridiè quam erat diſceſſurus â quodam Principis equite rogatus, ſcirétne occaſionem, quâ litterarum faſciculus Decano commodiùs tradi poſſet, nullius mali ſuſpicax, opportuniſſimam quidem, ait, cras ipſus ego Coloniam cogito, ſi quid habes, meæ id fidei committe, néque enim certiùs poſſe deſtinari. Laudat opportunitatem eques, ſibíque de eâ gratulatur. *Aſſchebrockius* poſtridiè inter fauſtas multorum apprecationes abit ſui ſecurus: at vix ſuburbanam agri planitiem (*ſpiritum* dicunt) attigerat, illicò circumſtat equitum agmen, jubétque improviſo gradum ſiſtere, ſeséque Principis juſſu dedere captivum. Indè in *Abuſanum* carcerem trahunt. Iſthic actus quidem

dem injuriarū reus, at non multò post, Principe Monasterium ingresso, ex generali noxarum condonatione, & ipse dimissus fuit. 1654.

Profecto jam ad Ubios *Mallingcrotio* modica urbis conversio secuta est. Famosis iterùm carminibus, contumeliis ac dicteriis passim certabatur. Hi carcerem criminabantur *Asschebrockij*, hominis ut ajebant, innocentis, & justò atrociorem. Alij, in administratione provinciæ ferri Principem impotentiùs æquò, adversùs subditos, eorúmque jura; longè intensiùs exercere politicas dominandi curas, & sumptuosiorem ali aulam, quam infulatum Præsulem addeceret. Nonnulli exaggerare tributorum onera, quæ patriis legibus adversa potestatem superarent omnium retrò Principum; Commoveri eâ indignitate meritò se, ad quos privilegio Comitiorum pertineret hujusmodi cura. Illam solùm Principis, Capitularium & adhærentis Nobilitatis mentem videri, ut liberi cives, non secùs ac in pagis, villísque servi & agrestes par jugum ferant. Quod si eam agendi viam, quam jam pridem iniêre, porrò continuent, haud dubie adacturos esse Civitatem átque universam patriam, ut quemcúnque rerum statum, quam præsentem malint, in cujus demùm potestatem adigantur. Nec defuêre, qui docebant ea, quæ Nonis Octobribus contigerant, esse prædicatione quadam, quam

31. *Criminationes plebis.*

1654. taciturnitate digniora. Longè alia quippe meritos, nigritas illos, ac tenebriones; ità Patres Societatis appellabant. Cautè id agebant nonnulli; alij verò in invidia, odióque juxtà aperti adeò non dissimulabant, ut domi suæ, se coram permitterent haberi, haberéntque & ipsi hujusmodi sermones. Gnarus omnium *Christophorus Bernardus* dicaciores interim atro calculo notabat, futurus aliquando Judex & ultor. Neque hoc ipsum Cives latebat, collatâ in Senatores culpâ, qui de fide suspecti non ea tantùm, sed & Senatusconsulta, identidem prodere credebantur. Id quanquam seriò negabant ij, ac verius ostendebant, haud opus esse proditore earum rerum, quæ palam, ac gloriosè passim in triviis, compitisque jactarentur: ægrè tamen â conceptâ jam suspicione divelli poterant animi pertinaces.

Fama de pulsis Monasterio Jesuitis.

Sub hæc universam ferè Germaniam impleverat nuperæ seditionis fama. Quæ sicut ab itineribus aucta erat, ita majore cum plausu â multis etiam excepta. Jam enim *Societas* audiebat Monasterio pulsa; exuta bonis; Collegium eversum; è familiâ trucidatus non unus. Et fidem tantò faciliùs invenit rumor, quantò sparsus unà causarum prætextus, & Jesuitis familiarior, & ideò non paucis verior credebatur. Nec ipsi cives â calumnia immunes fuêre, dicti promiscuè seditionis authores.

Hanc

Hanc tamen haud aliundè volebant quam ex officinâ Jesuitarum prodiisse. Et adminiculo erat datus per eos dies in vulgum libellus supplex, quem malevoli confinxerant, veluti â Jesuitis adversùs Urbem Cæsari oblatum, pro obtinendâ illati nuper damni reparatione. Qualem civis injuriam non omisit cum Jesuitis acerbiùs expostulare. Ut falsos igitur hujusmodi rumores, objectáq; dilueret Societas, unáque testaretur Urbi & Orbi innocentiam suam, Vindicias linguâ vernaculâ divulgavit hujus argumenti. 1654.

32. Eorum Vindicia.

Pervagatas haud dubie suâ jam famâ Romanum omne Imperium illas nuper fatales Societati Nonas Octobres: Et quibus tunc, quando in Urbe manus injiciebantur Decano Mallingcrotio, *commota seditionibus plebs turbulentior, impetu ad Collegium delata, & assultu facto, impactóq; in portam ariete, foribus assulatim effractis, & insanis clamoribus, furiisque tumultuata irruperit: malè primum accepto, contusóq; verberibus, qui ad ostium curabat, Janitore istius Ordinis Religioso; conficiendo certiùs, nisi cæcis furoribus incolumem subduxisset fuga. Dissolos undique in cubicula sclopos, fenestras supra bis centum, omnes eleganti encausto pictas, insignitásq; Cathedralium Canonicorum & Primatum Patriæ scutis gentilitiis, excussas insolenter, ad ignominiã pariter*

1654. riter nominis Religiosi, & Nobilitatis totius insigne ludibrium. Non procul Collegio sub idem tempus duobus de eadem Societate in publicis compitis vim factam, quibus etiam, cum in vicinas ædes a turba se proriperent, ita institisse à tergo furorem insequentium, ut coëgerint ex domorum tectis per tecta in alias descendere. Quâ effugiendi timidâ festinatione factum sit, ut eorum alter in subjectos silices corruens ex alto, crus alterum & dorsum ita graviter alliserit ad terram, ut eum sub molestâ, difficiliq; curatione tenuerit longum tempus. Sed néque hic stetisse impetus insanientium: Audita passim comminantium vociferationes: non ante admissuros quietem, quàm in luculentis flammis videant unà simul cum suis incolis Collegium cinerescere, aut illos igne, flammâque suis è latebris elicitos, ad exquisitam necem & supplicium tradi.

Etsi pro comperto sit, quos in eam tumultuationem suæ furiæ concitaverint, eos è fæce maleferiatæ plebis, colluvieq; hominum confluxisse. Senatores enim & optimos quósq; è populo non solum testatos, quàm moleste ferant indignum facinus, injuriámq;, execrandum anáthema, aliáq; promeritam: verùm etiam, ne ultra progrederetur furiatæ plebis insania, submissis, qui audaciam sisterent, prohibuisse. Nec minùs exploratum, quas pœnas divina,

divina, humanáq; jura vi ac violentiæ tali constituant; quin & recenti plerorumq; memoriæ obvient diversa tam in Romano subjectis Imperio Ditionibus, quam externis Provinciis, in hanc rem edita exempla suppliciorum. Haud tamen subeat animum Societatis ea vindex cogitatio, ut velit ad similes pœnas eos, qui sunt commeriti, deposcere; sed pacis communis, amoris q; studio, quæ facta sint, ita ignosci, ut deprecentur etiam cæleste Numen, quo in sui facinoris conscientiam ipsi veniant, & vitæ melioris ponant initia. Et hanc etiam causam fuisse, ut auctores turbarum, earúmque participes noluerint Magistratui prodere, ad supplicia nuper eos perquirenti. 1654.

Ne quid tamen omittatur earum rerum, quæ possint, imò debeant ad tuendam Religiosi nominis existimationem facere: Nec etiam in culpa quis ponat & vitio, tacuisse (prout à malevolis quibusdam tegendo suo facinori, illatæq; Societati injuriæ, jam factitatum prudentiores civium detulerint) DEUM optimum maximum testem & Orbis universi fidem implorare, contestariq; Societatis innocentiam; nec enim ullum istius unquã impudentiæ futurũ, qui tumultuum horũ causam, ut ut levem, Societatis noxæ assignet.

Obtendi quidem varia, sed maligne commenta, procul candidâ veritate, procul

1654. ratione & fide. Uti primò, Alterum Theologorum è Societate acerrimo scripto commovisse Principem, ut sacro anathemate Decanum perculerit, atque ideò mala omnia inde enata non alteri, quam eidem adscribi debeant, à cujus si non voluntate, saltem calamo illa sint profecta. Nec enim extrema ea tentaturum unquam fuisse Principem, si non eô pellexisset tam acre, severumq; scribentis incitamentum.

Ad hæc secundò, Concionatorem Societatis in promulgando anathemate verborum acrimoniâ & voce usum aquò contentiore, magno utiq; voluptatis argumento, quam ex Decani malis hauririt. Atq; indè esse, quod idem haud multò post, cum ab Apostolici Nuncii Commissario traderentur absolventes ad cautelam litteræ, eas non modò non recitaverit pro concione, sed ne acceptârit quidem. Ex eóque ad cæteras palmarem quasi Decano injuriam accessisse.

Ac tertiò, Ut primùm à parte Principis notatum fuerit, haud illos sacrum programma exitus habuisse, quos antea spes conceperat, Rectorem Collegij iter maturâsse Coesfeldiam, auctoremq; fuisse Principi, injicerentur manus Decano, & alicubi privatâ tantisper custodiâ circumsideretur, quoad melior spes inclinandæ ad ea, quæ vellet, voluntatis affulge-

affulgeret, imò & operâ suâ eò perduxisse negotium, ut ante, quam iter relegeret, Decani detentio certis fuerit sententiis constituta; nec aliud in deliberationem venerit, quam modus, quo possent faciliore, ac sine plebis concitatione huiusmodi consilia expediri. 1654.

Hunc in finem quartò Patres habuisse domi, clam cive, occultos noctu milites: armâsse scalis, securibus, & catero ad rem gerendam idoneo instrumento. Navim etiam, quâ secundis aquis à tergo per hortum illapsi se in Decani cubile penetraverint, addidisse. Ad hæc horti vicinum pontem commonstrâsse militibus, vel futurum secuto ad receptum itineri, si res malè caderet; vel viam daturum illac abripiendo in rhedam per Marianas ædes Decano. Quin & rhedam stetisse, ante domûs istius ostium, in omnem imperantium nutum comparatam.

Accedere quintò, nonnemînem Patrum Societatis, pridiè quam in Decani curiam miles perrumperet, Syndicum Collegii Cathedralis domi convenisse, cum eodémque contulisse consilia in alteram adeò horam protracta: tantùm eò, ut quâ posset dexterrimâ viâ attineri Decanus, decerneretur. Sanè ut istius contra Decanum processûs ignorantia nequeat à Patribus obmoveri.

1654. *Denique* sextò, *hæc omnia eò tantùm spectâsse, ut ad vota Societatis deflecterent Canonicorum animos, quò facilius hortum commodè adsitum, inq; usus Collegij peropportunum à Capitulo Cathedrali impetrarent.*

Tametsi jam exploratum sit, in infimâ fœce vulgi esse, qui adversùs Societatem calumnias hujusmodi, commentáque conflaverint; non posse non iterùm innocentiam, iterúmque palam testari; nec interim quidem inficias ire, propositas à Principe quæstiones alterum è Theologis enodâsse; nemini verò posse mirùm videri paruisse Præsuli ac Principi ea in re, quam privato cuiq; vel ad conscientiæ moderationem, vel ex muneris & instituti ratione Societas agnoscat se debere. Nihil autem continuisse quæstiones eas de excludendo Sacris Decano; versari obvias uti sermonibus, ita & manibus multorum; posse lustrari ac discuti; ut quam auribus forsan abnuant, proprij adversantium oculi, nisi quod glaucoma obiecerit siniſter animus, fidem mereantur.

Suspensionis etiam triennio ferè ab hinc latæ censuram, ejúsque robur ac firmamentum non suffragationibus eiusdem Theologi, sed Jurisconsultorum Romani fori placitis ac sententiis constitisse.

tisse. Locupletissimos ejus rei testes esse ipsum Cathedrale Collegium, cujus authoritate prodiens nuper libellus luculenter id commonstret. Erutum à Principe è Bullâ cænæ Domini ob recursum ad Laicam potestatem aliud fulmen contorquendum, tametsi ad sensum juris idem Theologus explicârit, nihil indè tamen damni profuxisse, quod nunquam hactenus districtum, nunquam intentatum sit. 1654.

De cæterò, quæcúnq; consultus unquam senserit, responderit, definiverit, ex vulgatiore Canonum sensu, commentantium mente, Theologorum authoritate, quos scripto nominârit, semper interpretatum, nec majorem ex hoc offensam promereri, quam cæteros omnes, Legum aut Canonum interpretes, aut ipsos sacri, profanique juris conditores.

Verùm dissimuletur etiam, Theologus is noxiæ reus sit, an idcirco, quod ab uno peccatum, tot alij insontes, ejus sceleris culpâ continuò implicandi? tantísque in eos furoribus debacchandum? átque illo præsertim tot aucto privilegiis, támque immuni loco? auctoritate privatâ, nullo judice, non vocatis in judicium, non auditis ad tribunal, non convictis partibus? contra fas & æquum? DEUM immortalem!

ita

1654. *ita si vivere liceat quis in tuto collocet vitam, quis vim arceat à tectis, à fortunis, à capite? judicet cordatus Lector.*

Concionatorem in promulgando anathemate feciße conformiter iis, quæ Tridentini præceptis accuratè cauta sint. Seß. 25. c. 12. de Regular. *Sed extuliße vocem, vel quidquam adjeciße de suo, in putidißimis posse mendaciis accenseri. Ad eorum provocari fidem, qui præsentes audierint. Omißße verò recitationem absolutionis ex instituti sui lege, cui noluerit facto suo fraudi esse, cum ad solos Parochos irent hæ litteræ. Nec in eo peccâße magis, quam cæteros Religiosorum Ordinum Concionatores, quorum etiam nemo è suggestu illas promulgârit. Cæterùm & hunc & reliquos Societatis Patres in suis ad populum concionibus solerter caviße semper, ne quid dicendo attigerint, quod in præsentem controversiam veniret, aut speciem obtineret primates viros sugillandi.*

Demùm in aperto esse Rectorem Collegii & fuiße Coesfeldiæ & ad colloquium Principis admißum, id verò in mendacißimis calumniis, vel suaßße vel intuliße sermonem de trahendo vel ad carceres, vel ad privatam custodiam Decano. Si qua forsan laboret hic fides,

fides, in testem adduci posse, ubi res aut locus postulaverit, ipsum Principem. Et plures etiam confirmaturos, quâ datâ occasione studuisse semper Rectorem, ut animos dissidentium conciliaret, & in semine quasi suffocaret partium studia. Nec rarò ad eam mentem sacris operatum esse. Quin & hac ipsa tempestate Collegas omnes sapiùs ac severiùs commonuisse, ne quid unquam scriberent aut loquerentur, quod alterutrius partis offensam posset mereri. Id speret etiam obedienter ab omnibus observatum, aut si quem contra peccâsse possit argui, non abiturum impunè polliceatur. 1654.

Cætera, quæ à maledicente vulgo præterea impingantur, ut abditi nocta milites, ut arma data, ut subministratæ scalæ, ut secures, ut naves advectæ, ut pro insidiis aut pro receptu pontes, ut rhedæ, & quæ horum similia vanissimè corrasa sint, haud abesse, quam priora, longiùs ab impudente calumniâ. Nec enim de trivio puerum reperiri, qui ignoret, palam luce, inq; oculis multorum alia fuisse à militibus aperta itinera; alios aditus, accessúsque patefactos; prorsùs ut nec pedem in Collegii fundum inferre, aut earum rerum quidquam expetere opus faerit, quarum innocentes insimulet tam improba criminatio.

1654. natio. Quid quod à toto illo tempore, quo Alpham ponte junxerit Collegium, alienâ semper scaphâ utendum, eáque à Decano mutuanda fuerit, quoties pro temporis exigentiâ emendandæ essent ripæ.

Quæ de congressu cum Syndico quintùm cornicentur, nihilò propiùs abesse à vero. Nec enim illo die pedem extra limen domo promovisse eum, quem insimulent; nec spem quidem mutui conspectûs fuisse vel colloquii, quod absens ab Urbe Syndicus eo tempore in prædio suo rusticaretur.

Postrema tandem calumnia de blandimentis & assentatiunculis ad aucupandam Principis & Canonicorum gratiam, aut eblandiendam horti particulam, ædificio Collegii peropportunam, tantò minùs confutari mereatur, quantò apertius sit convitium hoc ab invidis tantùm, aversisque animis prodiisse.

Agnoscat equidem Societas Canonicis & Principi cumprimis se devotam, à quibus scilicet in Urbem evocata, ac pluribus identidem beneficiis donata, auctáque sit, ut multis nominibus obstricta fateatur lubens id Primatibus his deberi; quo intelligant, quam gratam oporteat esse memoriam gratiarum. Sed non ideò ab instituti sui legibus

legibus vel latum unguem aviâsse, vel quidquam contra fas & æquum, aut divina, humanáque iura commisisse. Ab annis autem triginta spem factam esse hortuli istius potiundi, sed diversis sæpenumerò obstaculis suspensam, donec nuperâ Congregatione Jacobinâ communibus Canonicorum omnium suffragiis in venditionem itum, & portio ea empto tandem Societati acquisita sit. Tantùm abesse, ut quod sola clamet obtrectatorum impudentia, adulantium assentationibus veniat adscribenda. Nec enim eos se esse, qui famam vili lucello, aut nominis sui existimationem, imò super hæc æternam salutem tantillo terræ aut pugillo fundi leviter postponant. 1654.

Cum ex his igitur sole clariùs elucescat, quidquid de Societate sparsum sit, calumnias esse, ex officinis malevolorum profectas, ac citraveri, falsiq; discrimen ab infensis, conjuratisq; animis in sacri tantùm Ordinis odium confictas, consutásq;, nec aliò, quam ad concitandam magis plebem ac seditionis nutrimentum pertinere. Eapropter sperent futurum, ut si quis livor ante fascinârit obtrectantium animos, inter eum veritatis splendorem, depositò nunc erroris velo, Societatis innocentiam agnoscant,

inno-

1654. innovêntque postliminio pristini amoris ac benevolentiæ argumenta, nec improbis posthac rumoribus aures, animosve patefaciant, sed mutatis studiis favere pergant, & constanter iterùm adjungere exutas odiis & erroribus voluntates.

Adhæc de Magistratu, déque civi benevolo confidant, quâ promptitudine Societatis innocentiam publicis nuper litteris testatam fecerint, eädem curaturos inposterum, ut extra metum periculi vivere, quæq; ad procurandam DEI gloriam, vel proximorum salutem instituti ratio postulârit, tuto deinceps, & sinè vitæ, famæ, fortunarum discrimine exequi liceat: cauturòsque etiam, ne pòsthac molestent, aut vim inferant, præsertim ij, quorum commodis annos ampliùs sexaginta indefesso hactenus labore Societas insudârit. Ne flammam tectis minentur aut injiciant, quorum domos toties, & cumprimis septimo ab indè anno, quando pulveraria proximè vallum turris, quo nesciatur infortunio, flammam conceperat, homines Societatis non sine præsentissimo vitæ periculo dejectis ignibus ac restinctis incendiis feliciter conservârint. Ne porrò vitæ, fortunisque eorum insidiæ struantur, qui toties, cum

ser-

serperet per Urbem & civem passim depascceretur pestis, aut alia periculosa contagio, posthabito quovis vitæ periculo constanter adstiterint, juverintq; remediis, & animæ & corpori opportunis. 1654.

Id denique sperent, laboraturam Catholicam Urbem, & tantâ ubiq; terrarum famâ celebratam, ne apud exteras, vicinásque gentes & charissimam inprimis posterorum memoriam parta laus patiatur, audiátque cum immortali suo dedecore aliquando, dedisse maculam in gloriâ suâ.

Quò verò etiam testatior esset Patrum innocentia, subjunxêre testimonium, quod ad Societatis preces paucis diebus antè largitus erat Senatus Monasterienſis tenore subsequente.

Nos Consules ac Senatores Urbis Monasterij Westphaliæ præsentibus hisce litteris notum facimus, Posteaquam Nonis Octobribus labentis anni è prætoriâ cohorte Celsissimi Principis milites Urbici aliquot in Decani Mallingcrotij *curiam armati penetrârant, exorto tunc in Urbe tumultu, profligatiores quósque ex officinis opificum & fæce plebis (quod per errorem opinarentur, Patres Societatis JESU militibus per hortum Collegij viam aperuisse, iisdemq; navi-* 33. Testimonium Senatûs Monasteriensis de Patrũ innocentiâ.

1654. gium mutuatos, ac dein reversos in Collegium recepisse, imò & in hoc negotio occulte & aperte consilio & auxilio adfuisse) impetu in Collegium facto, opprobria, damna, aliásque excussis etiam fenestris insolentias cumulâsse. Insperatum autem istius facinoris rumorem, confectâ jam turpiter re, priùs ad Nos delatum, nihilominùs curam Nobis imposuisse, ut audaciam furentis vulgi sisteremus. Interim Patres Societatis Nobis supplicârunt, ut publicum ipsis innocentiæ testimonium impertiri dignaremur, quo possent siniſtras multorum suspiciones elidere, & tam apud rerum ignaros, quam adversùs malevolorum obtrectationes nominis sui existimationem tueri.

Cum itaque muneri nostro incumbat ad preces cujuscúnque, cumprimis verò Patrum Societatis, compertissimæ veritati suffragari, utpotè qui annis amplius sexaginta tum erudiendâ hac in Urbe bonis artibus ac disciplinis, perpoliendâque nostrâ juventute, tum sacris etiam concionibus, cæteráque ad populum doctrinâ, & præclaris virtutum exercitiis, insigni quóque religiosæ vitæ exemplo, ingentes Reip. fructus & utilitates attulerunt, átq; ideò longè alia, & grati inprimis animi testi-

testificationem, præquam illa probra, injurias ac damna commerentur. 1654.

Hinc palam Orbe universo testamur, nominatos Patres Societatis objectorum hujusmodi criminum, seu aliorum etiam, quæ hanc ob causam à malevolis quoquo modo impingi possent, non tantùm nullam noxiam sustinere, sed & illatas injurias, damnáque per calumniam passos esse; átq; ea propter sollicitè curaturos Nos, ut quotquot nocentes deprehendi contigerit, digna facinore & exemplaris in eos pœna statuatur. In quorum fidem præsentes dedimus publico Civitatis Sigillo & Secretarij Nostri manu roboratas. Die XVI. Novembris. Anno M. DC. LIV.

(L.S.)

BERNARDUS HOLLANDT
Secretarius.

34. *Vindicias plebs crimina-tur.*

Libellus hic ut primùm ad civium manus devenit, mirum dictu, quàm in varia de eo judicia abiêre. Non pauci taxare stylum, modumque scribendi, è pulvere quasi scholastico prorepentem. Argumentum alij partim blanditiarum, partim falsitatis arguere. Non tantùm fœcem vulgi, sed & civem haud obscurè insimulari factio-

1654. nis. Id vel ad irritandos vehementiùs animos, vel ad gratiam Principis aucupandam ſolùm pertinere. Reis tacitè indignantibus propalari flagitia per id temporis commiſſa; ad hæc calumnias, commentâque diſertâ veritate reprobari. Augentibus etiam apud alios indignationem, uno Jeſuitarum ſcripto traduci nunc Civitatem ubiq; gentium, apud ſummos juxta ac infimos, uti perduellionis ream. Profectò injuriam eſſe, quæ dignâ feſtinatáque mereatur ultione compenſari.

Et urbis innocentiam pari libello Senatus aſſerit.

Senatus verò ſimul ac cognovit ſub prælo ſudare *Vindicias* Societatis, ægrè id admodùm tulit, teſtatus contra fidem agi; nec enim teſtimonium innocentiæ eo pronuper fine communicatum eſſe, ut cum Urbis ignominiâ, quam indubiè poſt ſe traheret, publico typo in vulgus ederetur: ſed privatæ tantùm neceſſitati ſerviret, aut informandæ aliquando poſteritati. Ut omné igitur de ſe ac civibus etiam conceptæ forſan alibi ſiniſtræ ſuſpicionis notam expungeret, haud omiſit pares ocyùs vindicias patriâ linguâ evulgare: quarum ſumma hæc erat.

Ejus Summa.

Super abducendo ex Vrbe Mallingcrotio *imperioſas à Principe litteras Senatui traditas eſſe: eas Civitatis privilegio refragari. Sacrarum perſonarum detentionem, extraditionémq; non Prin-*

Principis sed sui, consuetudine & instituto majorum, à multis retrò annis observati juris esse. Oratum abs se Principem, dignaretur irrogandam viro seni, Prælato, de patria præclarè merito pœnam emollire; alia namq; media haudquaquam ipsi defutura; rémq; non difficultatis solùm sed & plenam periculi judicatam. Verùm iis effectum prorsùs nihil. Jussum sub hæc ab Apostolico Nuncio Monasterienſem populum, adversus comminatam extraditionem forti manu Decanum tueri; Romam quidem à Principe provocatum, sed de verâ litis sublatione non edoctos, in præsidentem depositæ iracundiæ spem erectos fuisse. Interea Nonis Octob. Prætorianos aliquot, sub secundam pomeridianam, Senatu prorsus ignaro, Mallingcrotij ædes, per posticum armatos clàm intrâsse; illicò confluxisse confertam isthuc populi turbam. Missos exploratum Oratorem ac Secretarium Vrbis; ab iisque cæptos jam motus feliciter sedatos. Coactas ad antevertendum ulterioribus motibus duas è civicis centurias. Elabente verò per ignotam viam Decano, sparsos quorundā malevolentiâ Societatis Patres, ad ejus aulam Prætorianis aditum concessisse, & accommodato ad eum finem navi-

1654.

1654. gio regressos acceptâsse. Quo clamore concitatos aliquot de sentinâ populi illatâ vi Collegio, fenestras excussisse. Ab uno tamen cive illicò fugatos. Summam facinoris illius dissicentiam colligi ex sedula authorum inquisitione, ut & pœna reis irrogari, & damnum innocenti Societati illatum resarciri posset. Syndicum contumelioſi cujusdâ dicti à Prætorianis falsò delatum, paratumq; jure, si res ita postulet, ac multorum testimonio abunde se purgare. Et verò conceptam temere suspicionem tantò sibi majorem animi cruciatum adferre, quantò mererentur digniora sumptus, laborésque præmia, quos in superioribus bellis, recuperatis non unâ præmunitis arcibus & oppidis, servatâ Imperio fide, suppeditatâ toties Cæsarcis exercitibus annonâ, ipso milite non semel intra Vrbis mœnia recepto, ac pro asserendâ Principi Vrbe, atque ipsa Provinciâ, continuato in plures annos sumptuosè præsidio, Monasterienſis Populus exantlasset. Et in recenti omnium memoria esse, non ita adhuc pridem, solâ in patriam, Hassorum, Suecorúmque molestiâ liberandam pietate, centum triginta & amplius Imperialium daleiorum millia, suâ fide Civitatem coegisse. Ea omnia longè aliam profectò, quam in causa se prorsus alienâ

sinistra

siniſtræ ſuſpicionis ſententiam promereri. 1654.
Permulti conceptum jam libellum publicari diſſuadebant, quod vulgatum quóque non modo nihil Urbi profuturum verò ſimiliùs arbitrarentur, ſed & timerent ſemen fore novorum fœtuum, quibus & Civium cauſa & Civitatis exiſtimatio graviùs læderetur. At prævaluit eorum ſententia, qui contrariantium opinioni editionem præferebant.

Vix lucem aſpexerat & ecce mox ſub prælo ſudabat antitypum, quo Principis nomine hoc ferè modo ſingula confutabantur. *Litteras ad Senatum communi formâ, adeôque Civitatis juri non repugnante exaratas; Dominantium enim eſſe* mandare *ſubditis, quò motibus factioſorum occurratur. Comprehendendi Clericos, ducendique tam Imperatorum, quam Pontificum legibus, ad ſacrum duntaxat Magiſtratum pertinere.* Mallingcrotij *merita, ſi quæ eſſent, non evincere enormis contumaciæ veniam. Seditionis principia nimiùm invaluiſſe; media ſeriùs aut nulla certè adhibita. Perperàm ſileri cauſas, cur rationibus Senatorum Commiſſarij Principis non acquieverint. Hunc jure ſuo uſum, dum per Satellites ſuos attineri Decanum juſſit: neque opus fuiſſe Senatum edocere rem, quam ipſi ultrò agnoſcant à*

Quid contra evulget Princeps.

1654. *se prorsùs alienam; & tamen maturè satis edoctum per Quantium, qui à secretis, & ideo missus erat, sed remoram illi in Curia injectam esse. Populi turbas adventante Vierdenhalvio inchoatas, arceri quidem haud difficulter potuisse, si aut verbis licentiam hominum castigâssent, aut confluentes misso statim Urbico milite dissipulissent; cum vel Civium unus furentem populum, diripientémque Collegium Societatis (facinus summâ dignum ultione ac Principi reservatum) solus posteà fugârit. Reorum neminem studiose inquisitum; facile enim deprehendi posse, qui noti passim nominarentur. Verisimiles videri Vierdenhalvii contumelias, quippè è Prætorianis offerre se quinos laniena, eo tormenti genere dicti veritatem testaturos. Nunquam ea, quæ Patriæ bono jactitent, absq; sui emolumento, Monasterienses præstitisse. Auctas superioribus bellis magnis partibus civium opes; eorúmq; fortunas unâ Cæsaris, Principis & Ordinum patriæ curâ servatas; & nec minùs ab exulantium inopiâ, quam emptis vili prædis, magnas accèssiones feciss. Bellicos sumptus majori potissimùm fœnore restitutos. Urbis militiam patriæ pecuniâ sustentatam. Constare, quantùm eâ nuper exigendæ capi-*

capitationis tergiversatione damnum Diœcesi attulerit Civitas, & tamen pro pecuniis, eo tempore fide publicâ coactis, aliquot Imperialium millia gratitudinis ergò oblata esse: quæque id genus plura erant, copiosè deducta, pleniorem quam expectabant divulgationem, secuta post Civitatis obsidionem generalis noxarum condonatio, ac præteritorum omnium oblivio plurimùm suppressit. 1654.

Princeps intereà sub maturam jam hyemem convocandis ad Comitia Coesfeldiam Ordinibus insistit, certus Monasteriùm ab iis excludere; dubius autem, solúsne Cathedralis Collegij nomine evocarentur Ordines, an verò loco Monasterienſis Urbis (quæ post Principem únà cum Capitulo Majore cæteros evocare consuevit) è Civitatibus tantisper alia substitueretur, Jam tum enim tentati *Coesfeldienses* pacti quondam inter Civitates mutui cujusdam fœderis prætextu operam suam recusârant. Placuit nihilominùs usitatæ consuetudini inhærere. *Warendorpium* igitur interpellatum sinè morâ consentit, & tantò quidem promptiùs ad eum finem offert sigillum, quantò sibi, posterísque novus hic honor visus glorioſior, & apud Principem uberioris ex eo gratiæ cortius incrementum; invidiâ, quam idcircò, apud Monasterienses 36. *Ordinibus patria indicit comitia.* *Litteras evocatorias Warendorpium signat.*

1654. sterienses inprimis, haud modicam subiêre, vel eò facilius superatâ. Nec ex vano spes fuit, nam ab illo tempore *Warendorpienses, Christophorum Bernardum* semper experti sunt supra cæteros Civitatis suæ studiosum.

Contra quod Monasterienses protestantur.

At verò indignabundi Monasterienses, nonnullos ocyùs è Senatu Coesfeldiam ablegant, novam hanc cum Principe injuriam expostulatum. Et quamvis difficilem prudentiores accessum præmonerent, nec inutile tantùm, sed & periculosum sic animatis iter. Abiêre tamen, & contra quam plerique opinabantur, à Principe admissi, auditique sunt. Summa orationis erat. Advenisse se â Monasterienst populo missos, causam humiliter sciscitatum, cur in convocandis ad Comitia Ordinibus patriæ, contra formam â majoribus hucúsque obsservatam immerentes præteriti, imò nec ad ipsum quidem conventum usitato more acciti essent, arbitrari id hactenùs feciſſe Monasterium, quod Urbem Principi devotam addeceret.

Principis in eos invectiva.

37. Enimverò *Christophorus Bernardus* vix initiò dissimulatâ offensione, *mirari se*, ait, *Monasterienſium rogata, quippe causas in promptu esse, uti publicas, ita nulli non cognitas, perspectásque. Ante oculos omnium versari turbas elaprâ*

1654.

elapsâ nuper æstate potissimùm à Monasterienſi populo fotas; Senatores peſtem hanc impunè graßari, convelli ſtatum, tranquillitatémq; Civitatis quotidiè labefactari paſſos; ipſum ſeditionis Principem, perduellémq; Mallingerotium, jam ante ſacris interdictum, apud ſe aſſervaſſe, ſecùs quam oportebat Civitatem Sacramento Præſuli adſtrictam; mandatis ſuis ob frivola quædam diverticula non obtemperatum, miniſtros gravi utiq; & ſui & illorum injuriâ indignè, contumelioſéq; habitos; impiam, inauditámque illam ſeptimâ Octobris ſeditionem inſpectante Senatu toleratam, neque in authores hactenùs animadverſum. Imò calumnias ac convitia citra metum, reſpectúmque ſui, ceu Præſulis ac Principis, adhuc quotidiè cumulari. Quin etiã ea, quæ commiſſa ſint antè, vel indies adhuc committantur facinora, non modò cive aut Senatu non reluctante, ſed cum utriúſq; tripudio quaſi ac plauſu hodiedũ circumferri: aliáq; id genus contraria hominibus, qui plebis præfecti, ſubditiq; Principi forent, palam admiſiſſe; & ex eo meruiſſe Civitatem, quæ a Comitiis excludatur.

Hanc exprobrationem Monaſterienſes haud demiſsè ſatis deprecati ſunt, ſed ita reſpondêre, ut pleraq; abs ſe facta pernegarent, multa interpretarentur, aliqua non

Reſpõſio Monaſterienſium.

1654. non abnuerent, sed jure patrata affirmarent; cumque servato juris ordine nondum hactenùs auditi, neque culpæ alicujus convicti, damnatique essent, longè alia sperare se; sin secùs, de infractis juribus protestari; & si nihilominùs præteritâ civitate Comitia celebrentur, quidquid demùm statui contigerit, nunquam id gratum, ratúmve habituros; nec enim passurum Senatum, Populumque Monasterienſem de privilegiis suis carpi quidquam. At ubi Principem conspexêre sui ut antea propositi tenacem, tertiâ, ex qua venerant, luce redierunt. Abeuntibus autem Monasterienſibus Comitia cæpta sunt, ac brevi terminata. In iis potissimùm ob finitimos motus de fœdere cum externis Principibus ineundo, de patriæ præsidio ac stipendio militiæ tractatum. Principi pecuniæ in singulos menses ab Ordinibus attributæ, quibus partim levarentur onera patriæ, partim tria peditum millia, ac mille equites alerentur.

38. *Tandem Senatus serio inquirit in nuperæ Seditionis reos.*

At verò Senatus Monasterienſis, certus jam, haud aliâ, quam reorum studiosâ inquisitione placabilem esse Principis animum, diversos quotidie ad Tribunal evocabat, quæstionibus eorum, qui accusabantur, responsisque sedulò intentus. Sed dum ab objectis se criminibus versutiores explicant, in pernegando non pauci persistunt,

sistunt, & alij post expeditum innocentiæ juramentum, nimis facilè dimittuntur, haud modica difficultas initiò fuit isthac viâ reum vel unum deprehendendi. Donec tandem pistoris cujuspiam servus, denunciatione plurium suspectior, in judicium tractus, post sponsam complices prodituro veniam, libertatemque, cui famulabatur, herum nominavit, qui grassante turbâ hastatus, haud procul ab æde summâ, ad imitationem, exemplumque sui, traditâ se bipenni animârat. Is namque conjectus in vincula, hic in aliquâ portarum contignatione custodiri jussus, plures malè conscios, experimento suo docuêre, dum ut quisque culpæ propior aut capescceret fugam, aut lateret ad tempus, terrore etiam, ac suppliciorum minis, obsequium adversùs Principem, quietemque in Urbibus comparari; & mali principiis eâdem severitate non obsistere, esse publicæ tranquillitati longè pernitiosum. 1654.

39. *Armat se Suecia Rex.*

Ingentes erant apparatus, quos in Suecià per eos dies, & magnâ parte Germaniæ adornabat *Carolus Gustavus* Suecorum Rex. Suspensus circùm hærebat Orbis, incertus, ac suspicax, in quam demùm provinciam vis tanta converteretur. Volebant nonnulli in Danos moturum Regem aut Batavos, quos pridem commodis suis adversos, gravesque sensisset Suecia; multi

Varij de eo rumores.

contra

1654. contra Moſcos iturum Livoniæ tunc infeſtos. Non pauci tam numeroſum legi militem pro Hiſpano Rege, dirigente ſic *Chriſtinâ*, quæ poſt ultroneam Sueciæ, aliorumque regnorum ac provinciarum, ampliſſimi patrimonij abdicationem, Antverpiæ ac Bruxellis tunc morata, Catholicæ fidei profeſſionem meditabatur. Plures ambire *Carolum* imperiale diadema, ideóq; non paſſurum unquam *Ferdinando Quarto*, qui ſub menſem Julium præſentis anni è vivis exceſſerat, alterum denuò Romanorum Regem ſurrogari, aut certè bello Germaniam, electionemque turbaturum: inſtigante cumprimis Galliarum Regno, ac nervum belli cumulatim ſubmittente; conſpirantibus etiam diverſis in Imperio Principibus, atque ipſo Britannorum Protectore *Cromvellio*. Pleriique verò Martem Suecicum Poloniam aggreſſurum, quod *Caſimirus* Rex jus hæreditarium in Sueciam prætendens, Carolinæ nuper coronationi contradixiſſet, & bella hodie inteſtina magnorum Carolo progreſſuum ſpem facerent: aut certè terris Juliacenſibus inferendum ominabantur. Quippe *Bipontinos* Duces jus omne, quod in Juliam, annexasque ditiones ſuſtinent ex maternâ ſibi hæreditate par cæteris deberi, tranſcripſiſſe *Carolo Guſtavo*, ex eadem Bipontinorum gente deſcendenti, haud aliter hodie, quam

quam uti ipse jactitâsse ferebatur, solo Marte vindicandum. Quod autem is consilia sua, ad proximi veris exitum cautus occultaret, par ferè timor vicinos interim Reges ac Principes invasit. Cæsar ad incerta belli se parabat. Danus, Brandenburgicus, Brunsvico-Lunæburgici, & cumprimis Neoburgi Dux, intentiore quam unquam delectu instituto, finibus suis prospiciebant. 1654.

40. *Auget et copias suas Princeps Monasterienſis*

Ab his quoque monitus *Christophorus Bernardus* tantò erat sollicitior, quanto periculo vicinior Principatus. Nec ei tunc difficile fuit festinatò copias augere. Cùm enim pridem edicto vetuisset, ne quis subditorum peregrinæ alibi militiæ nomeu daret, offerebant se certatim veterani, diuturno nuper bellandi usu exercitati, Diœcesis incolæ, ut intra breve tempus peditum tria millia, equites verò mille numerârit. His omnibus Ducem tunc præfecit Joannem *Remuntium*, Generalem Vigiliarum Magistrum, longâ armorum tractatione militem clarum. Is enim ab anno ætatis duodecimo Martem secutus, sub Hispanis primùm, tum sub Ferdinando Secundo, ac Tertio Cæsare, stipendia meritus, in Gallicis, Germanicisque expeditionibus egregiam belli virtutem probârat; & quo tempore de pace agebatur, præclarè gesserat Urbis Monasterienſis præfecturam.

Ut

1654. *Et cum Principibus Rhenanis fœdus paciscitur.*

Ut autem *Christophorus Bernardus* non minùs authoritatem domi, quam securitatem adversùs vim omnem externam tùtiùs stabiliret, Principes sibi Rhenanos, icto per hos dies fœdere sociavit, tabulis in hunc ferè modum vernaculè confectis.

41. *Tabulæ fœderis.*

Quandoquidem Reverendissimi, Serenissimi, ac Celsissimi Principes & Domini, D. Maximilianus Henricus Coloniensis &c. D. Carolus Casparus Trevirensis &c. Archi Episcopi, D. Christophorus Bernardus Episcopus Monasterienſis &c. & D Philippus Guilielmus Comes Palatinus Rheni, Dux Neoburgicus &c. post pacem Monasterij nuper, & Osnabrugi concluſam, periculoſos in Imperio motus necdum ex integro ceſsâſſe, ſed varias adhuc, moleſtásque, ac penè intolerabiles oppreſſiones, hoſpitationes, tranſitus, ac militares exactiones, imò & obſidiones, aliáſque belli inſolentias, ac territamenta, diverſis Electoribus, Principibus at Statibus Germaniæ, contra pacis ſacra pacta, & Imperij leges, infeſta conſpexêre; ac plura hujusmodi mala in futurum poſſint emergere; haud immemores officij ſui, quo vel ipsâ naturi duce, commiſſas à DEO provincias at ſubditos ſuos, pro viribus tueri obligentur,

tur eáq; media opportuniùs adhibere, quibus à suis, suorumq; verticibus, vim omnem, injuriámq; propulsent, ac in casum hujusmodi secundùm pacis & Imperij leges mutua sibi auxilia ferre queant; Hinc aliememorati Principes per Ministros, Consiliarios, & Legatos suos convenére, eóq; fine pacti sunt Societatem in formâ subsequente. 1654.

I. Hoc fœdus seu unio ad nullius offensionem, multo minùs seu generalem, seu particularem aliquem in Imperio motum, sed eò tantùm collimet, ut eorundem Principum Ditiones ac subditi contra predictas violentias, invasiones, hospitationes, transitus, delectus & exactiones militares, aliásque injurias, quocunque nomine nuncupari, aut à quocunq; etiam inferri velint, uti & adversùs intestina mala, dissidiáque conserventur ac protegantur.

II. Quod si igitur Confœderatos hos Principes, eorumque terras ac subditos, aut eorum aliquem istiusmodi violentiâ, hospitatione, transitu, delectu vel exactione militari aut aliâ quavis injuriâ, seu intestinis etiam turbis prater spem gravari, vel hujus etiam confœderationis causâ impeti aliquandò contingat, eo casu constantem sibi opem, viresq; subsidiarias mutuò promittunt; nec ab eo re-

1654. cedi poterit, nisi consensus omnium accedat, aut decreto Bellici Consilij id approbetur. Quod si vero ex confœderatis duos, aut unum duobus, pluribusve in locis molestari eveniat, Senatus Bellicus cum consilio cujusque militiæ Præfecti expensis rerum momentis prudenter statuet, quid facto opus.

III. Quo solidius autem hæc defensio mandetur operi, conventum est, ut non modo suas singuli arces ac fortalitia sufficienti præsidio communiant, militémq; patrium ad cujusq; provinciæ defensionem ordinatè semper instructum, paratúmque habeant; sed in quemvis etiam eventum, certum equitum, peditúmque numerum conscribant, & quidem Elector Colonienſis, qui & Princeps Leodiensis quater mille pedites, ac equites mille. Elector Trevirensis pedites mille quingentos octuaginta, & equites quadringentos. Princeps Monasterienſis mille octoginta pedites, equites ducentos septuaginta. Dux verò Neoburgicus mille ducentos pedites, equites verò trecentos; eósque delectos, nec pugnæ inhabiles; suósq; singuli hoc designatos numero, ubi necessitas exegerit, sine mora in subsidium promptè submittant. Quod si verò præter opinionem imminens periculum auctiorem numerum exigeret, Confœderati unani-

unanimiter statuent, an & quomodo auxiliares copiæ secundum præinsertam proportionem amplificandæ sint. 1654.

IV. Si Confœderatorum quempiam insperato casu ita de repente opprimi accideret, ut promissas ipse copias in campum educere prohiberetur, nihilo-tamen minus reliqui, ubi commoniti fuerint, auxiliaribus ipsi, promptisque manibus succurrent, Eundemq; & illius subditos ac terras, non secus ac proprias juvare & liberare adnitentur.

V. Armorum autem Ducatum, & militaris justitiæ administrationem habeant singuli, ac militem quisq; suum, quamdiu is à Confœderato corpore divisus intra propria cujusque provinciæ septa, tractumq; substiturus est, ordinet, alátq; arbitratu suo.

VI. Quod si verò copiæ fœderatorum conjunctæ fuerint, ea militiæ servetur administratio, ut cujusq; Principis militiæ Præfectus, ius suis dicat, ínque delinquentes suos animadvertat, átque ea curet, quæ infra articulo nono sancita sunt; sin autem delicta Generalitatem concernant, ex tunc Generalis cum Senatu bellico statuat, quod juris.

VII. Quoad supremum autem in campo, & actionibus bellicis regimen unanimiter fœderati convenérunt, nemo ut aliquam

1654. præ alio eminentiam vel majus jus aut potestatem, sub quocunq; etiam prætextu, directè vel indirectè, arrogare sibi, vel ambire unquam præsumat; sed penes illum Principem, cui suppetiæ mittuntur, & quoad expeditio bellica in ejusdem territorio perduraverit, adhibito secundum articulos sequentes Senatûs bellici consilio, suprema semper authoritas resideat & potestas. Si vero quispiam belli-Dux universo fœderatorum militi in campum educendo consŋirantibus omniùm suffragiis præficiatur, is uti commune sacramentum omnibus ac singulis dicet, ita generali super gubernio omnem adimet difficultatem.

VIII. Quod si autem in loco à fœderatorum Principum terris separato seu tertio agenda res sit, è cujus tunc Principis territorio ad locum tertium transibitur, ejusdem militiæ Præfectus supremâ potestate fungetur, donec ad proprios lares fœderatæ copiæ remeârint; quandò verò sociati Status è proprio singuli fundo copias suas ad locum tertium emittunt, superior, seniórq; Officiatus de consilio Senatûs bellici, gubernabit. Sin autem consensus omnium Belli-Ducem creaverit, illius imperio standum erit.

IX. Ad promovendã verò meliùs hanc fœderatorum defensionem visum est quasuos

1654.

tuor viros seligere, Principibus suis sacramento adstrictos, quorum munus erit conflato fœderatorum militi assistere, rerum, militiaque pondera sedulò expendere, militare Concilium (si quando necessum sit) pro virili urgere, eiq; continuam impertiri præsentiam suam, rei tormentariæ, annonæ, commeatûs, ac generatim omnium, quæ conservando militi, promovendaq; militiæ servierint, curam habere. Et quia præter hosce Consiliarios singuli Principes auxiliaribus copiis suis Ducem præficient, hunc semper Belli-Dux & plures etiam juxta Belli consuetudinem ac rerum exigentiâ unà cum dictis Consiliariis convocabit, consultationis puncta ordinatè proponet, vota colliget, decidet & concludet, decisa, concluságue per Superiorem, Seniorem q; Officialem executioni mandabit, nec quidquam præter id, quod in Concilio ita placitum fuerit, unquam attentabit.

X. Singuli tam in proprio quam alieno territorio suum militi stipendium solvent, & maximè quidem, dum in peregrino fundo fuerit, útq; damni & insolentiæ cujusvis occasio certiùs evitetur, decendio solutionem anticipabunt, eúmq; in finem singuli fœderati Commissarium constituent, eidémq; integri propterea mensis stipendium anticipatò concredetur.

tur. Quod si etiam solutionem male differri, aut aliunde à subditis confœderatorum provinciis obicem poni, & vel ideò præter spem suppetias tardari, vel etiam omnino sisti contingeret, reliqui statuent, quâ demùm viâ cunctatoribus hujusmodi vel refractariis debeat obviari.

XI. Conjuncto militi cibarium panem suppeditabit ille, cujus fundo auxiliaris institerit miles, & quamdiu communi isthic consensu steterit, ita tamen, ut cæteri pro numero subsidiarij militis, expensi panis pretium suppeditanti denuò refundant. Quare in suo quisque territorio annonam tempestivè curabit, sed præter cibarium panem, hospitium ac pabulum, ex vi præsentis fœderis curare quidquam aliud non obligabitur, nec etiam alij prætendent vel extorquebunt. Quidquid suprà id exegerit fœderatus miles, æquo subditis pretio compensabit. Si verò miles in loco tertio aut tali subsisteret, ubi vel deficeret annona, vel illius procuratio fœderatorum alteri nimium difficilis foret, beneficii tunc vecturæ proximior curabit, & æquo pretio solvet miles.

XII. Ne tunc verò annonæ vecturæ impediatur, nec minùs subditorum one-

ra

1654.

ra pracaveantur, quam debita procuretur solutio, disciplina militaris rigidè servetur, in transgressores acriùs & citra personarum acceptionem, aut in ipsos militiæ Præfectos, si incurii fuerint, seriò animadvertatur. Sin etiam miles auxiliaris damnum provinciæ aut subditis impunè intulerit, liceat Principi, cujus subditi læsi sint, à ladente damni exigere reparationem.

XIII. Apparatum bellicum copiis necessarium, juxta numerum militis, & locorum opportunitatem suis singuli curabunt. Quoad rem verò tormentariam, id ad tempus conventum est, ut quilibet militi suo tormenta campestria, sexcentis videlicet duo, iisq; tertium adjungat, quod sex evibret plumbi, ferrivè libras; machinas verò curules, eóq; requisita procuret is, cujus in fundo aut loco viciniore expeditio bellica fuerit, sumptu tamen fœderatis omnibus communi.

XIV. Miles subsidiarius dum iter facit, festinet, nec extra necessitatem in stativis cunctetur; hospitium verò, sicut & cibarium panem ac pabulum modo superiùs pacto procuret idem ille, cujus territorium transitur, eúmque in finem Commissarios designet; cætera verò, prout ante statutum est, observentur.

XV. *Quidquid demùm vel unioni præsenti vel futuræ aliquando expeditioni sive compendiosum, sive noxium Fœderato cuipiam occurrerit, id in commune statim germanâ fide conferetur.*

XVI. *Si qui Principes alij aut Ordines Imperij citra discrimen Religionis, huic fœderi nomen dare, eidemq; implicari desiderent, an ii, & quâ demùm lege admittendi sint, communi posteà sociorum consensu statuatur. Si quis verò uni alterive fœderatorum sese insinuet, id cæteris extemplò significetur. Interim nihilominùs fœderatis liberum sit, secundum pacis Westphalicæ instrumentum (citra fraudem tamen præsentis unionis) in diversum ab hoc fœdus cum aliis Magnatibus coire.*

XVII. *Confœderationi huic, quæ ad vim duntaxat propulsandam inita, & in ipsis Imperij ac pacis legibus fundatur, biennium proximè secuturum fœderati firmiter adhærebunt; circa ejus prorogationem, uno ante biennij lapsum semestri, prout temporum ac subjectarum cuique provinciarum ratio exigere videbitur, denuò conventuri. Interea verò Sacram Cæsaream Majestatem de fœderis hujus coalitione*

ne

ne devote edoceri oportebit. In fidem omnium quatuor præsentis pacti exemplaria confecta, & donec ab ipsis Principibus signentur manibus Legatorum subscripta sunt. Coloniæ Agrippinæ. Die XV. Decembris Ann. M. DC. LIV. 1654.

Subscripsêre

Pro Eminentissimo Trevirensi

Lotharius Baro de Metternich.

Pro Serenissimo Colonienſi

Franciscus Ego Comes de Furstenberg

Petrus Buschman Cancellarius.

Pro Celsissimo Monasterienſi

Guilielmus de Furstenberg.

Pro Serenissimo Neoburgico

Henricus â Winckelhausen.

Guilielmus de Golstein.

FINIS LIBRI SECUNDI.

JOANNIS ALPENI
PRÆPOSITI SANTENSIS
De
VITA ET REBUS GESTIS
CHRISTOPHORI BERNARDI
EPISCOPI ET PRINCIPIS MONASTERIENSIS.
LIBER TERTIVS.

ARGUMENTUM.

1. CHRISTOPHORUS BERNARDUS *ſpargitur cum Domo Brunſvicenſi fœderatus. Quâ occaſione. Anguntur ex eo Monaſterienſes. Eorum ſermones. Nonnullorum vota.*
2. *Armatam Princeps vindictam meditatur. Stratagemate.*
3. *Tentatur Civitas. Sed irrito effectu.*
4. *Turbatâ Civitate. Ad Clerum & Officiales ſcribit Princeps. Explicato milite urbem cingit.*

git. Nonnulli è Clero ad Principem ablegantur. Rector Collegij Societatis pro reis intercessor.

5. Non tamen ideò placat plebem. Iratam. Timidam. Seditiosam. Falsi rumores per Vrbem sparsi. Quorundam audacia.

6. Maturantur tractatus concordiæ. Instante Duce Neoburgico. Reclamat Plebs. Ejusdem sermocinationes. Senatus conatur Plebem mollire In Castris alij arma. Alij pacem suadent.

7. Pactio Schonefitana.

8. Principis in Vrbem ingressus. Solennis gratiarum actio. Plebis diffidentia & criminationes. Augentur à Rescripto Cæsareo. Cui & alterum supponunt. In cujus authores inquiritur.

9. Principis in Civitatem benevolentia. Constans Plebis alienatio. Principis querela de non servatâ pactione Schonefitana.

10. Mallingcrotius privatur Decanatu. Eligitur Brabeckius Decanus. Chisius fit Pontifex.

11. C. B. febricitat. Restitutus Wolbecam indicit Comitia. Monasterienses antè tractant de educendo milite. Qui tandem ex Vrbe educitur. Petunt Vierdenhalvium absolvi. Sed Princeps juxta privilegium Patriæ arbitrorum electionem offert.

12. In Comitiis decernitur tributum Accisiarum. Reclamant Civitates.

13. Monasterienses recusante Staalio, ablegant Vierden-

Vierdenhalvium *Viennam. Princeps præmittit* Fürſtenbergium. *Eâ Monaſterienſium novitate. Et magis Prafecti creatione. Ac militum authoratione offenſus.*

14. *Armorum Suecicorum apparatus. Angit* Neoburgicum. *Excitat Monaſterienſem. In Poloniam convertitur.*

15. *Princeps à Monaſterienſibus averſus. Arcis extructionem alibi meditatur. Eligitur Coesfeldia. Iſthic arx extrui capta. Quando. Et quâ formâ. Querelæ Coesfeldienſium. Academiarum reſponſa. Exempla aliorum.* Ruſius *opus probat. Appellatum Ludgeriburgum.*

16. *C. B. celebrat Synodum Generalem.* Wiedenbruckius *ablegatur Francofurtum. Cæſar Commiſſarios nominat Moguntinum & Trevirenſem. Item Oſnabrugenſem & Neoburgicum.* Furſtenbergius *abit Romam. Redeunti* Vierdenhalvio *intercluduntur viæ.*

17. *In Comitiis continuatur Ordinum diſſenſio. Querelæ Civitatum. Ex immunitate villarum auctiores.* Vierdenhalvius Suſati *arreſto detinetur.*

18. *Principes Commißarij partes Coloniam evocant. Eò ablegatur* Wiedenbruckius. *Diffidentia Monaſterienſium. Suppetiæ contra* Condæanos *Leodium. Electio Magiſtratûs Urbici. Anniverſaria Urbis tentatæ dies.*

19. Vierdenhalvius *arreſto ſolvitur. Reducitur Monaſterium. Rumor de reditu* Mallingcrotij.

20. *Congreſſus Colonienſis. Diſſolvitur infectâ re.*

Princi-

Principes fœdus extendunt. Monasterienses Drachterum & Witteldium. *Princeps* Wiedenbruckium *Viennam ablegat.*

21. *Pontificis epistola ad Episcopos Germaniæ.*

22. *Impositio primi lapidis arcis Coesfeldiensis.*

23. *Monasterienses petunt Vrbem suam immediatam declarari. Sed rejiciuntur.*

24. *Pestis Monasterij. Viennæ super jure præsidij agitur. Decretum Cæsaris. Utraq; pars pro se interpretatur. Princeps* Wittenbergio *Præfecturam Vrbis renunciat.* Vogelius *à Monasterienſibus relegatur.*

25. *Principes Confœderati de fœdere cum Batavis agunt. Monasterienses implorant Urbes* Hanseaticas. *A quibus remittuntur ad Batavos.* Aitzema *illorum Patronus. Mittunt suos Hagam-Comitis. Eorum propositio.*

26. *Principis dehortatoria ad Civitatem. Ejusdem exprobatio cum Urbibus Hanseaticis.*

27. Drachterus *redit Monasterium.* Wilichij *oratio apud Batavos adversùs conata Monasterienſium. Quid replicet Eorum Patronus.*

28. *Confœderati Principes ablegant suos Hagam. Eorum propositio. Tractatur negotium fœderis. Abrumpitur.*

29. *Interpositio Nobilitatis in causâ Monasterienſi. A Monasterienſibus protrahitur. Comitia Monasterienſia.* Drachterus *iterùm abit in Hollandiam. Tribunalia transferuntur* Dulmaniam.

30. Mal-

30. Mallingcrotius *in Westphaliam redux. Frustrà tentat intrare Monasterium. Capitur & ducitur* Ottensteinam.

31. *Vicariorum Imperij litteræ ad Civitatem. Princeps evulgat libellum contra Eandem.*

32. *Principes confœderati suadent obsidionem Civitatis.* Drachterus *capitur. Frustrà Civitas Eum repetit. Sed plures in Urbe attinèt. Princeps ad obsidionem parat se. Monasterienses ad defensionem.*

33. *Civitas obsidetur. Principis postulata. Responsio Monasteriensium. Suos mittunt in Hollandiam.*

34. *Civitas tormentis infestatur. Nova Principis postulata. Obsessi firmant se magis. Erumpunt.*

35. *Litteræ Vicariorum ad Principem. Ad eos ablegatur* Furstenbergius. *Obsidio difficilis.*

36. *Conventus Nobilium. Eorum querelæ.*

37. *Responsum Principis. Nobiles resumunt tractatus cum Urbe Principes confœderati hortantur Civitatem ad deditionem. Respondet Civitas.*

38. *Batavi offerunt interpositionem. Nobilitas urget compositionem. Hanc spes auxilij Hollandici protrahit.*

39. *Tentatur porta Horstiana. Sed frustrà. Oppugnatur propugnaculum* Asperi Collis. *Cadit* Hordeckius. *Ejus laus.*

40. *Ve-*

40. *Vespera Lambertinæ Monasterienſibus triſtes.* Aſper Collis *iterum oppugnatur. Iterata poſtulata Principis. Propoſitio Nobilitatis. Nuncius ex Hollandia.*

41. *Principes Confœderati moram exprobrant Militiæ Præfectis. Iterùm ſcribunt ad Civitatem. Et Moguntinus Legatum mittit.*

42. *Urbs ex alterâ etiam parte oppugnari cæpta. Batavis ſe moventibus. Compoſitio urgetur.*

43. *Legatio Batavorum. Eorum propoſitio. Reſponſio Principis.*

44. *Legati abeunt* Steinfordiam. Wilichius Hagam. *Batavi docernunt armatam interpoſitionem. Id Principi & Conſœderatis denunciant.*

45. *Princeps prævenit. Et conventam Urbis deditionem admittit. Ejus capita.*

46. *Finis obſidionis. Principis in ea virtutes. Civium conſtantia & incitamenta.*

47. *Concurſus externorum ad contemplanda opera. Princeps ad Legatos* Nagelium *mittit. Legati Monaſterium intrant. Lautè habentur. Eorum oratio. Senatorum reſponſio.*

48. *Legati* Steinfordiam *revertuntur. Inde juſſi Principem Wolbecæ ſalutant. Et cum ſuis Hollandiam repetunt.*

Quo

1654.

Christophorus Bernardus spargitur fœdus cũ Brunsvicensibus iniisse.

Qua occasione.

QUo tempore *Christophorus Bernardus* agente Furstenbergio *Coloniæ* cum Principibus Rhenanis in eas, quarum jam meminimus, fœderis leges cõibat; alterum etiam *Osnabrugi* cum Brunsvicensibus paciſci ferebatur, operâ *Brabeckij* majoris Thesaurarij, quem cum Nicolao *Drachtero* Jurisconsulto isthuc abiegârat. Jam pridem enim Monasterienſi Episcopo, & Ducibus Brunsuico-Lunæburgicis, Cæsaris authoritate, componendis ex Juliacensi successione identidem natis, Electorem *Brandenburgicum* inter & Ducem *Neoburgicum* controversiis, potestas data erat. Indicto per hos dies ad eum finem *Osnabrugi* congressu, inter Judicum & partium Legatos, hac super re tractabatur. Occasionem hanc nactus *Christophorus Bernardus* ad conservandam Circuli Westphalici quietem cum Principum istorum Legatis super defensionis fœdere tractari jusserat. Sed quod instructionis defectum obtenderent, nec satis æquè inter membra Circuli conveniret, aliæque ex aliis quotidiè difficultates orirentur, frustrato & fœderis & compositionis successu, re utrinq; infectâ, domum rediére. Monasterienſibus interim pacta nihilominùs cum domo Brunsvicensi confœderatio credebatur.

Et quanquam peritiores secùs probabant; imò si & admitterent, inter eam Suecicorum armorum præparationem, non aliò, quam ad mutuam defensionem, & utriusque Circuli, imò Germaniæ totius securitatem spectare. Auxit tamen ea fœderum ac bellicorum apparatuum fama Monasterienſium ſuſpicionem, exiſtimantium in ſpeciem dici cætera, interim ſibi verosimiliùs hanc fabam cudi: præſertim quod per eos dies colloquium *Coesfeldiæ* inter *Chriſtophorum Bernardum* ac primores Collegij Cathedralis, magni alicujus conſilij capeſſendi gratiâ, adverſus Civitatis factiones inſtitutum pleriſque opinarentur: imò nec pauci affirmarent in eo Principem armatam decreviſſe Urbis obſidionem, pœnas exacturum ab iis, qui re vel conſilio nuperam adiuviſſent, aut certè diſſimulâſſent ſeditionem. Hoc ſolùm fine numeroſum adeò militem conſcribi. Impoſtorem eſſe, quisquis civi conetur ſecùs perſuadere. Si quæ publica enim calamitas aut externo forſan ab hoſte periculum timeretur, iſtiusmodi certè cura vicinos æquè Principes tangeret; quos tamen conſtaret â cogendis militibus ſe prorsùs continere. Ita aſſeverare, qui *Paderbornâ*, *Oſnabrugo*, *Coloniâ* redirent. Nihil interſerebant alij auſurum hodiè Principem, quantumvis in civium perniciem ultrò proclivis

1654.

Anguntur ex eo Monaſterienſes.

Eorum ſermones.

1654. civis esset: Comitem quippe *Koningsmarckium* in Ducatu *Bremensi* Suecicarum copiarum Ducem, si quid adversùs Monasterienses tentetur, abundè militem & arma polliceri, dominanti huic factioni adeò intentum, ut per emissarios quotidie plures ad audendum sollicitare spargatur, & Batavos etiam auxilium propiùs ostentare. Apertiores nonnulli haud improbari posse volebant Civium vota, si externis ita viribus dispelli aliquando contingeret invisum adeò præsens Ecclesiasticorum regimen, à quo nihil æquè ac Civitatis ruinam intendi palam esset. Nec aliò spectare, quod utrumque Sacrum ac Civile Dicasterium, Principis jussu, *Coesfeldiam* evocatum cum suis administris jam tum emigrârit, quam ut mercatura, ut lucra, unà cum iis transferantur, & civis illâ dicundæ, agendæque litis facilitate, domus habitatore, vectigali Civitas exuatur.

1655. Inter verbosas istiusmodi velitationes vertente se Anno post millesimum sexcentesimum quinquagesimo quarto, suspensus circùm hærebat Orbis, quid actionum & scenarum tandem theatrum illud Westphalicum exhiberet. *Christophorus Bernardus*, cùm Principum ferè omnium oculos in se conversos notaret, ad armatam existimationis lasæ vindictam, invito licet atq; obluctante animo, pertrahi se testabatur. Nihil enim hactenùs, vel dissimulatione, vel

2. *Armatâ Princeps vindictâ meditatur.*

vel voluntate pœnarum, effectum aliud, quam ut authoritatem sibi, metum subditis ademerit. Profectò famæ ac patriæ causam malè sibi cordi fore, si horum pervicaciam, nimiâ quotidiè indulgentiâ invalescentem, novissimis aliquandò exemplis non coërceret. Itaque jam certus animi armis ulcisci injuriam, de modo cum paucis deliberat. Expensâ obsidionis difficultate, si sine pugnâ, sine cæde & sanguine scopus obtineri posset, facilè placuit stratagema. Incitamento erat *Bevergerna*, ita triennio ferè abhinc feliciter recuperata, & *Hervordia* Civitas, quam in Comitatu suo *Ravensbergensi* Elector Brandenburgicus non ita pridem astu persimili suæ fecerat potestatis. Igitur rem hoc modo conficiendam secretò concludit. 1655.

Non quidem obsidione, sed stratagemate.

Ex audacioribus, veteranisque seligendi equites circiter quindecim, sedecímve, qui successivis diebus, viisque diversis, ac sparsim civitatem intrent, ne simul, semélque juncti, suspicionem pariant. Die stratagemati constitutâ, sub auroram, egressu ad divæ Virginis portam, dum illa recluditur, simulato, excubias (nam pauci illic agitare consueverant) aggredientur; bini intereà portam conscendent, curabuntque, ne præcipitis cataractæ, aut inferioris catenæ obstaculo, advolaturus ex

1655. agro ſuburbano eques, ab ingreſſu Civitatis arceatur. Equitum, peditumque circiter mille in vicinos urbi hortos, inſidiis perquam idoneos, inducendi. Excubiis, portisque ex improviſo præoccupatis, in Urbem uno conjunctim impetu irruent, eques plateas, præciſis ubique catenis, infeſtas reddet; pedes valla extemplò conſcendet, tormenti exploſione abditos adhuc commilitones ex hortorum latebris acciturus. Sic urbe non expectato impetu, terroribusque perculsâ, ſine ſanguine jam penè captâ, facilè potituros. Theodorus Hermannus *Nagelius* aulæ Magiſter, & Legionis equitum tunc Protribunus, deſignatur ſtratagematis futurus actor.

Tentatur Civitas, operâ Nagelij.

Ergo re ſic inſtitutâ, aderant jam Nonæ Februarij, divæ *Agathæ* ſacra & aſtui deſtinata dies. *Nagelius* intra Urbem cum ſuis jam antè præſens, pridiè ſub veſperum Conſulem interpellat, ut ſibi ad Principem, ex urgenti causâ manè proximo properanti, porta divæ Virginis paullò maturiùs referetur. Conſul, erat is Joannes *Timmerſcheidius* vir ſuopte ingenio humanus, nec doli quidquam ſubeſſe ratus, amicitiæ libenter id tribuit, & prompeum *Nagelio* obſequium Urbico Metatori demandat. At verò albeſcente nondum luce, ad eandem portam nonnemo-

5. *Febr*

Conſule Timmerſcheidio.

Qui præmonitus

1655.

mo festinus accurrit, mediam partem nudus, stentoriâ, sollicitâque voce excubias inclamans, *multum advolare militem, rectâq; Urbem petere, átq; ideò vigilem agi custodiam, si quidem indemnes se velint, serio monet.* Rogatus quisnam esset, nolle se nunc innotescere respondens, multò quàm venerat, celeriùs aufugit. Juvenis erat, qui vicino tunc Curioni Leprosorum famulabatur. Monitus eo super nuncio Consul, non antè, quàm illucescat, portas jubet recludi.

militis adventum.

Portas maturiùs aperiri prohibet.

Nagelius interim, horum ignarus, primariam in Prætorio stationem jam secundùm interpellârat, ut portam Marianam aperirent, discedendi enim necessitate se premi. Et quanquam obstare Consulum mandata respondebatur, urgente tamen importuniùs egressum, sub auroram, nec antè, porta recludi jussa est, jussusque Metator Urbicus (*Adjutantem* vocant) ex eminente vallo lustrare circùm campos, laterémne forsan alicubi insidiæ. Hic igitur cum *Nagelio* progressus, dum aream Cathedralis Ecclesiæ transeunt, remotis arbitris clam visus colloqui, pileo faciem tectus, ab inspectantibus, obviisque fortuitò civibus, quid, quóve vellet Præfectus aulæ, interrogatus, salutato cursim ærarij patriæ Præfecto, respondet *Dulmaniam* fortè petiturum: eósque festinan-

Quæ tandē aperiuntur.

ter prætergressus, dum ad alteram interea viam, quam equinam vocant, *Nagelius* equitans deflectit, ipse pedes per *Transaquense* cæmiterium rectâ cum clavibus ad D. Virginis portam contendit.

Irrito stratagematis effectu.

Subinde *Nagelius* cum suo jam comitatu isthuc etiam advenerat. Ex quo mox equitum alter, dum in officinâ fabrili proximâ, studio calceari equum curat, sublato clam ex eâ malleo, aptatis ad id palis, vicinius repagulum claudi vetat: bini verò rati cataractam esse, portam conscendunt, ejusdem casum præpedituri: sed nullâ isthic repertâ, fabróque ex usu mallei fraudem subolente tumultus jam ciebatur: reliquis interea ad postremam usq; portam (cæteræ enim jam tum erant reseratæ) illicò progressis. Ubi cives inter *Smitzius* quidam excubias agens, præ reliquis memor antelucani monitoris (quidquid Consulum jussa inclamaret Metator) egressum intrepidus remoratur. Equites igitur ubi conatum à fronte irritum, à tergo autem turbas, totámque jam concitari plateam Marianam conspicantur, retrocedere maturant. Sed dum inde ad portam urbis confinem properant, intercluſas ubiq; postibus ac catenis vias offendunt. Cumque civitatis propemodum turbatæ meditullium transire minùs expediret, eas inter angustias, Metator ereptis è vici-

1655.

è vicinâ domo clavibus poſtes ocyùs recludit, ac demiſſis catènis, viisq; ſic apertis per portam viciniorem, à *Judæorum campis* nominatam, feſtinantes dimittit, ignaris adhuc iſtius loci excubitoribus, quid ad Marianam contigiſſet.

Excitatur, turbaturq; civitas.

Totâ nunc Urbe ad arma clamabatur, pulſantibus etiam fœminis tympana, ut inſcium ſtratagematis civem, ſomnóque adhuc indulgentem properè concirent. Occupabat cuncta ubique pavor, Civitate ad repentinos illos clamores exterritâ: utque ſubita ac incerta quæque æſtimari atrociora ſolent, mercatorum pleriſque direptionem mercium, populationemque veriti occludere ſe ſe, ac firmare domorum aditus, ab aliis aurum, argentumque ac pretioſa quæque occultari: *Societatis Patres* anxij, ne quid iterùm damni eos inter tumultus Collegium pateretur, à Senatu ſecuritatem petere. Senatus autem ocyùs foras amandare emiſſarios, qui explorent rumoris veritatem: ſed extemplò reverſi obſeſſas circumquáque vias referunt, & numeroſum per agros militem explicari; turbatis vel eò vehementiùs multorum animis, quò numerus incertior. Sub hæc Metator de proſitione; aut veriùs colluſione ſuſpectus, juſſu Senatorum in carcerem trahitur, forſan ut vel eò citiùs iratæ plebis furori eriperetur, necdum convictus.

Metator urbicus incarceratur.

victus. Quando verò tantùm fidei ac fortitudinis in *Smitzio* Cives ac Senatores comperîssent, non destiterunt illam viri virtutem quamprimùm remunerari, condonato tributorum onere, oblatóque mox honestiori civiles inter centurias officio Vicarij. At Princeps, qui in arce *Schonefliranâ* tunc morabatur, per os Tubicinis illicò Magistratui denunciat, nihil ut adversi in Metatorem statuatur virum innocentem; idem secùs in civem, quemcunque foris deprehendi contingeret, pariter se decreturum.

Ejus innocentiâ testatur Princeps.

Rumoribus, cursitationibúsque dies aliquot civitas regebatur, nullo ferè non consternato. Princeps gnarus omnium, quæ in Urbe agebantur, quúm agnosceret, obsessâ jam illâ, plerósque civium timidiùs agere, adjuvandam artificio hanc partem existimavit, scripsítque ad Clerum & Ministros in Urbe commorantes facti rationem. *Sæpe numero monitos abs se Monasterienses, ut in seditiosos, præcipuè septimâ nuper Octobris tumultuantes animadverterent, néq; seditionum principem* Mallingcrotium, *sacrorum interdictione correptum, diutiùs foverent, aut se, ac ministros suos calumniis ultrà & injuriis vellicarent; pleraq; contemnentes, dignos abs se judicatos, quorum contumacia armis &*

Scribit ad Clerum & Officiales suos.

1655.

& obsidione compescatur. Quamobrem edicere, ne quis consilio, armorum usu, aliâve ope fontes juvet, sed si abeundi facultas detur, ne cum reis luant innocentes, sibi, fortunisque suis consulant, & ocyùs aliò se transferant relictâ civitate. Has litteras suis ita tradendas commendabat, ne lateret civem, quo major inter illos anxietas nasceretur. Et commodum ad eum finem accidit, ut eodem tempore nonnulli civium, pro se, suisq; solliciti, sibi dari securitatem à Principe flagitarent, si forsan armatus urbe potiretur. Sub hæc etiam miles vias obsidere jussus, Civitatem commeatu intercluserat; quódque apparatus ac machinæ in promptu essent, subindè aggressionem remotè ostentabat, cui facilitandæ ipsus æther fossis civitatis crassâ per eos dies glacie concretis, suffragari quodammodò videbatur. Monasterienses re tam subitâ commoti potiori parte ad Principis clementiam confugiendum sentiebant. Quod autem Senatorum plerique haud satis sibi fiderent, rogati primores è Clero ac Religiosorum familiis *Schonefitum* abierunt, offensum Principis animum promptâ Senatûs ac Civium obedientiâ lenituri. Verùm iis, cum audirentur, actutùm oggessit Princeps; si quidem suam Monasterienses gratiam seriò

Explicato milite Urbem cingit.

Nonnulli de Clero ad Principem ableganter.

1655. percupiant, inter eam Senatorum ac civium frequentiam non defuturos, qui præsentes se sistere & supplices ipsi clementiam experiri possint. Id ubi reduces ad Magistratum ferunt, ocyùs è Senatu ac Civibus gratiores quique designantur ad Principem ablegandi. Qui & petitâ priùs, obtentâque fide publicâ, illicò *Schonesitum* profecti, ad aures quidem Principis admissi non sunt, sed ab iis, qui â consiliis intimis erant, seorsim auditi, doctiq; Principis postulatà, brevi ad Urbem redière, Senatûs ac Civium mentem super his exquisituri. Quando verò Collegij Societatis Rector P. Hermannus *Busenbaum*, vir prudentiâ & doctrinâ clarus, ad cætera Principem velle intellexit, ut postquam præsidium intrà Urbem admissum esset, quæstiones sibi adversùs nuperæ seditionis authores liceret instituere, nec aversos ab eo reperiri Senatorum ac Civium animos; præsentiscens referendam in se ac Collegas suos invidiam facti, spontaneâ legatione, generalem noxarum veniam ob proximas turbas, à Præsule supplex precatur. *Haud dubiè populum, quidquid deliquerit contagione, deleturum acriori obsequio, & vel ita cives multò minùs præsidium detrectaturos. Nec diffidere se Principem pro innatâ etiam clementiâ tantò libentiùs condonaturum* (pro quo-

Dein alii è Senatu & Civibus.

Rector Collegij Societatis pro reis intercedit.

Et præteritorum condonatio-

quorum veniâ operam se suam ac Societatis, ajebat, spopondisse) quantò verius præter Principem, etiam se Patrem dici, non ignoraret. Exoratus ita *Christophorus Bernardus* in præteritorum oblivionem lubens descendit; dummodò reverentes inposterum, fidósq; subditos se fore stipularentur. 1655. *nem exorat.*

Sed parùm iratos pridem animos leniisse visa est ea Rectoris sollicitudo aut Principis gratia. Per eos namque dies nonnulli ad diripiendum Societatis Collegium, fugandósque Jesuitas non rarò capita conferebant; nec enim urbem unquam pacatam fore, quamdiu turbidos istiusmodi aleret altercatores. Ex audaculis instabant alij, lustrandas esse Cathedralium aulas, forsan in latebris earum integros delitescere militum manipulos, átque ita ab insciis ignem fortassis in sinu foveri. Interim verò non pauci etiam trepidabant, securitatem rati pretiosa quæq; vel humo occultare, vel ædium sacrarum tectis abdere, sive ut incendiis ea subtraherent, sive ut invasorum, prædantiúmq; manus, si civitatem opprimi contingeret, tutiùs declinarent. 5. *Non tamen ideò placat plebem.* *Iratam juxta ac timidâ.*

At multi paulatim à cognitâ obsidentium paucitate audaciores, exutâ superiorum reverentiâ seditiosiùs agere. Hi implorandam *Hollandorum* opem, isti ad *Paulatim quóque seditiosam.*

Suecos

1655. *Suecos* in auxilium pronos confugiendum ſuadere: nonnulli etiam paratas pro augendo Urbis præſidio pecunias offerre; multi fingere datas ad ſe litteras, forti ac ſecuro animo eſſent, brevi & auxilium obſeſſis adfuturum, & obſidentium copiolas excitato alibi incendio facilè diſtrahendas.

Falſi rumores per Urbem ſpargun-tur.

Nunc obſeſſam ab Auriacis *Bevergernam* conflagrare, conſpici id ex turre Lambertinâ; nunc expugnatam à Suecis *Vechtam*, & *Halterenam* Oppidum à præſidio Batavorum *Weſaliensi* deditione captam, eorúmque tria millia in ſubſidium Urbis properare; imò ipſum Principem tantæ jacturæ & irriti ſucceſsûs impatientiâ furere, nec ultrà ferre alicujus conſpectum, authoribus ſtratagematis implacabiliter iratum, receptui canere ſerò compelli. Alij vulgare, ab Electoribus *Coloniensi* ac *Brandenburgico* indictum jam Monaſterienſi bellum; *Suecos* verò cum exercitu apud *Bremenſes* ad eum finem collecto, in procinctu eſſe: nec abeſſe procul *Lichtenſteinium*, Provincialem Teutonici Ordinis Commendatorem, Civitati amicum, cum numeroſâ armatorum manu. Quibus commentis, quod à variis eadem aſtruerentur, habita eſt vulgo fides, & vel eò major, quod à ſubornatis, publico etiam nomine oſtiatim aliqua confirmarentur, quò facilius multitudinis animos

mos inopinâ obsidione abjectos, fictâ, quamdiu non poterant verâ, adversantium clade sustentarent. 1555.

At vero effrontes nonnulli etiam ausi majora, collatis antè capitibus, non semel in Curiam furiosiùs involare, ac superbè comminari Senatoribus, si quid inconsulto Cive cum Principe transigant, è Senatu neminem salvis ossibus abiturum. Et eadem pluries audaciùs objectabantur. Ita gliscente in horas malo, impar multitudini Senatus, trepidúsque, tantò nitebatur studiosiùs populum demulcere; quantò dolebant seriùs medicinam parari, qui principiis obstare neglexerant. *Quorundam audacia.*

Nihilo-tamen minùs quotidiè *Schonefitum* se conferebant Senatores, cæteríq; Delegati, ad controversias aliquâ tandem ratione sopiendas. Atque ipsi etiam Principi, ad subditorum commoda perattento, serium erat concordiam maturare, præsertim quod crescente indies metu à Suecorum copiis, utriúsque interesset conceptæ jam compositionis telam absolvi. Urgebátque missis subindè Cursoribus instanter finem *Neoburgi Dux Philippus Guilielmus*, ne fortè illam inter perdurantis diffidij moram, irreparabili partium damno, loci istius Suecia potiretur. 6. *Maturantur tractatus concordiæ.* *Instante Duce Neoburgico.*

Jámque eò res deducta erat, ut habito placitorum utrinque consensu, legitimæ *Reclamat plebs.*

1655. timæ pactorum tabulæ ab utrâque parte subsignarentur. Sed hoc ipso tempore quorundam factiosorum per Urbem cursitantium inquies effecit, ut eorum consiliis obfirmati Cives, mutatâ sententiâ decernerent, neque Principem neq; præsidiarios ad Civitatem admittere, nisi in alias, quas ipsi præscripturi essent, conditiones abiretur. Sibi enim jam exploratum, ab eâ oppugnantium paucitate, damni nequidquam aut periculi timeri posse. Quid, quod eâ paucorum manu irruptionem minari ausint, magis admirandum quam glorioſum. Non eam esse Civitatis, mœnibus, vallis, fossis adeò munitæ debilitatem, ut istæ militum copiolæ æstimari debeant. Et quid opis allatura imbellium illa, mixtáque invitorum agrestum phalanx? ipsas fortè fossas, si virgultorum fasces desint, eorum aggestu corporum exæquari posse. Aliam esse animosi cujusque civis mentem, certè parati, promptique saluti Urbis, suæque ac posterorum libertati & vitam & fortunas generosiùs immolare. Internæ vires impares si fuerint, prompta esse subsidia exterorum. Nec enim permissuram Batavorum, aut Suecorum vigilantiam, ut rebus suis opportunam adeò occasionem elabi sinant. Satiùs esse cordato cuivis Civi, horum opem

Ejusdem sermocinationes.

Episco-

Episcopali jugo anteferre. Nota sibi Principis ac Capitularium consilia, qui post occupatam militibus civitatem, pro arbitratu acturi sint cum eâ, arcemque valido cum præsidio imposituri; quo jugo capti Monasterienses ea demùm imperia patiantur, quibus Padibornam, Moguntiam, aliasque hujusmodi per Germaniam Civitates premi constaret. Hæc jam dudùm præconcepta esse; DEI tamen beneficio, curáque Civium ac vigili hactenùs sollicitudine frustrata. Injuriæ æternam præfectò, infamiæq; apud posteros, Nepotésque notam se incursuros, si demùm hodiè ultrò ea concederent, quæ exantlatis tot laboribus ac molestiis, fidi Majores hucúsque fortiter adeò conservâssent. 1655.

7. *Senatores conantur plebem mollire.*

Enimverò hoc vulgi tumultu indies crebrescente, Magistratus offensum magis eâ inconstantiâ, injuriâque Principem pertimescens, singulis in Urbe Tribubus ex ordine Senatorio nonnemi-nem adjungit, qui pro suâ apud multitudinem authoritate, ad exuendam hujusmodi contumaciam, populum hortetur, & explicet copias obsidentium opinione majores, si deficerent, etiam quotidiè à viribus Confœderatorum nullo negotio augeri posse. Externum subsidium frustrà expectari: Suecos in Polo-

1655. loniam moliri ; à Batavis damnoso nuper Anglorum bello implicitis, parùm profectò opis sperandum ; aut certè, si cujus spes esset, ex Religionis discrepantiâ nec ipsis decoram, nec salutarem fore. Persuaderent sibi, neutrum Imperio hostem se velle : vellet autem, quisquis Monasterienſem Principem cum tot aliis fœderatum lacesseret. Quem igitur, aut undè liberatorem adventurum ? Hominem esse malo publico facundum, quisquis contrarium suaderet. Et certè ad Principis famam spectare, obsidionem nunc, cum incæpta esset, non omittere ; & quibus non difficultatibus ex eo Civitas involveretur ? Quid si enim arctiore obsidione eam circumvallet? commeatu intentiùs, commercióque omni intercludat, machinis urbem quatiat, igne devastet, aut certè cives fatigando tempus trahat, quid non incommodi secuturum ? è contra Civi nunc ab inducendis præsidiariis non exiguam lucri spem offerri. Ideóque contumaciam ponant ac Principis indignationi, Urbísque ac patriæ excidio postulatorum haud iniquorum concessione prudenter antevertant.

In Castris alii arma.

Sed nec deerant in Castris, ipsâque aulâ, qui inter eam obsessæ Civitatis obstinationem, uti militari pollebant animo, ingenióque, arma & ultionem contende-

bant,

bant, unicum læsæ authoritatis remedium: obfirmatos plebis animos vi frangendos esse: diuturnâ illâ facilitate ac clementiâ nihil aliud effectum, quàm ut Principi obedientia, perduellibus timor ademptus sit. Tormenta atque acies aggressioni parandas, sibi quidem promptum esse Urbem adoriri, & expugnari eam posse, plurium etiam belli peritorum judicio, intrà dies omninò paucos. 1655.

Alij pacem suadent.

At verò certantibus ita plurimorum utrinque consiliis, eorum tandem hortatu & operâ, quibus majori curæ quies erat, Principem inter ac Senatum, Populúmque Monasteriensem concordia his demùm conditionibus ac tenore sancita est.

Tandem Principem inter & Urbem convenitur.

8. *Pactio Schoneflitana.*

Notum sit hisce, cum inter Celsissimum Principem ac Dominum D. Christophorum Bernardum *Episcopum Monasteriensem S. R. I. Principem, Burggravium Strombergensem, Dominum in Borculo &c. ex unâ, & Consules ac Senatum, nec non Tribunos-plebis ac Tribuum Magistros, totámq; communitatem Civitatis suæ Monasteriensis ex alterâ partibus, occasione quarundam per* Bernardum Mallingerotium *Cathedralis Ecclesiæ Decanum, (quem Celsitudo sua jam ante suspensum, irre-*

1655. gularem & excommunicatum denunciaverat) in dictâ Civitate Monasteriensi excitatarum Anno proximè lapsò M. DC. LIV. inprimis verò die septimâ Octobris turbarum, commissorumq; excessuum nonnullæ simultates ac dissensiones enatæ sint, & eapropter Celsitudo sua, quinto labentis mensis, ipsa se huc contulerit, ac peditem, equitemq; militem suum circùm Civitatem explicârit, quod hoc ipso die inter altiememoratam Celsitudinem suam & prædictæ Civitatis, è gremio Senatus, nec non Tribunorum plebis ac Tribuum Magistris, totiúsq; communitatis, plenâ cum potestate deputatos, sequens transactio, firmáq; concordia inita, concluságq; sit. Primùm Celsitudo sua ex paternâ lenitate & clementiâ, prævia deprecatione, Civibus & Incolis secularibus, eorúmque prolibus ac familiis, nec non omnibus officiatis ac militibus, & quibuscúnque, qui hucusque verbo vel facto in his excessêre, nemine prorsus excluso, cum præteritorum oblivione, generalem noxarum condonationem & amnistiam clementissimè impertitur. Econtra Consules & Senatores pro se ac universo populo Monasterienſi pollicentur ac promittunt, secundùm præstitum aliàs fidelitatis sacra-

1655.

sacramentum, in obligatâ devotione constanter se perseveraturos; quemadmodum & Celsitudo sua, dato tempore inaugurationis Civitati verbo benignè acquiescet. Secundùm *Celsitudo sua ingredietur Urbem cum omni aulico comitatu & octingentis peditum, equitum verò ducentis; è quibus quadringenti quinquaginta pedites & centum equites, velut præsidiarij ad proximum Comitium provinciale (quandò super hoc porrò tractabitur) in Civitate subsistent, iisque cohortium urbanarum altera, quæ centum viros & quinquaginta nnmerat, ita adjungetur, ut peditibus sexcentis præsidium constet, qui unâ cum equitibus centum, stipendiis, servitiis; ac beneficio lignorum, ex communi patriæ ærario sustentabuntur, ita tamen ut promutui proximo quadrimestri servitio ac lignorum sumptus Civitati denuò refundantur. Nihilo-tamen minùs dictæ cohorti urbicæ erogatum stipendium ac servitia, uti hactenùs ad futurum Comitium Senatui, ex ærario Principatûs assignabuntur ac persolventur; nec illa sine Magistratûs præscitu, consensúque extrà Civitatem aliò transferetur. Et quoniam Consules ac Senatus Centuriam peditum, multo jam*

1655. tempore, sumptu Civitatis aluerunt, eandem ad proxima Comitia (consueto posthac & Majorum more conscribenda) vicissim alent, stipendia solvent, nec eam citrà Celsitudinis sua consensum exauthorabunt. Porro miles præsidiarius & Principi & Civitati sacramentum dicet, eidémque unà cum Cive, portarum custodia, vallorúmque committetur: Civitatis etiam portæ, quoties Principi libuerit & necessitas postulârit, debitâ cum veneratione reserabuntur. Cúmque Celsitudo sua Generalem vigiliarum Præfectum Remuntium Urbici præsidij Gubernatorem designârit, placuit pariter, ut idem Remuntius ad firmandam mutuam utrinque confidentiam, verbo viri nobilis, Urbi quoque fidelitatem spondeat, neque se Civitatis privilegia aut jura violaturum, sed eandem Principis, Patriæ, & ipsorum Civium bono fideliter ac studiosè conservaturum. Quo passu Celsitudo sua etiam clementissime addixit, si Remuntium aut mori, aut mutari contingeret, non nisi cum præscitu Magistratus & pravio utrinque consensu, alteri cuipiam habili viro, urbanæ præfecturam militiæ se collaturum. Consensit item, ut stipendium Gubernatoris, ejusdémque servitia, non minùs, quam totius

1655.

totius præsidii ex communi patriæ ærario solvatur, nec Civitas extra cohortem unam, quam uti hactenùs, ita & etiamnum suis impensis alit, magis gravetur, neque præsidium etiam absque mutuo tractatu, consensuque unquam augeatur; Quidquid demùm inter Principem, Cathedrale Collegium & Civitatem superstitis controversiæ fuerit, aut inposterum erit unquam, id amicâ compositione, vel juris, nunquam verò facti viâ, seu armatâ manu terminetur; è contra Civitas quietam se ac reverentem spondet, nec ulli posthac Mallingerotij *causam cordi aut curæ amplius futuram. Denique Ministros, militem & Civem inter concordia servetur, verbis, factisve prævaricantes severè puniantur. Ut autem transactio hæc firmiùs robur habeat, tam Celsitudinis suæ propriâ manu, quam ejusdem, & Magistratûs sigillis roborata est. In arce Schonesitanâ Anno M.DC.LV. die XXV. Februarij.* Præter hæc instrumento cuipiam privato insertum fuit, ut *Vierdenhalvius* Civitatis Orator, priusquam de objectâ se calumniâ Principi purgâsset, publicis congressibus, actibus, consiliis non interesset.

9. *Princeps Urbem ingreditur.*

Ergò tabulis hunc in modum legitimè confectis eodem die, erat Jovi lacer,

1655. cer, Principem quam apparatissimo multorum Nobilium comitatu, medium inter equitum, peditúmque centurias, Urbem ingressum armati Cives, militésque, festo scloporum plausu exceperunt, suáque mox præsidia militibus designata sunt. Posterâ verò luce in diem Lunæ sequentem supplicationem indicit Princeps deferendi per aream Cathedralem corporis Dominici, quam quæsitiore tunc apparatu ac prompâ, & aulæ, Senatorúmque frequentiâ peragi volebat, acturus solenni gratiarum carmine supremo Numini grates, quod Urbem sine prælio & sanguine obsequio suo reddidisset. Dum eam cum universo Clero, Nobilibus, Ministris, Magistratu ac Juventute studiosâ solennem Præsul agit, Cives secundum ordinem armati vallum petunt, specie quidem diem armis honorandi, re autem verâ proditionem veriti. Manebat enim pristina ferè populo diffidentia & animorum à Principe abalienatio; quam factiosi quidam in Urbe Dominantes, nunc primum in Civitatem assultum suscitando, nunc veteres adversùs Eum querelas extollendo, mirùm alere videbantur. Adhæc quo erga eum animo esse possint, qui post obtentam vel vi, vel astu Civitatem, Cives omnes ad eædem, eorum fortunas ad populationem,

Solennem agit gratiarum actionem.

1655.

nem, ipsam Urbem ad excidium designârat, nisi post nonnullorum Civium fidem, tam execrandis consiliis divina bonitas intercessisset? nunc autem eo militum præsidio, specie tuendi sui ac patriæ, unicum libero Civi jugum meditari. Et quanquam per eos dies à calumniis abstinere Civem Magistratus jusserat, tamen incitatos semel animos tanquam â cursu retinere difficilè tunc erat; præsertim cum eodem tempore rescriptum *Viennâ* adferebatur, quo cum imperio mandabat Cæsar, ut quando Cives Præsuli suo fidos se fuisse, & futuros inposterùm, quæque subditorum essent, facturos supplicârant, ab omni violentiâ abstineret Princeps, nec armis ultrà molestaret Civitatem; controversiis, si quæ essent, Judicis arbitrio relictis. Mirum dictu, quantum id excitârit, stimulâritque animos eorum, qui præsentem statum ægrè intuebantur. Utque plures suam in partem traherent, factiosi quidam alteras clam subdunt Imperatoris litteras, his diebus, quasi *Lintzij* datæ essent, subdolè fictas, evulgatásque quibus jussa militum missio, & atroces unà in Principem, in Capitulares, in Ministros injuriæ continebantur: quæ variis, dum plurium calamis excipiuntur, commentationibus auctæ, omnem ferè authoritatem & benevolentiam Præsuli

Frustrà cohibente Magistratu.

Augentur à rescripto Cæsareo.

Quale etiam alterum & acerbius supponunt.

1655.

ademerunt. In eos illicò litterarum Cæsaris adulteratores inquiri seriò Princeps mandat. Verùm instituta quæstio brevi remissa est, quod in unum omnes Civem convenirent, qui facti culpam in alterum rejecit, sacris initiatum. Ex festinatâ utriusque absentiâ, an fugâ, fontes crediti sunt. Et Clericus quidem fortè nocentior, tametsi ex Ubiis hominem culpârit facti authorem, Patria *Zutphaniensem*, sed ignotum, subindè vitam *Coloniæ* monasticam amplexus pœnam, non suspicionem subterfugit.

Inquiritur in ejus Authores.

10. *Principis in Civitatem benevolentia.*

Nihilo-tamen minùs omnigenam Civitati propensionem ostendere Princeps; Tribunalium, Aulæ, Concilij, Ministrorum, nè non seriò agere videretur, familiarumque festinatum ad Urbem reditum impellere; Senatores quotidie ad prandium, ad cænam invitare; de promulgandâ Studiorum Universitate, déque extruendo in Urbe Episcopali palatio & perenni habitatione, frequenter sermocinari; loca ipsi ædificio commodissima inquirere; quin & arbitros controversiis, quæ inter Episcopos & Urbem fuerant unquam, viâ meliore componendis, secundum leges *Schoneflitanæ* transactionis nominare; clementiâ denique, benignis alloquiis, gratiisque demulcere animos Civium, ratus eo fiduciæ ac benevolen-

1655.

volentiæ argumento paulatim quieturos. At multi vanâ illâ humanitatis ſpecie haud ſe, ajebant, captum iri, dicta, factáque Principis, uti ſubdola, criminantes; eo eventu, ut quidquid is ageret, ſive beneficentiam intenderet, ſive remitteret, captis ſemel ſuſpicione animis, omnia ſecùs interpretarentur. Adhæc Metatorem Urbicum, quem colluſionis nuper reum egerant, carcer adhuc attinebat. *Vierdenhalvius* etiam (quod nemo alius, uti ajebant, peritior eſſet controverſiarum, litiúmque, ſuper quibus cum Epiſcopo tractandum erat) vix tertio ab ingreſſu in Urbem die, ulitato more ad Curiam vocabatur. Utrúmque id compoſitioni Schoneſlitanæ adverſari judicabat Princeps; Metatorem enim & innocentem eſſe, & reum etiam ſolvi vinculis oportere, ex generali amniſtia, ac præteritorum oblivione mutuò pactâ, *Vierdenhalvium* verò necdum hactenus purgâſſe ſe, minùs objecta deprecatum, adeóque à publicis tantiſper congreſſibus arcendum eſſe. Si tantus interea tamen *Vierdenhalvius* illis videretur, poſſe cum eo clàm conferri, in componendis autem controverſiis viros utrinque gratos palàm negotiari. Ne tamen ob virum unicum conceptæ, cæptæque jam concordiæ curſus ſufflaminaretur, injuriâ publicè diſſimulatâ,

Conſtans plebis alienatio.

Princeps dolet non ſervari pactionem Schoneſlitanã.

1655. mulatâ, Princeps oblatæ tunc, coram quibus purgare se *Vierdenhalvius* deberet, Commissariorum nominationi, dummodò supplex id peteret, tantisper acquievit.

11. *Mallingcrotius privatur Decanatu.*

Sub hæc institerat Procurator Fiscalis, ut cum acta litis ipsum inter & *Mallingcrotium* Decanum aliquamdiu agitatæ, exterarum pridem Academiarum judicio subjecta, per hos dies remissa erant, Episcopales Commissarij partibus diem dicerent, & eorum authoritate ad videndum acta referari, & audiendum publicari sententiam, *Mallingcrotius* evocaretur. Quod cum præmissum esset, nec per se, nec per alium ipse compareret; post contumaciæ accusationem, acta tandem referantur & prodit sententia, quâ *Mallingcrotius* Beneficiis & Decanali munere, ipso jure & facto privatus declaratur. Ab hac quidem condemnatus ad Nuncium Colonienſem provocabat, & hic quóque per nominatos isthic Commissarios inhibitionem decreverat; quod tamen ab eâ denuò Romam provocâsset Fiscalis Procurator, dies sexta Aprilis electioni Nec-Decani statuta est. Quo tempore Canonici Cathedrales frequenter congregati, Jodocum Edmundum, ex illustri *Brabeckiorum* stemmate, & arce gentilitiâ *Lethmate* oriundum, Majorem

Brabeckius eligitur Decanus.

hucúsq;

hucúsque in æde summa Thesaurarium, in suum & Collegij Decanum unanimes elegêre; virum eximias ob virtutes ac præclara merita eo honore, tam adminiculantis ipsius Principis, quam suffragantium omnium calculo dignissimum.. 1655.

Interea quóque Veredarius ex Urbe fert, Fabium Cardinalem *Chisium*, unanimi Purpuratorum Patrum consensu supremum in terris Pontificem renunciatum esse. *Chisius fit Pontifex.* Eodem tempore in Monasterio Fratrum Minorum Familiæ S. Francisci (quos Conventuales dicunt) prandebat *Christophorus Bernardus*. Solennis namq; agebatur anniversaria dedicationis templi dies, cui noxarum animæ veniam, impunitatémque à multis retrò seculis annexuit Pontificia benignitas. Cúmque eâdem occasione primores è Civibus, pro more invitati, plerique pariter adessent, nihil priùs habuit, quam nuncium tam optatum præsentes edocere, simúlque ut ea inter hilária lætarentur de feliciter electo illo, quem eodem in loco quandóque commorantem (is enim eo tempore, quo pax Westphalica cudebatur, uti Legatus *INNOCENTII* Decimi, andronis hujus tecta habitârat) futurum olim Pontificem non rari præmonstrâssent; post meritissimas Viri virtutes allecti vaticinio *Malachiæ* Hiberniæ Primatis, *Custodem Mon-*

Communis ex eo & privata Principis lætitia.

1655. *Montium* (quos insigne *Chisij* gentilitium referebat) annos quingentos duodecim antè, Papam non sine miraculo prædicentis. Quodque pro eventu prospero preces ad DEUM sollicitus fudisset ipse, fundique imperâsset, ita voti jam compos supplicatione solenni, nec sine festo sclopporum ac tormentorum sono, lætisque per aream Cathedralem ignibus divinæ providentiæ grates persolvit.

12. *Christophorus Bern. febricitat.* Quibus peractis relicto Monasterio *Wolbecam* abit; sed vix eo progressus, declinante in vesperum die, inopinâ febri corripitur. Undè statim, quod ex Astrologis quispiam fatalem Præsuli diem eo anno divinâsset, Monasterienſem illum fore jam tum febrientem; conficiebant ij, qui hunc rerum statum ægrè intuentes, votis suis astra attemperabant. At conjectatio illos sua fallos habuit; brevi enim (operâ cumprimis *Bernardi Rottendorffij*, qui valetudinis moderator erat) recuperata sanitas est, & Comitia secundum pactionem *Schoneflitanam* ad diem Junij vigesimum septimum *Wolbecam* indicta. Novam indè criminandi occasionem arripuit vulgus, præteritâ nimirùm Metropoli, contra morem plures jam annos observatum aliò conscribi, transferrique Comitia: verùm peritiores abundè gnari in solius esse Principis arbitrio, ubinam conventum

Reconvalescēs indicit Wolbecam Comitia.

ventum hunc agi velit, prudentiùs acquiescebant. 1655.

Quod autem inter cætera cum Principe *Schonefliti* transactum esset, ut in proximis Ordinum Comitiis, super abducendo ex Urbe præsidio tractaretur; nec obscurè Senatores præviderent, tam Cathedralis Collegij Nobilitatis, quam reliquarum inprimis Civitatum ab omnis eductione præsidij aversionem, non minus temporis, quam urbis suæ lucrum arbitrati tempestiviùs prævenire, Principem orant, Monasterienſibus liceat hac super re citrâ Comitiorum diem, cum eo antè & privatim congredi; ac mox annuentem flagitant, ut militem suum educi, nec alio quam urbico Civitatem uti patiatur. Id scilicet unum deesse contestantur ad quietem vulgi: gliscere idcircò quotidiè Civium querelas & Senatui objicere Principis fidem, ex pacto *Schonefliano* ad id obligatam. Confidant unâ militum profectione concessâ, non Urbis quietem solùm, sed etiam Civium omnium devotionem auctum iri. *Christophorus Bernardus* tametsi sub initium à precibus Senatorum haud alienus erat; quod tamen per eos dies ex audaculis quidam, nisi militem suum tempestivè Princeps educeret, armatam spargerentur expulsionem comminati, cunctatior exinde

Monasterienses tractant de educendo milite.

1655. exinde factus dimissionem aliquantisper differebat, experturus si quid inconsulto Senatu populus contra militem per vim auderet. Postquam verò ex vano istiusmodi minas jactari compertum habuit, ut siniſtram omnem Civibus eximeret suspicionem, isto numerosiore præsidio nihil se libertati Civitatis adversùm moliri, nonnullas primùm copias educi faciat. Tandem etiam ad iteratas supplicis Magistratûs preces, & *Francisci Guilielmi Osnabrugensium* Antistitis, ipsiusque Collegij Cathedralis Monasterienſis intercessionem totum migrare jubet. Monasterienses ingentem id gratiam interpretati, per certos è Magistratu ac domo Tribunitiâ Deputatos, *immensas Principi gratias agunt; ac sperare se omnem nunc seu differentiam seu diffidentiam cum præsidio emissam, suámq; Urbem profitentur æternùm Principi obligatam, paratámq; quovis ingruente periculo, præsidiarios recipere; integras immò legiones, suam & patriæ totius ad defensionem, si tempus & necessitas ita postulárint, nunquam recusaturos.* Hanc devotionem præfati, causam *Vierdenhalvij* proponunt. *Meminisse se ad cætera etiam Schonesliti pactum, ac privato cuidam scripto insertum esse,* Vierdenhalvium *non antè, quàm de objectis criminibus seſe purgâsset ad publicos*

Partem primùm.

Tandem etiam omnem educit.

Monasterienses gratias agunt, & ampla offerunt.

Deinde petunt Vierdenhalvium absolvi.

blicos congressus admitti debere. Proximum nunc instare tam Ordinibus destinatum Comitij, quam Urbi dissensionibus amicè componendis diem. In hu uti operâ sui Oratoris Civitas carere non posset, ita iisdem intereße clam eo minùs deceret. Orare itaq; Principem, ab ingesta suspicionis notâ, virum prorsus innocentem, pro aquitate suâ absolvat, aut istius qualucunq; injuriæ oblitus, pro innatâ generositate & clementiâ haud prohibeat publicis abstinere. Ex tempore respondet Princeps, quò fortior sit innocentiæ præsumptio, vel eò quóque facilliorem fore purgandi viam. Privilegiis autem Patriæ contineri, si quæ Principem inter & Ordines, seu Eorum membra dissensio enascatur, ad eam planiùs terminandam, ex ipsis Ordinibus viros utrinque nominari & eligi oportere. Optet nunc ex his, quoscunq; malit *Vierdenhalvius*, hujus qualis, qualis controversiæ Arbitros. Verùm ille oblatam hanc conditionem declinans Principem sollicitat, ad alterutrum ex supremis, Ecclesiasticum scilicet vel Civile Aulicum Tribunal, causam hanc deferri, ibidémque decidi permittat. Sed uterque Judex, is quod facer esset, hic quod actiones eas à foro suo alienas obtenderet, â tam invidiosâ ferendi judicij necessitate

1655.

Princeps Arbitrorum electionem offert.

Sed hanc Vierdenhalvius repudiat.

1655. ceſſitate totis ſe viribus ſubtraxit. At Præſul demiratus favores privilegiorum repudiari, tandem igitur ſe veluti Principem, cum reo tanquam ſubdito, paratum agere conteſtatur. Sed quod legatione clam adornatâ, *Vierdenhalvius* ſub hæc Viennam mitteretur, omnis tunc quidem actio intermiſſa eſt.

In Comitiis acciſiarum contributio decernitur. In Comitiis interim *Wolbecanis*, quæ per id tempus fervebant, nova rurſus emergebat difficultas. Etſi enim concorditer placuerat Ordinibus, conventam argenti ſummam, patriæ neceſſitati quot menſibus contribuere, in modo tamen toti diſcrepabant. Siquidem Civitates malebant uſitatum è Parochiis tributum; ſed quod plus nimiò Colonis id grave cauſarentur, in aliam tributi exactionem convenêre ſacer æquè ac profanus Nobilium Ordo. Nimirùm, ut de vino, de cereviſiâ, quoties veniret, in Civitatibus æquè ac pagis, certa pecuniæ portio (*acciſias* vocant) in ærarium Provinciale inferretur. Sic enim poſſe, ajebant, exhauſtæ bellis patriæ utiliter conſuli, ne ſoli ferè, prout hactenùs, conſuetâ tributendi moleſtiâ ruſtici premerentur. At Civitates conjunctis animis omnes reluctabantur, obtendentes id cum juribus ſuis pugnare, & iſto exactionis genere adimi unicum ſui alimentum, quo ſolo

Reclamant Civitates.

ſolvi

solvi possent contracta in ipso belli æstu immensa debita. Ad hæc de potulentis tot hodie nummos dari Magistratibus locorum, quid si nunc etiam totidem patriæ, unde eam pecuniæ vim, auctis toties oneribus caupo corraderet? Sed eandem in pagis ac municipiis difficultatem causabantur Ordines cæteri, nec eum ipsis aut Principi animum esse, suis Civitates juribus exuere; cùm quæ peteretur summa, consuetis apud eas *accisiis* minimè decederet; nec tam ex Civium & incolarum, quam exterorum, ac peregrinantium marsupiis supplenda esset. Eas inter altercationes, ut in imperio mos habet, potiori nimirum suffragio, finem Ordines Comitiis imposuerunt. Monasterienſibus autem data optio, si tributum hoc præsente ipsi ære commutare mallent. Sed ij, sicut & cæteræ Civitates, gravamen questi, Principem ac reliquos Ordines super novâ illâ tributi ratione Spiram in jus vocavêre. 1655.

His diebus, quam multus jam antè Civis clam urserat, decreta est Legatio ad Imperatorem; & solùm in urbe deliberabatur, quis tandem aptior mitti posset. Plurimi in Wilbrandum *Staalium* Jurisconsultum, tunc Senatorem, collimabant, quod is annos aliquot *Viennæ* commoratus haud ignarus istius aulæ crederetur. Sed vir ille Principis offensionem 14. *Monasterienses Staalio recusante.*

1655. non abs re veritus, odiosam hanc & onerosam functionem prudenter excusavit. Quódque eodem anno à *Liechtensteinio* Ordinis Teutonici per Westphaliam Provinciali Commendatore Syndicus & ab Archiduce *Leopoldo Guilielmo*, veluti supremo Ejusdem Ordinis Magistro, Consiliarius adscitus esset; Monasterienſibus paulatim negotiis se subduxit. At verò, quam *Staalius* recusârat provinciam, facilior negotio suscepit *Vierdenhalvius*. Id namque viro honorificum, ut qui in Diœcesi publicis interesse prohibebatur, publico jam Civitatis nomine ad ipsum Cæsarem ablegaretur, manifesto illibati apud suos honoris argumento. Nec aptior quisquam, quod jurium Civitatis nemo peritior, & ex contractâ apud Principem offensâ fidelior haberetur. In mandatis dant, oret Imperatorem, ne præsidij, armorúmque & alia iis annexa Civitatis jura, contra jus, fasque à Principe lædi patiatur, sed uti à Cæsaribus olim data, confirmatáque, ita nunc interventu suo sarta tecta conservet; aut certè iis patronos nominet ex Ordinibus Imperij, qui res illorum propiùs inspiciant, & ex voto curent. Nec enim recrudescentibus toties Principem inter & Civitatem malis, præsentiorem esse medendi viam. Ita instructus admisso triginta armatorum præsidio, qui per Diœce-

Ablegant Vierdenhalvium Viennam.

Cum hac instructione.

Diœceſin ſalvum traducant, Viennam abit. 1655.

Eodem Princeps Furſtenbergium præmittit.

Christophorus Bernardus utprimum comperta ea habuit, *Furſtenbergio* mandat, ut & ipſe Viennam properet, uſúque Veredorum præveniens *Vierdenhalvij* conatus pro ſuâ prudentiâ ſolertiâque apud Auguſtum fruſtretur. Agebat is hoc tempore Coloniæ Ubiorum; & tractatibus *Brandenburgicum* inter ac *Neoburgicum*, ſuper *Juliacenſi* & *Clivenſi* ſucceſſione, Cæſaris juſſu innovatis, præerat Monaſterienſis Principis loco.

Eâ Monaſteriẽſium novitate denuò offenſum.

At verò pupugit inprimis Præſulis animum, nihil impetratâ militum miſſione Civitatem quieviſſe; ſed poſthabitis tot antè conteſtationibus, nunc etiam illo, per ſpeciem ſalvi-conductûs, armatorum comitatu, jus territorij violâſſe: intenditq; averſionem Monaſterienſium diffidentia, quod cum plena animorum utriuſq; conciliatio facilis & in propinquo eſſet, quaſi fugientes benevolentiam ſuam, aliud forum adire ſatiùs haberent; venantium more, qui ſœpe feram, dum quaſi diſtantem ſectantur, vicinam prætereunt.

Et magis novâ militiæ Præfecti creatione.

Accedebat & aliud irritamentum ex novo juris præſidij & armorum uſu. Per eos namque dies Principe invito, nec expectatâ *Vierdenhalvij* negotiatione, *Remmtio* hactenus Urbis gubernatori Lebuinum

num Fridericum *Wittenbergium* Protri bunum ſufficiunt militiæ ſuæ Præfectum ipſumque urbanum militem numero au gent, ac novo obligant ſacramento. Quo eò moleſtiùs Princeps tulit, quò evidentiu concordiæ Schoneſitanæ adverſari, ipſi imò *Regalibus ac ſuperioritatis juri* de rogare obtendebat; à quo ſcilicet ju præſidij & armorum in hanc *ſuam* muni cipalem & ſui Territorij Civitatem, uti ſpe cies à genere ſuo dependeret.

Ac militum authoratione.

15. *Arma Suecica.*

Sub hæc Suecus jam jam caſtra motu rus trepidas circùm provincias, ſuſpenſaſq habebat; in quam videlicet partem ea ar morum tempeſtas incumberet. Et quan quam iſtiùs armaturæ rumor multos terri tabat, præcipuè tamen *Neoburgicum* Du cem, quod clam admonitus eſſet, *Carolum Guſtavum* è Comitibus *Palatino-Bipon tinis* creatum nuper Sueciæ Regem, ea expeditione in Juliam, annexáſque ditio nes arma converſurum. ac vindicaturum ſuccedendi jus, quod in eas ipſe terras, ex conjugio Magdalenæ Cliviæ cum Joanne Bipontino, par cæteris obtendebat. Quare iteratis aliquoties litteris, nunciiſque Mo naſterienſem Principem, utpote confœ deratum ſollicitat, ut habitâ finium ſuo rum ratione, ſi quid à Sueco periculi for ſan immineret, quam celerrimè faceret certiorem, cum auxiliaribus ſeſe copiis, alacrém-

Anguntur Neoburgicum.

1655.

alacrémque ocyùs adfuturum. Igitur *Christophorus Bernardus* contractis ſuo è præſidio undique copiis, utque in ſubitum belli caſum promptas evocare poſſet, ita opportunè diſpoſitis, *Vechtam* fortalitium & confinia Suecis loca præſens luſtrat; nihil illo, quem *Koningsmarckius* Comes Suecorum ductor recenſuerat, armatorum numero territus; certus præterea non datutum ſe iis, ſi fortè id poſcerent, ſua per Oppida aut terras liberum iter. Sed nec illud poſtulatum, nec quempiam â Suecis miſſum, qui contra quam ſpargebant, venturo exercitui tranſitum, annonámq; procuraret, eventus mox docuit, cum Poloniam verſùs movere nunciarentur.

Excitant Monaſteriēſem.

Quibus in Poloniam converſis.

Princeps igitur intellecto Suecorum diſceſſu *Coesfeldiam* redit, ubi meditatiùs conſiderat præſentem Diœceſis ſuæ ſtatum. Non ſtare Monaſterienſem populum placitis compoſitionis *Schoneſtitanæ*; violari ſublimia Territorij ſui jura: *Vierdenhalvium* purgare ſe nequicquam dignatum; & nihilominùs ablegari nunc publico etiam nomine *Viennam*; lectum invito ſe *Wittenbergium* Urbis ſuæ Gubernatorem ac militiæ Præfectum hunc & præſidium & urbanam Juventutem militari exercitio poſſidere; & magis indiès, magiſque Civem erga ſe exacerbari, imò non tantùm non moliri adverſa quævis, ut cum ſine de-

Tot incitamentis Monaſteriēſium offenſus Princeps.

Arcis extructionem alibi meditatur.

1655. ſpectu, ſine periculo vix liceat iſthic præſens eſſe, ſuæ, ſuorúmque ſucceſſorum ſecuritati proſpicere, & tutam alibi, commodámque ſedem eligere ac figere compellatur. *Rheinam* invitabat beneficium præterlabentis Amiſiæ; & ipſa Civitas ſub aere ſaluberrimo in meditullio Principatûs ſita, exindè opportuna ſubditis omnibus, & iis præcipuè, quos aulam ſubinde ſequi oporteret; vicinas illi eſſe Satrapias *Wolbecanam* & *Horſtmarienſem*, è quibus quidquid æconomiæ ſollicitudo exigeret, & commodè & abundè poſſet ſuppeditari. Sed quod petroſa utrinque tellus, nec Civitatis munimen, nec alterius fortalitij extructionem, aut ſanè non ſine inexplicabili ſumptu permitteret, haud meruit audiri. *Coesfeldiam* hactenus potiſſimum habitaverat. Civitas erat ſitu opportuna, muniri facilis, finibus Gelriæ ac Batavorum vicinior, diei iter Monaſterio diſſita. Ex eâ univerſam patriam Haſſi fecerant tot annos vectigalem. Hanc primam omnium ex hoſtili manu recuperaverat *Chriſtophorus Bernardus*, & plenâ cum poteſtate poſſidebat.

Proponitur Rheina.

Sed Coesfeldia eligitur.

Quandò & quâ formâ arx ibi ædificari cæpta.

Eam igitur palatio & arci extruendæ deſtinavit. Ipsâ Divi Auguſtini feſtâ luce fundamenta jacta ſunt. Poſt ſacrum in ædę S. Lamberti peractum ſexcenti milites cum ligonibus, vehiculis, aliiſque inſtrumentis

1655.

mentis læti ad operas dimissi. Supra Civitatem, Aquilonem inter & Orientem delineârat Bernardus *Spodæus* Bellicus Machinator, tetragoni formâ, seu quadrangulari, propugnaculis in tumulo aggestâ terrâ eminente (Cavalieros Itali vocant) ad singula latera quam amplissimè projectis.

Haud tamen omnibus probatum fuit, tum quod moles nimis vasta, nec multorum quidem annorum spatio posset perfici, imò si perfecta etiam foret, impares essent Principatûs vires alendæ militiæ, quam præsidij necessitas postularet; tum quod eo ad montis pedem loco extrueretur, ubi libratis è clivo tormentis vel facilè everti, vel ad deditionem cogi ultro posset. Verùm jam antè accuratam satis sumptuum & præsidij rationem injisse se Princeps ajebat, & justâ juxta Civitatem planitie sapienter fabricari arcem affirmabant periti Machinatores, quò adlabentis *Berculæ*, ejúsque lacunarum beneficio, & Castri & Civitatis securitati rectiùs consuli daretur. A periculo vicini montis satis arci præcautum: nec enim hosti, obsidionem quandóque ausuro vires unquam defore, ut similem disponendis tormentis tumulum, ac multò propinquiorem erigere præpediatur. At verò *Coesfeldienses* lædi violenter Civitatis jura; eripi citra necessitatem agros; hortis, pascuis, *Querelis Coesfeldiensium*

viisque publicis iniquè Civem exui, lamentis etiam querebantur; cumque spe avocandi ab eo animo Principis nihilominùs frustrarentur, ipsos tandem Machinatores diris omnibus devovêre. Sed eâ quæstione ad Academias relatâ, expensâq; à Theologis ac Jureconsultis, responsum denique est: illam propugnaculi, arcisque extructionem, quod Præsul agrorum pretia solvere paratus, præter subditorum salutem, patriæque defensionem nihil propositum haberet in animo, nec juri, nec dicto patriæ sacramento repugnare, ut non oporteret propterea audiri subjectorum querimonias, quorum rationes non ad publica, sed propria solùm commoda referri satis constaret. Neque absque exemplo fieri, quod extruendis novis munitionibus quaslescúnque agri; domusque insumantur. Aspicerent ad vicinos Germaniæ Principes, Moguntinum *Moguntiæ*, Colonienſem *Bonnæ*, Brandenburgicum *Calcariæ*, Neoburgicum *Dusseldorpii*, & ipsum, ut extrema prorsus sileantur, *Monasterium*, Urbem, ubi Cives, suis quantumvis inviti hortis, Ludgerianæ munitioni extendendæ peropportunis exuti; ipsóque Cathedrali Collegio (cujus jurisdictioni pars magna subtrahebatur) adversante, postremam eo anno operi manum applicârant. Quibus si posthabitis concivium, quin & ipsorum

Opponit Princeps responsa Academiarum.

Et exẽpla Principum vicinorum.

Ipsiúsq; Civitatis Monasteriẽsis.

summæ

1655.

ſummæ ædis Canonicorum querelis impunè id licuiſſet, quis Principem intuitu ſubditorum, diceret prohiberi? Exinde magnâ ſexcentarum, pluriumque continuò operarum feſtinatione pariter ac ſucceſſu cæptæ jam arci perficiendæ inſudatum eſt. Vallo dein ac foſsâ duplici cincta. Aqua delabentis *Berculæ* in utrámque eo artificio inducta, ut aliorſum derivari non poſſet. Ipſæ rurſus foſſæ locis opportuniſſimis per triangula collateralia redditæ tutiores. Vidit hos Principis conceptus ac probavit Henricus *Ruſius* munitionum optimè ſtruendarum ſcriptor, & auctor exquiſitus, qui & nuper celebrem in *Candia*, Bello veneto, famam nactus, ob artis peritiam apud Regem *Daniæ* & Urbem *Amſtelodamum* magno loco habitus eſt. Temporis verò ſucceſſu moles hæc quotidiê perfectior excrevit, portis, palatio, armamentariis, ædificiis ac Tuguriis militaribus, variiſque machinarum curulium, & pyrobolorum formandorum officinis exornata. Nomen illi inditum ſolenni pompâ, à S. Ludgerò Proto-Epiſcopo Monaſterienſi, Ludgeriburgum. Caſtrum ipſum foſſis ac munimentis oppidi poſtea conjunctum & adnitente inprimis operâ Petri *Pictorij* natione Dani, ingenioſi Machinatoris ipſa Civitatis munitio portis variis obſtructis, ſtructiſque novis ex toto innovata.

Ruſius opus probat.

Nominatum eſt Ludgeriburgum.

1655. 16. *Christophorus Bern. celebrat Synodũ Generalem.*

Etsi Princeps fundandæ sic arci intentus erat, haud tamen ideo deposuit sacrorum curam, sed ad quartum Idus Octobris indictam toti Clero Synodum Generalem solenniſſimo ritu, & exquisito apparatu præsens ipse Monasterij celebravit, multáque in eâ statuit salubriter ordinata divino honori promovendo.

Wiedenbruckius ablegatur Francofurtum.

Missus interea *Francofurtum* ad decretam Deputationis diem *Wiedenbruckius*, dum sedulò curat, quæ Imperij sunt, pari contentione *Furstenbergius* & *Vierdenhalvius* Viennæ agunt, hic Civitatis, ille Principis sui causam. Tandem Imperator *Moguntinum* & *Trevirensem* ArchiEpiscopos nominat componendæ rei arbitros; sin minùs, evocatis utrinque partibus jura cujúsque examinent, causámque pleniùs instructam submittant Cæsareæ decisioni.

Cæsar in causâ Monasteriensi Commissarios nominat.

Monasterienses neutrum quidem palam suspectum allegare ausi, certi tamen, quâ authoritate is *Moguntiam*, hic *Treviros* possideret, supplices institerunt, Episcopus *Osnæbrugensis* & Dux *Neoburgicus* ut designatis jungerentur. Precibus eorum annuit Imperator, & utrúmque pari cum potestate prioribus adjunxit. Cognitâ jam Cæsaris voluntate Ablegatus uterq; reditum parat. Et *Furstenbergius* quidem, quod ab Alexandro septimo summo

Furstenbergius vadit Romam.

Pon-

1655.

Pontifice invitatus Romam festinaret, nullo negotio redux, expeditione Principi relatâ, & assumptis Paderbornâ sacris D. Liborij Lypsanis, Pontifici calculo laboranti desideratis, Italicum iter ob instantem hyemem maturavit.

Redeunte Vierdenhalvio intercluduntur viæ.

At verò cum *Vierdenhalvius* corpore juxtà ac senio gravis in viâ tardior, avidos gestæ rei civium animos diu sustentaret, scripsit ad Senatum, Populúmq; Morasterienſem Princeps; *quod contra pactam Schonefliti conditionem, non sine sui despectu, publicis se ingesserit Vierdenhalvius; litique à Procuratore Fisci intentatæ ac Jurisdictioni suæ se subduxerit; imò talem præhensans legationem, in abitu territorium violârit; non posse se illi, priusquam jure se purgârit, tutum ad Urbem reditum permittere, sed hominem libero per terras suas commeatu interdici.* Exindè viæ & milite, & rustico totâ patriâ intercluduntur.

Subsistit aliquâdiu Susati.

Susatum jam tum pervenerat; isthic Magistratus ac plebs subsistere viro persuadent, donec liberiorem permitteret transitum propior spes securitatis. Nec enim interim passuros se unquam spondent, ut in Principis potestatem dilabatur; aut profectò, si fortè intercipi contingeret, concluſis Urbe Consiliariis ac ministris paria relaturos.

Inter

1655.

In Comitiis Coesfeldiæ cõtinuata Ordinum dissensio.

Inter eam spem & metum indicta decimo sexto Calendas Decembris Comitia, Coesfeldiæ agebantur. In his tametsi de summâ, patriæ bono contribuendâ, unanimi Ordinum consensu conventum est, iterum tamen modus collectandi non idem omnibus placuit. Enimverò Cathedrale Collegium & Equestris Ordo eam tributi rationem, quam ipsi concluserant proximis Wolbecæ Comitiis continuari voluerunt; rejiciebant id Civitates; pari utrinq; pertinaciâ. Illis satis erat assentientis Principis voluntas. Has stimulabat & lis in persimili ferè causâ ante annos propè quinquaginta, contra Principem & Ordines pro se decisa, ac propinqua spes in Dicasterio Spirensi nunc idem denuò obtinendi. Et sanè patuit, quam acre telum tributa sint, quùm graviora populis aliundè commotis, nec solita imperantur. Etenim Civitatum querelæ, quod illâ sui, ceu tertij Ordinis, ac suffragij præteritione, patriæ violari privilegia clamarent, de Principis & Nobilium severitate, non ultra execrationem átque odium fuêre.

Querelæ Civitatum.

Ex novâ villarũ exemptione auctiores.

Et multum augebantur ex novâ villarum immunitate, quam Nobilibus indulserat Princeps. Ita se res habebat. Ordinaria patriæ contributio, quam Parœcialem vocant (Kirspelschatzung) continet singula ad cæteros incolas, prædia, seu

seu villas Colonorum tributis obnoxias. 1655.
Ex iis unam, Nobilibus ad Comitia evocari solitis, seligere permissum, sibique applicare ejus portionem, quæ cæteroqui cum reliquis ad ærarium Provinciæ conferri solebat. In non exiguam annuè summam excrescebat ista exemptio. Et quia magnam pecuniæ vim, communi patriæ necessitati, in Comitiis identidem exposcebat Princeps, decrescens à toto summa cæteris accrescebat, insueto gravamine supplendâ. Tantum onus cum omni æquitate ac justitiâ pugnare clamabant Civitatum Magistratus, imò quotquot erant subditi totâ patriâ vectigales. Sub initium prætextui habebatur, quod Nobilitatem, bono patriæ in Comitiis præsentem, proprio sumptu vivere, & idcirco tantillùm, alicujus compensationis loco, haud invideri oporteret. Quod autem plenâ agrorum, Castris suis annexorum, immunitate Nobiles fruerentur; nec istas solùm, quæ præ reliquis plurimùm Patriæ contribuebant, sed tot etiam villas singuli eximerent, quot ipsi Castra possiderent; imò ad plures quóque extra Nobilitatem exemptio ista extenderetur, visum est multis, minùs æquè probari posse. Princeps verò, quod inter ea cum Monasterienſibus dissidia Nobiles sibi cuperet addictos, saltem nollet contrarios, præ-

sentem

1655. sentem eorum utilitatem facilè prætulit Civitatum querelis. Nec adduci tunc unquam potuit, quidquid supplices docerent Magistratus, ut exemptionem eam revocaret.

Vierdenhalvius Susati arresto detinetur.

Jam verò vix dum finito Comitiorum die, ubi *Susato* nunciatur subjectus arresto *Vierdenhalvius* certâ domo custodiri, mirùm quantum Civitas eo nuncio sit consternata. Nec ultrà moras nexura, ocyus binos ad *Susatensem* Senatum, totidem *Clivos* ablegat, curaturos, ut solutus arresto *Vierdenhalvius* libertati restituatur.

18. *Principes Commissarii partes Coloniã vocant.*

Haud tamen ideo reconciliationis curam omittebat *Christophorus Bernardus*, adnitentibus memoratorum Germaniæ Principum Legatis, qui componendis hisce controversiis ab Imperatore præfecti, Principem ac Civitatem Monasterienſem ad Calendas Januarias Coloniam evocârant. Ablegatus quidem isthuc *Wiedenbruckius* sed quia Monasterienses ob instantem novi Senatûs electionem, neminem constanter ablegari posse causati, tantisper diei prorogationem exoraverant, brevi post reversus est.

Wiedenbruckius eò ablegatur, sed brevi redit.

Diffidentia Monasteriẽsium.

Veruntamen nihil ideo diffidentia remittebat, cum enim per eos dies copias suas contraheret Princeps, quibus *Leodienſium* necessitati contra *Condæanos* succur-

1655.

succurreretur, transeuntes Urbem militum turmæ, è tympanorum strepitu procul auditæ, novi insultûs suspicionem ingesserunt; quódque antè Magistratûs instaurationem adversa iterùm Princeps tentaturus per Civitatem spargeretur, armati noctu valla petunt. Sed falsos docuit dies mox insecuta. Etenim *Condæadæus* Princeps cum robore sui & Hispanici exercitûs, in Leodiensium ditione hyberna reposcebat; quæ res cum patriæ isti vehementer obsutura esset, *Maximilianum Henricum* Octovirum Colonienſem, Leodiensium Antistitem movit, ut præter delectus suis in provinciis habitos à confœderatis circùm Principibus propugnandæ *Leodiensium* securitati subsidia postularet. Atq; ideo Monasterienſis Præsul auxiliares, uti rogatus erat, Duce *Cratzio* armatos mille quinquagentos submisit.

Condæadæni apud Leodiēses hyberna póscunt.

Contræ eos Christophor. Bern. suppetiæ mittit.

Ineunte jam anno supra millesimum sexcentesimum quinquagesimo sexto de novâ Senatûs electione continuus in Urbe sermo erat. Totius anni decursu jactitarant passim audaculi plurium exauthorationem. Nec vanam prorsus fuisse comminationem eventus probavit Statutâ die decem abdicati, decem adlecti. Vix habitum personarum, meritorúmq; discrimen, multos in admirationem trá-

Electio Magistratûs Monasteriesis.

1656. xit. Sanè Bernardum *Rottendorffium*, quod vir Magnatibus, ob artis Medicæ peritiam, ubivis locorum præclarus, non rarò vicina Civitati damna avertisset, inter cæteros præteritum plurimi stupuerunt. Et licet pleriqúe neglectâ curarum, laborúmqne ratione, quos & ipsi & Majores eorum pro salute Civitatis exantlâssent, tam immeritæ remotionis putarentur offensam præselaturi, palam tamen conteſtati sunt (& cumprimis *Hoffingerus* Ex-Consul ac vir gravis) sibi protectò inter hujusmodi Cives constitutis, quorum plerólque aut æmulatione discordes, aut de suâ erga Urbem fide dubios, aut sibi præter meritum infensos habuissent, jucundius nihil accidere potuisse; præsertim cum non eo, quo olim, Monasterium loco, sed posthabitâ Consulum ac Senatorum authoritate penes plebem rerum publicarum summam esse abundè constaret. Et verò etiam Principi displicuit, quod *Vierdenhalvium*, ut interpretabatur, contra pacti *Schoneflitani* leges, Ordini Senatorio adscripsissent, vel ex eo, quia sibi invisus, Consulem, ut creditum fuit, â plebe designatum. At verò Cives hujusmodi pacta inficiati electionem mirè comprobantes (postquam nonis Februarij, anniversarium tentatæ Urbis diem, conjunctis

Anniversaria tentatæ Urbis dies.

úsque

úsque animis festum peregerant, ut clausis Mercatores Officinis, pistores, Lanij, tabernariique toto eo die ab opere cessârint) quâ tandem viâ *Vierdenhalvius* in Urbem salvus reduci posset, sollicitè consultabant. 1656.

Interea Cæsar motus Civitatis querelâ, quod susceptæ ad Imperatorem, legationis causâ, tam adversa pateretur *Vierdenhalvius*, præceperat, ne tuto itinere reverti in Urbem prohiberetur. Cui mandato tametsi nullam Princeps parendi necessitatem agnoscebat, quod subticitâ vellet rei veritate impetratum esse; id tamen tribuit honori Cæsaris, ut intercluſas undique vias se moto milite & rustico ocyùs jusserit aperiri. Et fortè per eos dies *Clivensis* Curia, ac Magistratus *Susatensis*, acceptâ Monasterienſium cautione, solutum arresto *Vierdenhalvium* pronunciârat. Cumque multus miles è Diœcesi *Leodium* versus abiisset, enimverò eâ utendum opportunitate rati, emissis sub noctem ex Urbe sclopetariorum circiter ducentis, Cives magno numero equites, partim honoris, partim securitatis causâ obvij, decimo sexto Kalend. Martij, inter insolitam ventorum ac frigoris asperitatem, continuósque nivium imbres, salvum in Civitatem reduxerunt. Tam felicem eventum sibi gratulantes nonnulli

19. *Arresto solvitur Vierdenhalvius.*

Et Monasterium reducitur.

1656. jactabant & alia pari exitu propediem succeſſura, ut nimirum, quod in ore ac votis plurimorum erat, perſimili *Mallingerotius* triumpho reſtitueretur.

Rumor de reditu Mallingerotij.

Hic enim, ubi moleſto *accisiarum* tributo Civitates fide pariter dubiâ urgerentur, gliſcente omnium odio, auctâ præſertim ex fauſtâ *Vierdenhalvij* reductione, plebis audaciâ, firmatus occultis plurium conſiliis, etiam per litteras reditûs ſui opinionem auxit. Intenditque eam *Brabeckij* Decani, qui in paternâ Arce privata aliquantiſper curabat, abſentia; adeò, ut Princeps ac Cathedrale Collegium deſperatione omnis apud Romanos Judices victoriæ, non modo perhonorificas quaſque conditiones atque aliquot Imperialium millia obtuliſſe, verùm etiam expenſarum ſententiâ damnati, juſſiſque *Mallingerotium* priſtino reddere honori ſpargerentur. Ex quo autem natus ſit hic rumor, paucis enarrabo.

Undè ortus.

Agebat eo tempore, ut dixiſſe me ante memini, Legatum Coloniæ *Wiedenbruckius*. Hunc per lectos ê Clero viros *Mallingerotius* rogaverat componendæ rei patronum, utque compoſitis ad Principem litteris cauſæ faveret; ſibi enim ulterioris pertæſo altercationis fixum nunc, ſtatutúmque ſtabilem cum Principe ac Collegis ſuis concordiam tandem inire.

inire. Et *Wiedenbruckius* ratus seriò id eum velle, sponsâ operâ, diversas misit super hoc argumento litteras, quibus explicatâ *Mallingcrotij* voluntate placitum Principis ac Cathedralis Collegij reposcebat. Quodque, ob prorogatum Commissionis diem Coloniâ redux, *Coesfeldiæ* ac *Monasterij* idem urgere videretur, quanquam mutatis postmodum conditionibus ac mente suâ, *Mallingcrotius* componendæ litis viam præciderit, ij tamen conatus mendacis famæ occasio fuerunt. 1656.

Tandem sub Martium mensem aderant Coloniæ Principum Legati, qui controversiis Monasterienſibus Cæsaris authoritate præfecti, alterâ jam vice Principem isthuc ac Civitatem ad id tempus evocârant. Subdelegaverat *Moguntinus* Philippum Ottonem ab *Herzelles*, qui Octoviro ab arcanis consiliis erat: *Trevirensis* Lotharium Baronem de *Metternich* ex *Winnenberg*, Provincialem aulæ Magistrum; & Joannem *Anethanum* Cancellarium, virum à multarum rerum peritiâ & agendorum dexteritate celebrem; qui & hinc bonorum consiliorum pater dictus fuit. *Osnabrugensis Haesium* Seniorem, Urbis Colonienſis inquilinum & Consiliarium suum; *Neoburgico Palatinus* Generalem Campi Marescallum Ba- 20. *Conventus Colonienſis.*

1656. ronem de *Reuſchenberg*, & Pro-Cancellarium *Schnell* JurisConſultum. Principis *Monaſterienſis* Legati fuêre Matthias Korſt condictus *Schmiſing* Major Theſaurarius (evecti non ita pridem ad Decanatum Brabeckij ex Principis gratiâ in eâ dignitate & Conſiliariatu Succeſſor) & idem qui nuper Bernardus *Wiedenbruckius*; *Civitas* verò è ſuis negotium commiſerat Nicolao *Drachtero* (qui paulo ante Conſiliarius à Principe exauthoratus, inter Senatores proximâ ſtatim electione adſcitus, & ſecundùm *Vierdenhalvium* exemplo novo creatus Monaſterienſium Orator) *Kemnero*, *Keppelio* & *Buckio*, omnibus Jurium Licentiâ donatis, tum & Helmichio *Meyer* ac Henrico *Zurmöllen* Tribunis-plebis. Cum his in octavam úſque hebdomadem concordia tentata eſt, nunc propoſitis, nunc remiſſis conditionibus. Ubi verò proficere nihil, ſed primâ ſuper jure præſidij & armorum quæſtione, â quâ exorſi erant, irretiri ſe magis indies notarent Cæſaris ſubdelegati; deſperatâ amicæ compoſitionis ſpe unanimes decreverunt, cauſæ totius ſatis inſtructæ, ac rerum iſthic geſtarum ſeriem cum animi ſententiâ ſubmittere Cæſaris deciſioni. Atque ita impenſis tot fruſtra ſumptibus, laboribúſque infectâ utrinque re Coloniam reliquerunt.

Diſſolvitur infectâ re.

Iſthic

1656.

Ifthic autem intereà extenſum eſt Sociatorum Principum, biennio abhinc pactum fœdus. In eo confœderatarum copiarum Dux creatus (quem ante nominavi) Baro de *Reuſchenberg*: præſcriptæ Regiminis leges, ſtipendiáque eidem ac Subminiſtris aſſignata.

Confœderati Principes nuperum fœdus extendunt.

Monaſterienſes verò conceptam Subdelegatorum relationem, ex imprudente cujuſpiam ſermone ſiniſtram ſuſpicati, aut ſuis ſaltem partibus minùs utilem ſubveriti, Nicolaum *Drachterum* Oratorem ſuum, & Petrum *Wittfeldium* Jurisperitum (poſteà Conſulem) Viennam mittunt, ſi forſan illorum operâ poſſet enervari, ne in præventâ Cæſaris mente fidem aut locum inveniret. Quorum conatibus obviaturus Princeps & ipſe *Wiedenbruckium* Nono Kalendas Julias ad Imperatorem ablegat, mirâ omnium expectatione, quid ea demum Viennenſis expeditio boni, malíve cauſatura eſſet.

Monaſteriēſes Drachterum et Wittfeldium Viennā ablegāt.

Chriſtophorus Bern. Wiedenbruckiū.

Gravis erat epiſtola, quam ſub initium hujus æſtatis ad Præſules Germanos exaraverat, verè paſtorali ſollicitudine, Romanus Pontifex *Alexander*. Quod eam quóque, ſed magnâ cum laude ingeniti erga pietatem fervoris, *Chriſtophoro Bernardo* miſerit Pontificis juſſu Sanfelicius tunc adhuc Nuncius Colonienſis, placuit totam his inſerere, ut poſteri incitentur

21.

Pontificis epiſtola ad Epiſcopos Germaniæ.

1656. citentur tam præclaro Paſtoris exemplo, & unà notent ſeveram adeò muneris ſui obligationem Præſides Eccleſiarum. *Venerabilibus Fratribus Archi-Epiſcopis & Epiſcopis ſuperioris & inferioris Germaniæ Alexander Papa VII. Venerabiles fratres ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sollicitudinis, átque amoris, quo animarum ſaluti Præpoſiti in traditi ſibi gregis, átque ovium curam excubare aſſidue debeant, ipſe, qui Eccleſiam ſuam docuit, ſuo ſanguine fundavit, qui eam ſummè, átq; impenſiſſimè dilexit, non ſemel diſcipulos, quibus illam diſceſſurus tàm amanter, tàm frequens, tàm accurate commendabat, & per eos, nos omnes ſuâ voce, ſuis præceptis & exemplis admonuit. Cum vero maximi, átque ampliſſimi muneris, quod eis imponebat, officium ſimilitudinibus adumbravit, lucem, & ſal eos vocavit, ardentéſque in manibus lucernas præferendas dedit, quo intelligerent, omnia ipſis non modo ſuo lumine colluſtranda, verum etiam, qui lucis uſus eſt, videnda, diligentérque perſcrutanda, in omnes porrò partes penetrandum, ne qua eas ſenſim inficiens lues aut occulta, incluſáque vis morbi corrumperet. Ipſe autem qui Eccleſiæ ſuæ ſupremus eſt Pontifex, & Sacerdos,*

non

1656.

non aliud libentius, aut sapiùs quam Pastor dici, & audire voluit. At quam amans fuerit, quam diligens, quam anxius in ovibus suis deducendis, recognoscendisque; declarant nempè tàm cupidè, ardentérq; durissimi quamvis & immensi, suscepti & exhausti labores, dum devias, errantésq; caterarum penè oblitus insequitur, perceptúmq; ex repertis animo gaudium, & gratulatio; pro illis deniq; & acerbissimi cruciatus perlati, & vita ipsa posthabita. Hujus ferventissimæ charitatis eadem significatione magnitudinem expressit, cum Apostolorum Principi, cujus Nos immeritos vicem fungi jussit, sapiùs illa amoris sponsione repetitâ, Ecclesiam concrederet, etiam átq; etiam ut agnos, & oves pasceret contendendo. Et sanè utinam Venerabiles Fratres, ij quibus tantum curarum, átq; oneris injunctum est, administrationis suæ rationem reddituri, illud verè usurpare possent, quod olim sedulus ille Pastor, cum grave, diuturnúmq; servitium domino imputaret, oves tuæ, ajebat, sterites non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestiâ ostendi tibi, diu noctúque æstu urebar, & gelu, fugiebátq; somnus ab oculis meis. Verùm quoniam ita comparatum est, ut nulla unquam tanta

sit hominum industria, nulli conatui, quin hos omnes exsuperet ab stirpe culpæ obnoxia & malo succumbens natura; nisi totis viribus obviam eant, enitanturq, quibus animarum, & dominici gregis est tradita vigilia, nova quotidie vitiorum germina suboriri necesse est, pra quibus nec pietas ad frugem pervenire possit, & uberes caterarum virtutum fructus extinguantur. Hinc vetus illa disciplina, quâ vel inter Tyrannorum iras, & infesta undique odia stetit, crevitque Christiana res, paulatim obsolescere, ac de priscâ illâ in criminibus puniendis, quâ præcipuè continebatur, severitate remittere cœpit, donec ad hæc tempora ventum est, quibus Deus tot calamitatibus, velut suâ voce, homines increpat, átque exterret, ut derelinquat impius viam suam, & convertatur, multum enim se ad ignoscendum futurum pollicetur. Quì autem iratum DEI Numen reconciliare poterimus, nisi priùs, quibus illud irritavimus, vitia, ac morum corruptelas de animis sustulerimus? néq, hoc aliter profectò assequemur, nisi ij quorum fidei commissa est animarum ratio, ipsi per se omnia adeant, invisant, & quod diligentes & sapientes medici faciunt, ægros, & languentes inspiciant, vul-

1656.

vulnera contrectent, Christi Domini denique vestigia consectentur, qui non modò dictis, monitisque, sed etiam salutares identidem manus curationibus adhibendo, diuturno morbo confectos, jacentésque recreabat. Utilissima autem jam usque ab Apostolicis ducta temporibus consuetudo est, spiritu Sancto leniflatu, auràque Ecclesiam gubernante, ut sæpè Episcopi synodales conventus indicant, & plures in commune consulant, ac quidquid est, quod ad animarum salutem, mores emendandos, divini cultûs dignitatem, ac majestatem augendam conducat, accuratè, ac diligenter inquirant, & de suâ, suorumque sententiâ decernant. Cujus instituti ipse Christus Jesus est auctor, qui duobus aut tribus in nomine suo congregatis se adfuturum recepit; auctores ipsi Apostoli, qui id à doctore suo, ac Magistro proximè acceperant; hoc denique multis, ac frequentibus decretis, aliis in conciliis præscriptum, sancitúmque renovavit postremo Sacrosancta Tridentina Synodus, quæ ut cætera, hoc quôque præclarè posuit, quo uno præsertim dissoluti, ac perditi mores à peccandi licentiâ, átque impunitate ad antiquam illam innocentiam ac vivendi formam facilè possent re-

1656. vocari. Quod adeò salutariter & tanto cum utilitate observatum, consistere tamen sine Episcopali visitatione non potest; quam & eadem œcumenica Synodus diu neglectam, intermissámq; Spiritus sancti ductu ex superiorum Patrum, & Conciliorum authoritate restituit, quâ sine, nec quis sit animarum habitus dignosci, nec Episcopi nomen suum tueri, ac retinere queant. Dati sunt enim illi speculatores domus Israel, ut attendant sibi & universo gregi, in quo eos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam suo sanguine acquisivit. Cujus rei ab Apostolis initium factum fuisse jam tum gentium Doctor Episcopos visus est admonere cum demandatâ ab Hierosolymitano Concilio legatione defunctus, revertentes, ait, visitemus fratres per universas Civitates, in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo se habeant. Nos sanè ubi primùm ad altissimum hunc dignitatis gradum translati sumus, quamvis gravissimas curas, ac difficultates ipso in limine offenderimus, nihil tamen antiquius duximus (quandoquidem de supremâ hac statione discedere ac tam sollicite commendatas oves omnes oculis perlustrare non licet) quam saltem Urbium principem, ac religionis præsidem visitare,

1656.

visitare, vel pati (quod quidem in Nobis esset) ullas ibi in moribus vitiorum sordes residere, unde essent à cæteris rectè, ac piè vivendi præcepta expetenda. Sed abunde laboris Nostri átq; operis fructus ad alios etiam pertinuisse, átq; omnibus constitisse videbitur, si Nos in hac re vobis præeuntes sequemini, idq; ut imitemini, licet vestra vos sponte facturos non dubitemus, in Christi nomine per viscera ipsius, & misericordiam enixè rogamus, obtestamúrque. Visitavit enimverò, quod non sine dolore dicere, ac meminisse possumus, tot calamitatum aspectu quotidiè magis animo obversante, visitavit Deus jam diu Germaniam in virgâ, & verberibus. Magno motu concussa primùm isthic religio, tum aliæ super alias clades illatæ, sacra, profanáq; omnia promiscuè cædibus, incendiis, ac ruinis involverunt. Non fuit interea solutum átq; integrum vobis, quod vestri inprimis muneris est, providere, ne effusâ profligatâque licentiâ, depravati mores, ac vetus illa disciplina convelleretur, quâ unâ præsertim in officio, ac Sanctissimarum legum verecundiâ commissi Episcopis populi continentur. Visa est non ita pridem ab his malis, quibus urgebatur, erigere se tantisper átque è tot miseriis emer-

1656. *emergere Germania. Jam quod plerisq; facile, ac promptum est, gregi vestro, ovibúsque, prospicite, dissectas, vagásq; colligite, Pastoru sui quandóque vultum agnoscant, dictis assuescant, vocem sequantur. Date hoc patriæ, cui nunquam sine timore esse licebit, nisi prius vitia, quæ divinæ clementiæ, ac benignitati obstare possunt, ex animo penitùs ejiciantur. Date Nobis hoc ardentissimè rogantibus, Date populorum saluti, & felicitati, quam vobis immortalem ac sempiternam ex animo precamur, & Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IV. Aprilis M. DC. LVI. Pontificatûs nostri Anno Primo.*

Natalis Rondininus.

à Christ. Bernardo demissé acceptata.

Christophorus Bernardus tametsi magnam partem Pontificia monita prævenerat, excepit tamen ea pro solitâ veneratione perlibenter, & sicuti bis Episcopalem synodum quotannis, maximè verò generalem elapso proximè autumno utilissimè celebratam, lustratáque hactenus pleráque Diœcesis loca, ita pari se curâ porrò continuaturum, & ipsam quóque visitaturum Cathedralem respondit, acturúmque ut pro viribus mentem Pontificis assequatur.

Sub-

1656.

22. *Impositio primi lapidis arcis Coesfeldiensis.*

Subindè à visitationibus redux arcis illius, quæ sub finem æstatis anni præcedentis, uti in loco memoravimus, *Coesfeldiæ* exstrui cæpta est, portam, solidum opus, & ædificiorum principium meditabatur. Solenniore pompâ fundamentum jacturus statuit decimum sextum Kalendas Augusti. Eo die postquam musicos inter concentus sacris operatum est, & ipse & Proceres, qui invitati erant ad portæ radicem descendunt. Saxum solenni ritu à se benedictum ipsus locat, sub impositâ illi ex argento laminâ cum hac inscriptione.

Inscriptio.

DEO OPT. MAX. SACRVM.
DEIparæ Virginis, ac Cælitum omnium honori,
& inprimis S. LVDGERI.
Monasterienſium Episcoporum omnium uti Ordine,
Sic Sanctimoniæ PRIMI:
Publicæ saluti, Ecclesiæ defensioni,
Subditorum tutelæ, patriæ Ornamento.
Sibi & successoribus.
In pace & bello commodum Domicilium
Arcem, atque inprimis Portam hanc
(Quæ introitus salutis & pacis, terror hostium, fuga inimicorum, munimentum Christi fidelium & ostium pacificum sit, per eum, qui se ostium appellavit JESUM Christum)
Voto integerrimo condidit
Ex nobilissima Galeniorum stirpe

Col-

Celsissimus & Reverendissimus Princeps ac Dominus
D. CHRISTOPHORUS BERNARDUS
DEI & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Monasteriensis, Burggravius Strombergensis S.R.I.
Princeps Dominus in Borculo &c.
Et saxum hoc solennibus cæremoniis
Ab ipso Conditore benedictum & positum fuit.
Die 17. Julij.
Anno Virginei partûs M. DC. LVI.
Cathedram Petri tenente ALEXANDRO VII.
FERDINANDO III. Augusto Imperante
Anno Conditoris in sede Monasteriensi sexto.

Quibus præsentibus.

Adfuerunt & applauserunt ex omni ordine Proceres. DD. Otto Henricus Korff, *conductus* Schmising *Præpositus. Jodocus Edmundus à* Brabeck *Decanus. Joannes Hermannus à* Palandt *Canonicus Capitularis. Goswinus* Droste *Canonicus & Bursarius Cathedralis Ecclesiæ Monasteriensis. Theodorus Hermannus* à Mervelt *ex Westerwinckel Cancellarius. Burchardus Baro de* Westerholt *in Lembeck Marescallus. Hermannus de* Westerholt *Satrapa in Bocholt Colonellus. Joannes* Beveren *de* Twickel *in Rheinen & Bevergern. Heidenricus* Droste *in Horstmar & Ahauß Satrapa. Theodorus Philippus de* Wilich *ex* Probsting *Colonellus. Henricus à* Diepenbroeck *ex Bulleren. Joannes de* Graes *ex Loburg. Her-*

1656.

Hermannus Theodorus à Nagel *Vice-Colonellus Aulæ Præfectus. Ferdinandus à* Raesfelt *ex Hammeren. Stephanus Theodorus* Torck *ex Asbeck & Vorhelm &c. Nec non DD. Joannes* Rennebom *& Everhardus* Lewen *Civitatis Coesfeldiensis Consules. Assistentibus & Ministrantibus suæ Celsitudini Vicario in Spiritualibus Generali, & Sacellanis. Dirigente tunc Principis & Patriæ arma Nobili Viro D. Joanne de* Remunt *Lutzenburgensi Generali Vigiliarum Præfecto.* Inde transitum est ad epulas & hilaria inter tubarum ac tympanorum clangorem. A quibus nunc Viennam revertamur.

23. *Monasteriēses petunt Urbem suam immediatā declarari.*

Ubi delegati Monasterienses, postquam à Cæsare jam auditi, multa de Principe, de Colonienſi processu haud æqua satis prolocuti dicebantur, per eos dies supplicem porrexerant libellum, Civitatem Monasterienſem, ut liberam & Imperialem Cæsar declararet. Talem enim esse adjunctis probari citationum litteris, quibus à *Maximiliano Primo, Carolo quinto*, & pluribus Augustis Monasterium ad publica Germaniæ Comitia constaret evocatum. Imponi Fiscali Imperij aulico rogant, ejus ut interventu civitas ceu immediata nunc tandem Imperio vindicetur. Quod autem ne vel ulli homi-

Sed rejēcta diuntur.

num

1656. num constaret, Monasterium unquam in aliquo Imperij vel circulari conventu, sessione aut voto gavisum esse, seu nomen Ejus in quapiam *Recessuum* subscriptione, vel probatâ Imperij, Circulivè *Matriculâ* reperiri; sed contra potiùs ab immemoriali tempore, de cujus contrario nulla extaret memoria, Diœcesanas inter Civitates numeratum, imo huic ipsi *Christophoro Bernardo* ceu Principi suo publicâ inaugurationis die, exertis, erectisque ad DEUM ac superos digitis firmatam sacramento fidem jurâsse; hæc immedietatis postulatio, vigesimâ octavâ Julij à Cæsare rejecta est. Cúmque paulò post denuò instarent, causas ferendi istius decreti, si quæ forsan Cæsaris animum moverent, nolle se quidem nunc controvertere, nec ultrà jam pro assistentia Fiscalis Cæsarem interpellare, non posse tamen vitio verti, si jus hoc immedietatis contra Episcopum & Collegium Cathedrale, velut assertos Contradictores, latiùs aliquando deducant ac prosequantur; illúdque sibi nunc reservent. Atqui ideò necessitate compulsos, pro sui juris conservatione, in præsentia protestari, precarique, id ut protocollo seu tabulis actorum inferatur, & ipsis in fidem extractus communicetur. Eâdem Cæsar constantiâ tertiò Nonas Augusti decreto antè qua-

quatriduum lato insisti, respondet, suumque Oratoribus jubet libellum reddi: superfluum arbitratus, si ad acta referretur. 1656.

Sub hæc ineunte Autumno cæpit Monasterium invadere pestifera lues, sensimque per domos ac vicos serpens totam infecturâ patriam credebatur; sed publicæ piorum preces, & indicta Urbi supplicatio, quâ multi è Religiosis familiis, Crucis bajuli, ac complures cilicinis induti vestibus, oculis spectantium lacrumas excutere visi sunt, iratum Numen placaverunt. Nec tamen ideò segnius utrinque causa Viennæ agebatur, quippe controversia super jure præsidij denuò agitari cæpta erat. Hanc voluit *Drachterus* antiquatâ litę, sub Imperio *Rudolphi secundi* Cæsaris, ab *Ernesto Bavaro* Electore Colonienśi, uti Monasterienśi Episcopo, contra Monasterium Urbem olim intentatâ, adhuc indecisâ pendente comprehendi. Quod tametśi à Legato Principis negabatur; occasio tamen fuit, cur *Pragenses* ac Viennenses tabulas tantâ industriâ lustrârit Imperialis aulæ Senatus, ac tanto studio conquisierit, quidquid unquam controversiarum ac litium Principes inter & Civitatem potuit requiri. Cúmque ita menses aliquot super eâ quæstione variis utrinque argumentis certaretur, post maturam omnium deliberationem quinto Jdus Decembris hanc demùm tulit

24. *Pestis Monasterij,*

Viennæ super jure præsidij agitur.

1656. *Decretum Cæsaris.*

sententiam Imperator. *Civitas jus præsidij, annexúmque custodiæ clavium portarum, vallorum, murorum, symboli quoque seu tesseræ militaris, ultra hominum, uti obtendit, memoriam possessum, firmioribus quam ad id usque tempus effectum, argumentis probet, eumque in finem semestre spatium sub pœnâ præclusionis extremùm præfigi; si quod interea periculum in confinio timeatur, Principi adscitis tribus Patriæ Ordinibus, cognitionem istius relinqui, atque tunc Præfectum Militiæ, præsidium, aliáque huc spectantia ad normam initæ Schonefliti compositionis servantur.* Quâ Cæsaris mente divulgatâ utriúsq; partis Ablegati in Westphaliam redîêre.

Id pro se Monasterienses.

Ut quísque verò pronunciati hujus sensum pro se interpretaretur, mirùm quantùm ingenia partium fatigabat. Monasterienses inprimis possessione juris præsidij non tantùm se non exutos, sed eam, uti continuatam hactenùs, ita & Civitati quóque magis firmatam, gloriabantur, præsertim cum plura extarent documenta, quibus juxta quam erat injunctum, solidiùs adhuc roborari posset. Adhæc non posse Principem quidquam statuere extra periculi casum; nec tunc quidem, nisi & ipsi & omnes reliqui Principatûs Ordines unà con-

convocentur. Proinde vix potuisse quidquam optatius decerni. Econtra sibi Princeps favorem adscribebat pluribus de causis. Obmotam namque à Civitate litispendentiam tacitè rejectam, & Reos olim Monasterienses, nunc Actores declaratos esse; Argumenta Civitatis visa hactenus indubiè solida, haud satis probare. Solidiora non suppetere, quæ præfixum tamen intra semestre spatium proferri oporteret. Cognitionem periculi & necessitatis Principi adjudicatam; ad id quidem Ordinum exposci convocationem, haud tamen assensum. Attributam quóq; Præfecti Militiæ designationem. Concordiam *Schoneflitanam* authoritate Cæsaris confirmatam; adeóque in petitorio juxtà ac possessorio stabilitum se, postpositam Civitatem.

1656. *E cõtra pro se Princeps interpretatur.*

Et Princeps quidem explicatæ sic favore sui sententiæ, effectum tentaturus, per *Vogelium* Militiæ suæ Commissarium, *Wittenbergio* Urbanæ militiæ Præfecto copiam ejus facit, ac sub pœnâ mandat, cum placitis concordiæ Schoneflitanæ à Cæsare jam roboratis, statuendi in Urbe Præfectum potestas Principi confirmata sit, abdicato statim munere voluntati Cæsaris morem gerat; talem enim, si quidem necessitas id postulârit, tempestivè satis à se designatum iri. Enimverò Senatus rem hanc

Et Wittenbergio Præfecturâ Urbis renunciat.

1656.

A Monasteriensibus Vogelius relegatur.

ocyùs à *Wittenbergio* ad se delatam, indignè ferens, *Vogelium* mox relegat, p apparitores jussum, cum Uxore, cum beris Civitate exesse ante solis occasum Hunc multi severitatem *Drachtero* a scribebant, quod Viennâ redux, *Vierden halvio* sub hæc defuncto, solus ferè su Magistratum dominio possideret. Et quam quam huic Senatorum mandato haud pa ruit *Vogelius*, quin noctem istam & dies aliquot sequentes in Urbe moraretur, ex perturus, quid demùm de se futurum esset, nihil tunc quidem adversi sensit; quand

Et à reditu in Urbem arcetur.

verò paulò post *Coesfeldiam* evocatus delatis iis, quæ contigerant, jussu Princ pis in Urbem redire parat, lubuit Magi stratui, uti singulis portarum excubiis se riò imperatum est, redeuntem ingressu ar cere. Quam Princeps injuriam & molest tulit & confectis per Tabellionem, qu præsens ea spectârat, legitimè documento Imperatori dolens significavit.

25.

C. B. & socij Principes de fœdere cum Batavis agunt.

Sed apprimè gnarus, ipsa licet cau sibi tota etiam adjudicetur, ejusdem ali quandò effectui maximo fore obstacul Remp. Batavorum; præsertim, quod ejus opem Monasterienses nunc imploraturi af firmarentur, Confœderatos ad Rhenum Principes excitat, ut suos unâ Legatos Ha gam-Comitis dimittant, & oblato Batav fœdere, impedimento cuicunque anteve tan

1656.

tant. Haud segniter sociati Principes consilium istud amplectuntur. *Christophorus Bernardus Wilichium* Chiliarcham ablegat. Qui cum reliquis jam præsentibus, apud Ordines Nonis Decembris solenni ritu admissus, auditúsque postquam omnium nomine *innotuisse* ait *Electoribus ac Principibus Confœderatis animum Reip. in mutuum fœdus proclivem, parem illorum promptitudinem testatus, locum & tempus designari rogat, partium tractatibus opportunum.* Quæ dum fusiùs edixerat, Legati é consessu dimissi sunt; nec ante diem decimum quartum Kalend. Januarij, respondent Ordines; *Expectari fœderis conditiones, si quidem paratas habeant; ac tunc Commissarios a se designatum iri, qui cum Legatis isthic Hagæ tractent. Audito exin Provinciarum sensu statuturos, quæ utriq; parti conducere videbuntur.*

Monasteriēses implorant Vrbes Hanseaticas.

Monasterienses interim haud satis contenti Viennensi decreto, quod parùm apud Cæsarem profeciisse, ac fortè minùs profecturos se inposterùm satis præviderent, memores *Hanseaticas* inter Civitates Monasterium numerari, Nicolaum *Drachterum* Syndicum & Henricum *Thor Müllenium* Tribunumplebis *Bremas*, *Hamburgum*, *Lubecam*, istarum Urbium capita, ablegant, arctiorem cum iis Societatem

1657. innovaturi. Verùm quod ſuis diffiſæ viribus, eæ ipſæ fœdus Anno M. DC. XLV cum unitis Belgarum Ordinibus inſtaurâſſent, Monaſterienſibus ſuaſêre, eidem ſe petant adſcribi; hoc enim cæteras inter conditiones ſancitum eſſe, ſi quæ Sociarum innecti deſideret, promptè admiſſum iri. Expeditis itáque vigeſimâ Martij hujus argumenti litteris rem totam Ordinibus commendant. *Monaſterium ex antiquioribus Hanſeaticarum Civitatem eſſe. Annexum iis ſinè controverſiâ jus præſidij. Id cum hodiè Monaſterienſibus immeritò controverti velit, rogatos ſe aquè Cæſarem ac Principem Monaſterienſem, intactum illud relinquant innoxiæ Civitati. Et nunc Urbis ſociæ rogatu implorare ſe Ordinum Reipub. opem, ut jus præſidij, ab hominum memoriâ poſſeſſum, aliáque privilegia forti eorundem protectione Civitas vindicentur, unáque patrocinium ſentiat Hanſeatici fœderis ſanctio, & libertas commerciorum.* Drachtero ſic & *Thormüllenio* domum reverſis, actutum octavo Jdus Aprilis *Leoni ab Aitzema* Hanſeaticorum apud Batavos Patrono, rem ſuam committunt Monaſterienſes; curet inter eos cum Ordinibus, diverſorum Principum tractatus, ne quid Civitas adverſi patiatur. Intereà nihilominùs eoſdem Drach-

Ab his remittuntur ad Batavos.

Apud quos Aitzema Monaſteriẽſium Patronus.

1657.

Drachterum & Thormüllenium duodecimo Kalendas Maij expediunt, ut ipsi in Hollandiâ præsentes studeant arctiùs sibi devincire Ordinum animos & Provinciarum. Jamque Hagam Procerum Hollandiæ sedem ingressi, & *Wilichio* Principis Legato frustrà obluctante septimo Idus Maij admissi palam, auditique hæc ferè Ordinibus proposuerunt. *Missos se à Senatu, Populóque Monasterienſi, ut quando Monasterium Westphaliæ Metropolis, inter Hanseaticas Civitates, teste Lubecâ Earum Directrice, à multis retrò seculis connumerata, inq; publicis earum conventionibus sessione ac jure suffragij hactenùs gavisa, præsentem Imperij & totius propemodùm Europæ inconstantiam sollicitè perpendit, rebus suis provisura petat ad fœdus illud, quod annis superioribus inter Remp. hanc & Civitates Lubecam, Hamburgum, Bremas, publico commerciorum ac jurium conservandorum bono, certis legibus innovatum est, citra tamen Imperatoris, sacrique Romani Imperij, vicinarum Rerump. Principum ac Magnatum præjudicia pariter admitti, & si quidem inter Remp. hanc & nonnullos Electores ac Principes agitata aliquamdiu confœderatio ineatur, nihil statui oblivione Civitatis pernitiosum.*

Drachterus & Thormüllenius Hagam mittuntur.

Eorum propositio.

tiosum. Fore hæc beneficia illius benevolentiæ, à Legatis Reip. hujus, quandò cum Hispano Rege Monasterij de pace tractabant, non rarò commonstratæ.

26. *Dohortatoriæ Principis ad Civitatem.*

Utprimùm hæc intellexit Princeps, conatus eos publicam ab Imperio defectionem interpretatus, acerrimis litteris decimâ tertiâ Maij Coesfeldiæ datis Civitatem dehortatur. *Audire se Monasterienses, ut cæteros tot jam annorum excessus sileat, eò nunc seduci se passos, ut non solùm intrà limites Imperij, operâ exauthorati à se Consiliarij nunc Syndici Civitatis* Drachteri, *tam juri suo Superioritatis, quam Cæsaris decreto exitiosa tentare ausint; verùm etiam defuncto jam Imperatore* (nam Ferdinandus Tertius Mense Aprili obierat) *apud exteros, quasi fas & æquum omne in Germaniâ exularet, sacras Imperij leges, probroso magis facinore, prævaricentur. Id dedecere subjectos sacramento Principi obligatos; & eâ ratione contemni Imperatoris, Romanique Imperij, & durante nunc Interregno, Vicariorum ejus, Bavari ac Saxonis Electorum authoritatem. Non posse nec velle se cæptis adeò temerariis indulgere, neque minùs dehortari, ut se contineant, quam admonere seriò, ut*

ut Sehoneſitanæ compoſitioni, ut ſententiæ Cæſaris vivant obſequentes. Ni pareant, legibus definitum eſſe, quibus ſubditorum pervicacia titulis inſigniri mereatur; & quibus tandem ſuppliciis etiam digna ſint iſtiuſmodi peccata, ſed & ex annalibus & ipſo experimento conſtare, quam tragicos plerúmque & inſperatos eventus ſecum trahant. Invocare ſe DEUM, qui cordium ſcrutator ſit, ſuæ teſtem innocentiæ, ſi quæ mala ſuccedant, cum palàm ſit omnibus, eo ſemper animo ſuos ſe proſecutum, qui Principem, qui Patrem deceat. Religione quidem prohiberi ſe, ne quidquam eorum, quæ ſibi, quæ Principatui debeantur, avelli, vel eripi patiatur, ſed nec animum eſſe vel fuiſſe unquam, quæ Civitatis ſint, infringere, quin potius ſemper ea ipſa pro viribus tueri. Quantumvis motæ ſint ſuper jurisdictione ſibi competente, aliæ ex aliis lites, nunquam tamen nec amicæ compoſitionis viam, nec juſtitiæ tramitem declinâſſe. Et vel ideò in admirationem ſe magis rapi, paſſos Monaſterienſes à paucis hominibus, qui ſub larvâ publicæ ſalutis peſſimas animi affectiones tegant, adeò ſe turpiter ſeduci, ut eacâ quadem temeritate ad iſtiuſmodi extrema ſeſe effundere præſumant, quæ 1657.

1657. *ab hominum memoriâ & à tempore Anabaptisticorum tumultuum hactenùs inaudita sint, quæq; in eum calamitatis labyrinthum Civitatem præcipitent, ut inde, nisi subitò recipiscat, non solùm difficillimè erui, sed & justè timeri possit, ne tandem, quod avertat DEVS, post certam sui ruinam Uxores, liberi, posteri omnes tanta mala seriùs aliquandò deplorent. Posse & debere his diebus (quibus Jubilæum seu generalem noxarum condonationem indulserit Pontifex Alexander) meditatiùs ea considerari, ut non minùs fraudibus in posterùm, quam periculis tempestivè antevertant.*

Hanseaticis dein Civitatibus ante diem undecimum Kalendas Junij exprobrat datam nuper favore Monasterienſium ad confœderatos Belgij Ordines commendationem. *Anno abhinc monitos, ne rebus Monasterienſibus se immiscerent, spem sibi feciſſe rejiciendi cujuscunque causæ patrocinij, & eò majorem, quò certiùs scirent ad se neutiquam pertinere. Præter omnem verò expectationem nunc experiri se, Cives suos à quibusdam ac nominatim* Gloxinio *Urbis Lubecæ Syndico non solum continuato litterarum commercio perversè animatos, sed ab ipsis etiam Civitatibus, haud dubiè*

Ejusdem ad Urbes Hanseaticas exprobratoria.

dubiè privatâ quorundam utilitate inductis, non ita pridem unitis Belgarum Ordinibus commendatos eße. Varios errores, qui commendatitiis iſtis continentur, præſentem extorſiße exprobationem. Nec enim, primùm, ullas unquam litteras ab iis viſas eße, quibus aſſerant, rogatum ſe non minùs ac Cæſarem, ut intacta linquerentur Jura Civitati, quin potiûs (ſi Bremam demas) vix ſe reſponſo dignatos Tabellarium remiſiße cum ſcheda, tradita monitionis teſte. Falsò aſſeri præſidij jus Hanſeaticis Civitatibus annexum eße. Inter Civitates Circulorum Saxoniæ inferioris, Weſtphaliæ, Burgundiæ, imò & extra Imperij fines non unam reperiri, Hanſeatici fœderis albo inſcriptam; nec tamen ab hominum memoria iſtiuſmodi jus in fraudem ſuorum Principum ſibi unquam aſſeruiße. Tangi iſthoc enunciato quotquot Electorum, Principum, Comitum iisdem in circulis oppida poſſideant vel Civitates. Imò Coesfeldiam, Warendorpium, Dulmaniam, olim Hanſeaticarum membra, velut abſurdum relegaturas. Alias eße Civitates, quæ proximè Cæſari, alias, quæ Principibus ſubſint; pro cujúſque diſcrepantiâ, jura quóque diſcerni oportere. Sed quidquid demum id ſit, ſe 1657.

inter

1657. *inter & Monasterienses super jure præsidii coram Cæsare & supremo Imperii Dicasterio aliquandiu disceptatum, illudq; jam statutum esse, cui sine nota contumaciæ aut rebellionis nec possit, nec debeat Monasterium refragari. Præcipitem videri litterarum Authorem, dum summa quasi Tribunalia prævertens Judicem se faciat, & quod Principis sit, ac esse, pacti Schonesitani, ipsiusq; Cæsaris sententia confirmet, ne visis quidem partium argumentis, jus præsidii, ut ab hominum memoriâ possessum præmaturè asserat Civitati. Libertatem commerciorum perperam involvi, minimè scilicet controversam; ea námq; mercatoribus subsidia, eamq; securitatem viis procuratam, ut nisi pertinax obstet quorundam ignavia, integro propè seculo haud opportunius fuerit tempus mercaturam exercendi. Nec istis indigere se Monitoribus, si quid eâ in re publica salus postularet. Imploratam Batavorum protectionem derogare Cæsaris potestati: Et hisce tamen suggestionibus excitatos adeò Monasteriensium animos, ut institutâ Legatione (quod Municipali Civitati neutiquam liceat) apud Batavos fœderi Hanseatico adscribi petant. Quid non inde mali nasciturum? Quóque id genus*

nus alia dum latiùs exponit, *testari palam*, ait, *contra incentores (nisi se corrigant) servare se opportunam sibi, cujuscunq; damni reparationem. Considerent, ea posse redire tempora, ut amicorum egeant. Nihilo tamen minus hortari se, si sibi, si pluribus cautum velint, ne Gloxinium suasorem audiant, sed commendationem revocent, & Monasterium remittant ad Cæsaris Tribunal.* 1657.

Dum variis interea libellis *Drachterus* cum suo Collega urget Hagæ Comitis Ordinum resolutionem, quartò Calandas Junij hæc tandem prodit. *Postulata Monasterienſium spatio ad consultandum indigere. A plerisq; præsentium ibi Delegatorum suis jam submissa Provinciis. Earum sensus more isthic usitato expectari debere: ac tunc de Monasterio ad fœdus Hanseaticum admittendo, prout publica salus exigere videbitur, ordines prompte disposituros.* *Resolutio Batavorum Monasterienſibus data.*

Quo lactati responso *Drachterus* & *Thormüllenius* in Westphaliam abeunt, propediem, ubi tempus deliberandi lapsum fuerit, Hagam reversuri. Princeps dispersos per vias milite redeuntes intercipere laborat, sed per itinerum ambages dilapsi incolumes Urbem ingressi sunt. Sub hæc *Wilichius* Principis Hagæ Legatus prolixâ oratione 27. *Drachterus redit Monasteriū.*

1657. *Wilichii oratio ad Batavos adversus conata Monasterienſium.*

oratione ſuadere Ordinibus conatur, negotiis Monaſterienſium ceu alienis ne ſe involvant. Dúmque Civitatis arrogantiam ac tot annorum protervitatem exaggerat, déque Sacramento Principi dicto, juratâ fide, præſidij jure, Schoneflitanâ etiam concordiâ firmato, poſſeſsóque, Comitiis Wolbecanis Conventu Colonienſi, Cæſaris Decreto, multa diſſerit, flagitium interpretatur, Monaſterienſes illicito fori competentis ſubterfugio ad Hanſeaticas Civitates recurrere; & nunc etiam gratiam Ordinum aucupantes ab hac Rep. patrocinium quærere cauſæ tam inſolenti. Sed uti eorum tutelam nihil præter moleſtias Reip. allaturam eſſe conſtaret, ita facile credi homines, qui procaciter adeò in ſuum Principem deliquerint, merito repulſam accepturos. Monaſterienſem Principem cum vicinâ Rep. conſtantem ſemper amicitiam coluiſſe, velle nunc novis etiam fœderibus eândem ſtabilire; confidere & parem in Ordinibus propenſionem; átque eapropter quævis contumacium ſubditorum retinacula eadem promptitudine reſecturos. Et verò quantam temeritatem eſſe, Monaſterium Civitatem Principi ſuo ſubjectam Reip. huic auſam quaſi præſcribere leges fœderis componendi. Ut autem Ordines cognoſcant diſcrimen hanc inter, & Hanſeaticas, quæ proximè Imperio ſubſunt;

Mindam,

Mindam, Bilefeldiam, Lemgoviam, Lipſtadium, Paderbornam, Brakeliam, Warburgum, Wiedenbrugũ, Hammonam, Unnam, Camenam, Werlam, Suſatum, Coesfeldiam, Warendorpium, Durſtenam, Duisbergam, Lennepium, Wipperfordam (ut Veſalia, Noviomagum, Embrica, aliæq; plures paris cum Monaſterio conditionis prætereantur) Civitates omnes eſſe priſco Hanſeaticarum fœderi adnumeratas. Quas ſi nupero cum Lubeca, Hamburgo, Bremâ Urbibus pacto complecti velit Reſp. & ſubducere Principum ſuorum poteſtati, relinqui prudentiæ Ordinum, quos non indè motus vel in ſolo Weſtphaliæ tractu ſecuturos. Proindè nomine Principis ſui rogare ſe ab Ordinum æquitate, ut Monaſterium, ſin ultrà opem imploret, ad eum ceu legitimum ſuperiorem ſuum, aut ſi gravari ſe ſentiat, ad Cæſarem & Imperium remittatur. Reſpondet ad hæc Monaſterienſium Patronus Aitzema. *Non ſine contumelia eſſe Senatum arrogantiæ, inſolentiæ, protervitatis incuſari. Honeſtum ac laudabile accepta â Majoribus jura, privilegia, libertates more licito tueri Verbum Principis, quo inauguratus idipſum addixerit, juramento æquipollere. Cives debere Præſuli ſuo obedientiam, non cæcam, nec ſecundum dominantis libidinem, ſed juxta dictamen rationis, tem-*

1657.

Quid ad eam replicet Patronus Monaſteriēſium.

1657. temperatam. Juraße fidem, ſed juſtitiæ, ſed æquitati conformem. Nec minùs conſervare jura Civitati, quam Civitatem Principi obligatam. Id dictare verba juramenti, quæ ſtrictâ interpretatione intelligi debeant. Neq; excludi poße libertatem, quam majores, ex liberis orti Saxonibus, ceu hereditatem poſteris tranſcripſerint. Ex pacto Schoneſitano non convinci, ſed contrahi præſidij jus, quod in Civitatem Princeps obtendit. Admiſſum námq; militem ex liberâ partium conventione, non lege ſervitutis: & limitatum fuiſſe tempus, nimirùm quadrimeſtre. Decreto Cæſaris Cives paruiſſe; diverſa jam Documenta, quæ jus præſidij Civitati aſſerant, Viennam tranſmiſſa ac plura etiam miſſum iri; adeóq; Senatum haud ſubterfugere Imperij Tribunal. Fœdus Hanſeaticum non prohiberi Imperij legibus, nec ejus obtentu intendi Cæſaris offenſionem, ſed tantùm ſecuritatem commerciorum, antiquorum jurium conſervationem, noxiarum novitatum abrogationem, amicæq; vicinorum Societatis firmitatem. Rogare ne quid novâ confœderatione Civitati ſtatuatur pernitioſum, haud eſſe leges præſcribere, ſed damno ſuo præcavere. Elenchum tot Civitatum Hanſeaticarum

fruſtra

fruſtra adduci, cum paucæ ex iis inter ſocias deſcriptæ recenſeantur. At verò Monaſterium veluti Weſtphaliæ Metropolim ad publicos Hanſeaticarum conſeſſus evocatam, per Legatos à ſæculis frequentâſſe, ac præſtitiſſe ſemper ea, quæ communis ſociarum neceſſitas poſtulârit. Conſidere idcirco Senatum, Populumq; Monaſterienſem, Ordines nullatenus conſenſuros, ut ad Principem (in propria causâ Judicem) remittantur, ſed quemadmodum Ablegatos ſuos cum omni benevolentia exceptos, dimiſsósq; gratâ memoriâ recolunt, id juſtæ petitioni & cauſæ æquitati porrò delaturos, ut fœderi Hanſeatico Civitatem adſcribi, ejuſque fructu gaudere patiantur. 1657.

Inter eas verborum velitationes nihil æquè Principi curæ erat, quam ut à Monaſterienſium patrocinio animos alienaret Batavorum, quos præ omnibus timeret adverſarios, ſi quid contra Civitatem ipſe moliretur. Certus præ uno cum iis fœdere non eſſe præſentius remedium, ſicut jam pridem excitârat Principes ſecum fœderatos, ita nunc identidem urgebat, ut negotioſiores his diebus Legati, continuatis novo fervore tractatibus, nihil non ſerium Reip. probarent, & iſto tandem irretiti vinculo rebus Monaſterienſibus adeſſe

28. *Confœderati Principes mittunt Hagam*

1657. Ordines prohiberentur. Ablegârat *Joannes Philippus* ex illuſtriſſima Schonbornio-
rum gente *Elector Moguntinus* Conſiliarium ſuum *Philippum Ottonem de Herzellis*, qui & Trevirenſis vices agebat. *Maximilianus Henricus* è Ducibus Bavariæ ArchiPræſul & *Octovir Colonienſis Adrianum Walenburgium* Ædis Metropolitanæ Canonicum, ac *Bockhorſtium* Rhenobercæ Prætorem, poſtea Hildeſij Cancellarium; *Chriſtophorus Bernardus* eundem quem ante, *Wilichium* Chiliarcham; Dux *Neoburgicus* Baronem de *Virmondt*. Prolatis ſub menſem Martium publicæ fidei litteris, inchoatum exeunte anno proximè lapſo, ſed aliquantiſper intermiſſum opus reſumpturi, dum publico ritu ad Ordines poſt admiſſi ſunt, hæc ferè perorârunt. *Eminentiſſimos & Sereniſſimos Electores ac Principes ſuos eam de Præpotentium Ordinum pacifico & publicæ tranquillitatis cupido animi ſpem concepiſſe, ut pro inſigni ſuo erga inclytam hanc Remp. affectu hùc ſe miſerint, Ordinibus eorum omnium & ſingulorum amicum, promptúmque ad grata quæq; officia animum teſtaturos. Gratiùs quidem atq; optatiùs poſſe nihil Dominis ſuis accedere, quam ſi reapſe conſilia ſua, & ſtudia, ad conſervandam, augendâmq; inclyti hujus Status gloriam, & felicitatem, conferre queant,*

Legatos ſuos.

Eorum propoſitio.

queant, & hanc se eorum jussu Ordinibus ex animo augurari. Ut enim quam fortunatissima sit hæc Resp. id sua plurimùm interesse existimare Principes, sicut & incolumitatem suam felicitati hujus Reip. aliquid momenti addituram. Non tantum vicinos, sed & gentem unam esse, unam utrique originem; idem ingenium; eadem sectari pacis & bonorum, quæ pacem sequuntur, studia; nullum nunc cum iis bellum, inimicitiam nullam intercedere; quæ Remp. hanc octoginta annos exercuerint arma, & Germaniam per triginta miserè laniârint, nuper Monasterij & Osnabrugi ex voto Orbis Christiani posita esse. Manere quidem publicam hactenùs tranquillitatem, eámque salvam ac constantem fore sperari; sed cum magna sit rerum humanarum vicissitudo & inconstantia, néque unquam desint, qui turbas quam pacem malint, utriúsque verò interfit, ut pax tanto labore, sumptu & sanguine parta, sarta tecta maneat; cúmque is sit gentis utriusque situs, támque variis in locis conjuncti fines, ut pericula & damna unius alteram protinùs afficiant, visum esse Principibus suis, utriúsque bono & utilitati cessurum, si culta hactenùs amicitia firmiore quodam nexu constringatur. Eandem 1657.

1657. *dem Ordinibus sententiam, idem votum esse jam pridem testatos. Nihil autem ad consequendum hunc scopum fore securius, quam pro retinendâ pace & tuendâ utriusque partis tranquillitate, communis fœderis contra communes hostes, si qui præter expectationem futuri sint, arctius vinculum, quod nemini noxæ aut damno, sed utriusq; tantùm partis quieti & mutuo præsidio sit contra eos qui turbare illam voluerint. Missos se, ut cum Ordinibus eâ super re tractent, eumq; in finem expectari, ut Commissarii designentur. De felici exitu nolle se dubitare; & pro pace ac securitate tuendâ susceptis utrinq; consiliis DEUM pacis adfuturum. Omnes ex se cognituros, Principibus suis nihil aliud hoc in negotio propositum, quam ut partium securitati, & utilitati singulorum quam optimè prospiciatur.*

Tractatur negotium fœderis.

Tradita jam componendi fœderis capita multorum manibus volvebantur. Fervére opus visum, dum articulatim discussa, hinc explicantur, indè novis crescunt additamentis. Jamque parùm aberat, quin absolutum, perfectumque credidisses. At nutantibus primùm *Zelandiâ* & *Frisiâ* Provinciis, quod confœderationem hanc Brandenburgico Electori minùs gratam opinarentur, ubi dein motâ Duci Neoburgico contro-

controversiâ *Ravensteinense* Territorium sub Sylvæ Ducensi Prætura situm, ejusque superioritatem non minùs, quam Megani Comitatus, Ordines decernunt ad se pertinere, nec diu postea, evocatis undique copiis, cincto obsidione Monasterio suppetias veniunt, Principibus Confœderatorum offensam eam, ceu suam interpretantibus, abrupta, sublatáque tota res est.

1657. *Sed abruptum & infectum.*

29. *Interpositio Nobilitatis in causâ Monasteriensi.*

Sub hæc primores Ordinum Diœcesis *Coesfeldiæ* congregati, & in primis Nobilitas, Principem obtestantur, ut cum eæ Monasterienſium machinationes salutem Patriæ in discrimen adducant, liceat sibi interpositâ authoritate suâ à consiliis tam periculosis Civitatem dehortari. Annuente *Christophoro Bernardo* lecti sunt ex Ordine Equestri Ferdinandus Baro de *Morrien* Marescallus hæreditarius, Theodorus Baro de *Velen*, Satrapa Embslandiæ, Joannes de *Reck* Dynasta in *Steinfurt* & Ferdinandus *Nagel* ex *Itlingen*, qui mox etiam Monasterienſium animos tentârunt, essétne spes rei componendæ. Ægrè sub initium Magistratûs aures impetrant. Dato demum concordiæ tentandæ assensu, integer profertur gravaminum elenchus; quibus antè liberari se desiderant Monasterienses, quam ad ipsos tractatus procedatur. Interim disceptatur de loco; *Dulmaniam* suadet

A Monasteriẽsibus protracta.

1657. Nobilitas. Id cum Monasterienses constanter renuunt, in ipsam eorum Urbem & Aulam Principis debuit consentire. Inde laboratur de statuendo die, sed dum Monasterienses fiduciâ Batavorum cunctantur, ipsorum Procerum rogatu *Coesfeldiam* Princeps indicit Comitia. In his proferuntur litteræ, quibus *Brunsvico-Luneburgici* Duces conjunctim omnes Principi suadent, ob armatam Viciniam, quo publicæ securitati consulatur, durante Interregno, promptam habeat militiæ rationem. Et Monasterienses quidem solito promptiores, non minùs quam Ordines reliqui communi statim consensu probant militis conscribendi necessitatem, & unà præsentes isthic Nobiles commonefaciunt futuræ compositionis, promptitudine Civitatis explicatâ. At vix dum diæta hæc finitur, *Drachterum* Oratorem suum jam secundùm in *Hollandiam* ablegant, instruuntque, ut Confœderati Belgij Urbes adeat, & singularum suffragia præsens exoret. Hunc *Drachteri* ausum extremam Princeps temeritatem, & simulatam ab aliis ineundæ concordiæ promptitudinem Nobilitas dolum interpretata, tractatus aliquamdiu protraxit, atq; interim sacrum ac civile aulicum Tribunal & utriúsque administros Civitate egredi, & *Dulmaniam* transferri jussit Princeps.

Comitia Coesfeldiensia.

Drachterus iterum abit in Hollandiâ.

Tribunalia transferuntur Dulmaniam.

At

1657. 30. *Mallingcrotius in Westphaliam redux.*

At verò *Mallingcrotius*, à quo tempore Monasterio abfuerat, tametsi litterariâ subindè pugnâ certare, quiescere tamen visus; perspectis populi studiis, & fortè per eos dies privatâ quorundam invitatione allectus, urgente cumprimis ob rerum penuriam necessitate, aleam, quam jecerat triennio antè, subire denuò tentavit. In pervigilio D. Jacobi auditur sub noctem ante portas subsistere, aditumque in Urbem postulare. Commota mox, suspensáque Civitas erat, nec pauci cum plausu ingressum præstolabantur. Senatus pacti Schoneflitani memor per binos importunum tunc aditum causatus, nec eum quidem concedere ausus, suadere, ut Civitate *Frustrà tentat intrare Monasterium.* præteritâ aliò migret, sibique ac suæ consulat securitati. Ergo ab iis, qui invitârant, expertus jam deseri, desperato ingressu, deploratâque humanæ conditionis inconstantiâ, ad *Ewaldum Gigantem* S. Mauritij extra muros Canonicum, Joannis Gigantis medicæ, multarumq; artium peritissimi filium, eâ nocte divertit. Interea Prætoriani, quos Princeps de itinere, deque adventu ejus jam certior emiserat, industrij vestigatores, postquam istis in ædibus virum offendunt, jussi reverenter eum habere, aperto circumstant capite, petuntque imperio Principis comitari non *Capitur & duci-* se gravet. Igitur postulatâ cerevisiâ, in

1657. *tur Ottenſteinam.*

Principis ſalutem ipſo præeunte cum Prætorianis epotâ, *Gigantem* affatur, *Monaſterienſium Annalibus, ac poſteris conſignatum iri, Domi tuæ captum aliquando Cathedralis Eccleſiæ Decanum.* Conſcenſo exindè equo in arcem *Ottenſteinenſem* abductus eo demùm die didicit, neminem ingenio ac genio nimiùm fidere oportere; quá nque rarò ſubjecti, quales quales etiam, contra Dominantes impunè obnitantur. Hoc uno felix, quod quacúnque curarum ac controverſiarum mole exutus, ſolâque Principis clementiâ ac liberalitate lautè, benigneque habitus, reliquum vitæ terminârit.

31. *Vicariorum Imperij monitoria ad Civitatem.*

Jamque emanârant litteræ à *Ferdinando Maria Bavaro & Joanne Georgio Secundo Saxone*, Electoribus, ceu *Imperij Vicariis*, ad Principis querimoniam, Senatui quintâ Junij exaratæ, quibus uti Monaſterienſem populum confidere ſe ajunt, promptè collaturum, quidquid exigere poſſit conſtans Imperij præſentis incolumitas, ita nolle arbitrari, occaſione privatæ litis ad alios Germaniæ aut exterarum etiam Rerump. Ordines recurſurum; nihilò-tamen minùs pro Vicariatu, quem gerant, hortari ſe, ut quod aliàs decrevit Cæſar, effectum dent, & à peregrinæ opis ac ſuppetiarum ſollicitatione ſe prorſus contineant, ne cauſa ſint publico quietis turba-

1657.

turbamento, iisq; incommodis, quæ difficilem admittant purgationem, sed pœnas post se trahant Imperij lege definitas.

Princeps edito vulgat libellũ.

Et ipse Princeps edito in vulgus libello, postquam *jus præsidij multâ Legum ac Jurisperitorum authoritate Principibus vindicat, & pleraque exaggerat jam enarrata, patienter hactenùs tulisse se testatur tot Monasterienſium protervias, petulantias, novitates; ac dein plura conglomerans subjungit, ausos propriâ lubidine, non Cives tantùm sed & Diœcesis incolas insolitis dudum gravare exactionibus; ære alieno immensùm obstringere Civitatem; pulveris tormentarij, qui ad Principatum spectaret, nuperæ avectioni impedimento esse; accisarum Vectigalis solutionem temeriter pernegare; in publicis, privatisq; scriptis apud Cæsarem, apud Imperij Tribunalia, & plures, omnis quasi immemores obligationis, debitum sibi ceu Principi honorem non habere. Ministros suos, ipsosq; Cathedrales Canonicos injuriosius tractari; imò istis diebus Adolphum Heidenricum* Drostium *ex Vischering Canonicum, in ipso portarum Urbis vestibulo, indignè jussum attineri, & famulitio ex equis descendere coacto, inter contumelias ad ædes Consulis deductum, auditúmque, tametsi*

1657. causa iniquitatim (ereptum scilicet juveni, quo tractu Collegium Cathedrale jus dicit, illicitè venanti sclopum) modestè explicabat; obtinere tamen haud potuisse, ut herum famulus per plateas sociârit, sed illo solum dimisso, hunc cum equis Cives retinendum curâsse; aliâque id genus plura, quæ specie quidem tuendæ libertatis ac privilegiorum patrata civis divulget, re autem verâ pertinacem esse contumacium duntaxat animorum protervitatem, cui fatali tandem completâ periodo quandóq; succumbant, nisi meliorem adepti mentem tempestivè respiscant. Ex veterum namque monumentis liquere, singulis propè seculis seditiosam fuisse Civitatem. Visa nunc iterùm hujusmodi pericula, solâ propitii Numinis benignitate, prodigio non uno præmoneri. Ineensam ipso Paraseeves die turrim, nitrei pulveris receptaculum, tectóque jam consumpto, solâ quorundam Religiosorum fide, mirè præservatam; stragem Civitatis ex fornicatâ turri alterâ, ipsa commemorationis D. Pauli festo funditus eversâ. Et hanc & plures fulmine ab alto tactas, frequentesq; adium deflagrationes, portenta esse, quibus Urbium excidia non rarò præmonstrata sint. Se quidem iniquè hactenùs & innocenter

1657.

nocenter convitiis Monasterienſium, Orbe propè toto, infamem audiiſſe; cauſámque habuiſſe non unam ſeveriora ſtatuendi; at ſolâ ſpe melioris lactatum intermiſiſſe. Nunc verò, cum tot experimentis luſum ſe videat, ſperare actiones ſuas, ſi quas naturalis ratio, jura gentium, leges ſacræ ac profanæ, fas & æquum, ipſorúmque præcedentium temporum exempla ſuggeſſerint, neminem non probaturum.

Sub hæc Confœderati Principes Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſis ac Neoburgicus iteratum Monasterienſis Civitatis ad Batavos recurſum edocti; quod ſacram ædem ſollicitato eorum præſidio cum Religionis pariter ac ſubjectionis diſcrimine oblatam crederent, dolerentque implorari Remp. extra Imperij, ſuo jam capite viduati fines ſitam; ſe verò & ipſos Imperij Vicarios præteriri; moræ impatientes *Chriſtophoro Bernardo* ſuadent, ut interceptis dum redirent, Civium Ablegatis, perduellem Urbem arctiſſimâ obſidione cinctam, vi ac armis ad obedientiam compellat, ſubſidiario cum milite ad diem præſto ſe futuros. 32. *Principes confœderati ſuadent obſidionem Civitatis.*

Ex eo Princeps animoſior ad obſidendam Urbem cuncta parat. Miles equeſtris ac pedeſtris multus legitur; tyrones intermiſcentur Veteranis; armantur rurico-

Ad quã omnia præparantur.

læ;

1657. læ; globorum, pyrobolorum, ac machinarum ingentem numerum pluribus in officinis clam fudi, fierique facit, & bellicum omnem sic apparatum instruit, quò susceptâ celeriter expeditione, Civitatem istiusmodi nihil expectantem feliciùs aggrediatur, aut terriculamentis, aut viribus ad obsequium adigendam. *Christophoro Bernardo* istæc moliente, Nicolaus *Drachterus* Hugâ-Batavorum redux, dum

Drachterus capitur. præfidentiâ sui, rectâ Monasterium cogitat, in pervigilio D. Laurentij ad pontem limitaneum (*Glanerbruck* dictum) in equestrem Principis manipulum incidit, & confestim interceptus primùm *Coesfeldiam*, indè mox *Ahusiam*, ac post in arcem *Ottensteinam* custodiendus amandatur. Is

Civitas eum frustrà repetit. nuncius utprimùm postero die Civitatem pervadit, sub alteram à meridie horam omnes Urbis portæ occludantur, & Tubicen mox expeditur *Coesfeldiam*, qui capti liberationem exposcat. Sed hic biduò post reversus frustrà id expectari docet, ac præterea mandatum profert, quo Pro-Tribunum *Benthon* ac plures in chartâ descriptos statim ex Urbe dimitti Princeps jubet. Verùm communi senatusconsulto statutum fuit, neminem dimittere

Plures contrà ante restitutam *Drachtero* libertatem. Ita præsentibus in Urbe evadendi facultas ac spes omnis præcisa est. Erant autem

Schel-

1657.

Schellius S. Mauritij Præpositus, *Mallingcrotius* Cellarius, *Schorlemmerus* & *Westerholtius* Canonici Cathedrales; post ProTribunum *Benthon* duo egregij machinarum bellicarum Libratores; Studiorum item, scholarúmque alumni, quos inter primorum de nobilitate filij & ipsius Principis duo ex Fratre nepotes. Spargit interea rumor adventare subsidiarias Confœderatorum Principum copias; In *Schonefitana* arce, pagisque *Grevonia* & *Haveckesbecka* dies, noctésque pinsi assiduè panem, & cerevisiam coqui; in arma cogi rusticos; institui armilustria; *Alpham* fluvium, ad trajectum in ericeto *Sentropiano*, firmiore sterni ponte ac præsidio firmari: Enimverò nulli ampliùs dubium esse potuit Urbi vim imminere. Quare & contra à Monasterienſibus arma parari cæptum est, & quidquid defensioni favere potuit, strenuè curatum. Inprimis auctus præsidiariorum numerus: cohortes duæ ad tympani motum conscriptæ, quas facilè complevit eorum concursus, qui improvisâ portarum obseratione, etiam ex rusticis intercluſi Urbe continebantur. Uni præficiunt *Staelium* equitum olim Magistrum, alteri *Lepperum* Centurionem. Binæ hæ veteranorum *Wittenbergij*, militiæ Præfecti, & *Sprengeri* centuriis adjunctæ, conflabant numerum quadringentorum

in Urbe attinet.

Principis apparatus ad obsidionem.

Monasterienſium ad defensionem.

1657. torum ferè capitum. Juventus ipsa armis ferendis apta, in duas pariter cohortes distributa. Accedente ex prævalidis duodecim cohortibus Civium numero, recensebantur defensores, universim circiter septem mille. Habito decimâ nonâ Augusti delectu in Curia Civitati fidem dicunt. Et postquam in hortis suburbanis ad teli jactum eversæ sepes, dumi, portæ, viridaria, carectáque omnia, quæ in latibula valere possent, certatim amputata sunt; vimineos fasces, ac palos, operâ curruum facilè quadraginta, in Urbem importàrunt. Machinæ bellicæ, ferè centum, aptis per valla locis dispositæ. Ex lustratis Canonicorum Cathedralium & suspectorum quorundam ædibus sublatum, quidquid armorum deprehensum est. Egentioribus, ne victui quærendo ab excubiis se subducerent, annona ex publico assignata. Horologiorum usu nocte interdictū. Deniq; objectu aggerū, & ingentium repagulorum mole, influentis in Urbem *Alphæ* cursum sistunt, ut stagnans ita antè muros flumen per vicina prata latiùs diffusum, hostilem ex eâ parte accessum impediret.

33. *Civitas obsidetur.* Cúmque ita dies aliquot hinc obsidendæ, indè propugnandæ Civitati utrinq; prælusum esset, S. Bernardi festâ luce Urbs obsideri cæpta est. Peditatus Moguntinus & Trevirensis sub *Lucâ Spickio*, infra Ericetum *Sentropianum* ad Alpham; ponè hos

hos ad lævam Colonienſis ſub *Lansbergio*, tum Neoburgicus ſub *Goltſteinio*, inde Monaſterienſis ſub *Remuntio* caſtra metantur, copiis ad Villam uſque *Judaicam* explicatis. Duces ij omnes erant Generales Vigiliarum Præfecti. Iſtos tegebat equitatûs pars, ſub *Korffio* Colonienſi tunc Pro-Tribuno, reliquus verò ad alterum Urbis ſitum translatus; in *Hiltrup* ſub *Wamboltio* Pro Tribuno Moguntinenſi; in vicinis iſthic locis Trevirenſis ſub *Petro* Equitum Magiſtro; in *Nobiskrug* ad trajectum *Weſæ* amnis ſub altero *Lansbergio* Pro-Chiliarchâ, & *Nagelio* inter Neoburgicos Equitum Ductore ſtativa fixerant. Omnibus his præerat *Cratzius* Monaſterienſium Equitum Tribunus, cui parebant etiam, quotquot ex eodem Urbis latere caſtra poſuerant ruſticorum millia, & erectas ad viarum divertia munitiunculas inſidebant; quique miles ſanctorum Ægidij, Ludgeri, Servatij, Mauritij & Salvatoris ſeu *Horſtianam* portas obſervabat. Obſidentium novem mille creditî ſunt, nec eum unquam numerum exceſſiſſe. 1657.

Alterâ poſt cinctam ſic Urbem die, Tubicinem denuò mittit Princeps, qui poſtulatam nuper quorundam ex Urbe dimiſſionem repetit, ac deinde ſciſcitatur, ſintne parati Monaſterienſes Principem ſuum cum aulico Comitatu & militari præſidio *Principis poſtulata.*

1657. sidio statim recipere. At prompti respondent neminem antè dimissum iri, quam *Drachterus* Urbis Syndicus restitutus sit pristinæ libertati; super jure præsidij litem in supremo Imperij Dicasterio indecisam pendere, eius terminationem utrique parti patienter expectandam esse. Egressi postridiè è porta Beatæ Virginis & vicinâ (à Villa Judæorum nuncupata) Civium, adolescentum & militum nonnulli ab Equitatu isthic excubante mox cinguntur, nec tametsi strenuè se defendebant Urbani, à periculo aberant, donec *Wittenbergio* expedita cum manu accurrente, aliisque super alios in subsidium utrinque venientibus post acre certamen, sub præsidio tormentorum feliciùs in Urbem reducuntur. Dum fodiendis ad Urbem accessibus & erigendis machinarum suggestibus obsidentes biduum occupantur, Urbs *Nienhusium* & *Kannegieterum* Senatores in Hollandiam ablegat, à Batavorum Rep. ceu Hanseaticarum protectrice, suppetias exoratum.

Monasterienses sententiam *Drachterus* Urbis Syndicus restitutus sit pristinæ libertati; super jure præsidij litem in supremo Imperij Dicasterio indecisam pendere, eius terminationem utrique parti patienter expectandam esse.

Eruptio prima. Egressi postridiè è porta Beatæ Virginis & vicinâ (à Villa Judæorum nuncupata) Civium, adolescentum & militum nonnulli ab Equitatu isthic excubante mox cinguntur, nec tametsi strenuè se defendebant Urbani, à periculo aberant, donec *Wittenbergio* expedita cum manu accurrente, aliisque super alios in subsidium utrinque venientibus post acre certamen, sub præsidio tormentorum feliciùs in Urbem reducuntur.

Monasterienses novos ablegant in Hollandiam. Dum fodiendis ad Urbem accessibus & erigendis machinarum suggestibus obsidentes biduum occupantur, Urbs *Nienhusium* & *Kannegieterum* Senatores in Hollandiam ablegat, à Batavorum Rep. ceu Hanseaticarum protectrice, suppetias exoratum.

34. *Civitas machinis infestatur.* Sextus & vigesimus Augusti dies erat, quo sub auroram ingens adeò è machinis globorum ac pyrobolorum obsessis incubuit tempestas, ut quatefacta tam horribili fragore Civitas, brevissimo tempore portam Beatæ Virginis, ac confines illi sacras, profanásque ædes attonita spectarit miserabili strage devastatas. Dumq; laxatis

laxatis continuè tormentis frangere suggestus obsessi contra nituntur, reboantium tot machinarum stridor, quaquaversùm cælum, terrámque implebat. Die proxima & deinceps pyroboli succesſerunt, qui quocúnq; missi, in templorum, domuum, horreorum ruinas, ignes, flammas & incendia crepuêre. Hanc inter primos calamitatem senserunt Ædes Equitum *S. Georgii* Teutonicorum; & Vestales *Ægidianæ*, quas pilarum sævitia tecta, murósque Cœnobij continuè terebrantium, statim mutare sedem & in adversâ Civitatis parte apud *Nyssingianas* tantisper eligere tutiorem coegit. 1657.

Nova Principis postulata.

Civitate militari isthoc fervore triduo jam incessanter agitatâ, insueto Princeps tonitruum istorum fragore territos Cives, motósque præsente hominum, ædium ac templorum miserabili ruinâ, existimans animos posuisse, Tubicinem mittit, ac litteras, quibus ad maturam Cives deditionem hortatur, ni pati velint diriora; molestias enim hactenùs visas paternæ tantùm commonitionis indicia fuisse. Verùm Monasterienses sui tenaces propositi, confisos se respondent, si porro impetantur, tam justæ defensioni nequaquam defore, ipso hucúsq; experimento propitium Numen. Ne verò Princeps parvi æstimet illatum hactenùs Civitati damnum, adjun-

Monasterienſium responſio.

1657. gunt quorundam Ecclesiasticorum, & ipsius *S. Ægidij* Antistitæ lamenta, sortem suam adeò miseram deplorantium. Dimisso sic Tubicine, vixque ad castra digresso, horrendum mox è tribus suggestibus iterùm tormenta mugiunt non modicâ multorum clade. Id dum continuatur diebus post secutis, Monasterienses haud minùs feriantur. Ingens vis pyrij pulveris inter SS. *Ægidij* & *Ludgeri* portas asservabatur, loco vix satis tuto. Ithuc pyrobolis collimare obsidentes dum vident, ope Religiosorum ad ædem summam transferunt, inque cellâ sub alterâ turrium fornicatâ tutiùs ponunt. Sub hæc foris plures eriguntur suggestus, è quibus propugnaculum ad portam Beatæ Virginis & alterum à *novo opere* nuncupatum opportunius dejici posset, atque ita via sterni fortalitio S. Joannis invadendo. Id intra hæc propugnacula extra vallum & fossas ita situm erat, ut utrumque latera ejus tegerent, & minorum etiam scloporum beneficio facilè propulsarent hostilem quemcunq; incursum. Huc derivari militum accessus notant; ut nudato utriusque propugnaculi vallo irruptio facilior adornetur. Occupato namque hoc fortalitio, tormentisque infesso, difficile videbatur & stationem in vallis continuare, & fossarum impletionem impedire. Quare noctes illi ac dies aliquot insumpsêre muniendo.

Continuant infestationem obsidentes.

Obsessi firmant se magis.

Divina-

1657.

Distinctis tribus foveis ac vallis sectum, palisque, sudibusque obfirmant, ut visum jam ex uno triplex munimentum, non nisi per partes invadi posse & occupari. Jactis dein cuniculis effodiunt eam lateris partem, in quam prima hostis incursio timebatur. Denique promptissimos militum imponunt, utque volentiores essent ac validiores, non largiore tantum stipendio, sed & cibo, potúque animant, è cellis Ecclesiasticorum ac Religiosorum ubertim asportato. Atque illud est fortalitium, quod omnem demum impetum stitit, & in quo velut Martis schola, pro palmâ terræ, ad ultimum usque obsidionis diem, adeò cruentè disputatum fuit, ut *asperum* postea *collem* vocitârint. Quò certiùs autem operas, accessusque obsidentium interturbarent, quod tormentorum parcimoniâ majorem fodiendi securitatem viderentur hactenùs indulsisse; certi nunc pulveris copiam in longum tempus sufficturam, ex variis propugnaculis, turribus, suggestibus in obsessores multo quam antè vehementius detonuêre, ejectúsque è duobus mortariis in foveas ingens lapidum imber non exiguo fossoribus damno fuit. Pridiè Kalendarum Septembris è stipendiariis, Civibus, juventute, voloncs centum quinquaginta ad portam *Judefeldianam*, quo loco *Denuò erumpunt.*

1657. aqua minùs alta erat, fossam transgressi, subterque ripæ crepidinem versus portam Beatæ Virginis tecti procedunt, inq; foveam, quæ ab aheno nomen traxerat, impetu facto, insidentes adoriuntur; erant ferè quinquaginta, plerisque trucidatis, paucis fugâ dilapsis, dum eques vicinus excubitor conglobari visus intercludere reditum parat, ligno receptui è vallis dato exiguâ suorum clade, in Urbem se receperunt. Eâ felicitate stimulati majore apparatu ac numero novam postridiè eruptionem meditantur, sed quod intentiore foris curâ rem geri notarent, consultiùs intermissa fuit. Cladem verò pridianam multâ pyrobolorum injectione ulti sunt obsessores, quorum sævitiâ Urbs postridiè horrendùm infestabatur.

35. *Litteræ Vicariorum Imperij ad Principem.*

Emanârant interim à *Bavaro & Saxone* Electoribus ceu Imperij Vicariis ad Præsulem litteræ hujus argumenti. *Haud dubiè recordaturum, quid occasione litis cum Monasterienſibus super jure præsidij aliàs enatæ, ad ipsiusmet instantiam, tam ipsum Monasterium, quam Lubecam, Hamburgum, Bremam Civitates pronuper dehortati sint. Nunc verò cum Monasterienses docuerint, Wilichium Tribunum jam ante ab ipso Principe ad Batavos ablegatum fuisse, pari sollicitudine inductos se quosdam e suis*

Hagam

1657.

Hagam amandare, ut quod per Hanseaticæ societatis leges sibi licere arbitrentur, consulturi securitati suæ, ad antevertenda quævis pericula Reip. istius opem implorarent, simulque probarent attentatum, quod uti cum Cæsaris decreto pugnare, ita & valdè noxium sibi esse questi sint, redeuntem scil. ex Hollandiâ Oratorem suum capi, inque custodiam duci jussum, nec etiamnum, oblatâ Civitatis cautione & ipsius Equestris Ordinis interpositione posthabitâ, libertati restitutum. Oportuisse has Monasterienſium querimonias submittere; & quoniam machinationes eæ haud convenirent Cæsaris enunciato, cui ut Monasterienses parérent, moneri ipsus antè postulârit, ideo confisos se, Oratorem Civitatis unà cum rebus suis non modo liberum dimittat, sed & ab omni hostili copiarum conductione & bellica quovis tentamento adversus Urbem se contineat; nec inter præsentem Imperij statum, miserum satis ac periculosum, novis motibus viam sternat: Verùm si quid contra Civitatem habeat, id juris ordine & secundum decreti Cæsarei dictamen prosequatur. Secùs salutem patriæ, & si porrò querelæ deferantur, ipsus Imperij leges sibi necessitatem imposituras, ex earum præscripto,

1657. *Ad eos Furſtenbergius ablegatur.*

publicæ quieti conſervandæ. At Princeps expedito poſtea ad Vicarios Imperij *Furſtenbergio*, iis actiones ſuas argumentis probare viſus eſt, ut illi acquieverint, & ipſe obſidionem continuârit. Hanc difficiliorem initio reddebat pluvius per dies multos aër; poſitis enim humili loco caſtris id imbrium frequentia incommodi conferebat, ut ex elatiore foſsâ tentatam pone cataractas aquam, non ſolùm abduci prohiberet; ſed & miles è munitiunculis & acceſſibus aliquot ejectus, alibi caſtra figere & refigere cogeretur.

Obſidio difficilis.

36. *Conventus Nobilium.*

Inter eam novercantis elementi adverſitatem nova inſuper emergebat difficultas. Convenerant magno numero Nobiles Diœceſani, qui ægre admodum intuebantur præſentem Reip. ſtatum. Nec privato contenti dolore, poſt habitam conſultationem haud diſſimulant exprobrare hujuſmodi cœpta ceu Patriæ legibus adverſa, oblato Principi libello patrio quidam ſermone, ſed hiſce propè, verbis concepto. *Recente adhuc memoriâ tenebis Celſiſſime Princeps Clementiſſime Domine, Te conſcio nec invito, nonnullos ex Ordine noſtro pronuper deſignâſſe Nos, qui ſimultatibus Celſitudinem Tuam inter & Civitatem Monaſterienſem componendis operam ſuam navarent. Jámque res feliciter capta*

Eorum querela.

ſpem

1657.

spem dederat eum propitio numine finem consequendi, qui Celsitudini Tuæ honorificus, Patriæ vero utilis credebatur: nisi in ipso statim limine ea intercidissent impedimenta, quæ conatus nostros non solum abrupêre, sed & apud non paucos, haud modicâ honoris nostri & existimationis lasione, sinistram excitârunt suspicionem, sub larvâ simulatæ in patriam pietatis, vix aliud nos, quam perplexitatis ac periculæ venatos esse. Inter hæc Celsitudo Tua Nobis, ac Urbe Monasterio, cæterisque Civitatibus (qui secundum & tertium constituimus Provinciæ Ordinem) nec conscius, nec assentientibus, in Diœcesin hanc peregrinum militem introduxit: arma ruricolis, ac maximam partem cæteris, cibariorum, uti sunt juvenci, oves, petasones, gallinæ, fœnum, avena, & id genus annonæ plura, curruúmque, equorum, ac bellici apparatûs procuratio, non secus ac in hostico, sub comminatione militaris executionis imperata; agricolæ, eorúmque servi partim violentâ manu, partim inaudito, nec ipsis unquam belli temporibus in hac terra exercito modo, militiæ nomen dare compulsi, non alium in finem, quam ut Civitas Monasteriensis (quæ tamen hactenùs nec ab Augusto Cæsare

gloriosæ recordationis, nec ab Electoribus Imperij Vicariis, veluti supremis Judicibus proscripta vel condemnata sit) vi, armis, ferro, igne expugnari & subiugari posset. Cum autem primò *Clementissime Princeps & Domine, ipsum à Celsitudine Tua, ac Prædecessoribus Diœcesis, adstipulante Cathedralitio Senatu non minus, quam ab Imperatoribus Romanis confirmatum Patriæ privilegium, ad cætera non solùm contineat hanc verborum formulam* (neque bellum, néque pacem, nec fœdera cum ullo inibimus, aut paciscemur, sine consensu Capituli nostri Cathedralis, & reliquorum Patriæ Ordinum) *sed eodem præterea cautum sit: nihil Principem adversùs Nobilitatem ac Civitates ad Comitia evocari solitas tentaturum unquam, quod non jure sibi fuerit adjudicatum. Et* secundò *in proximis Comitiis Coesfeldiæ habitis expressè conclusum sit, omni novâ militum conscriptione supersederi, ac veterum tantummodò copiarum supplemento, dimidium Paræcialis contributionis, anticipatione quadam impendi oportere. Tertiò quóque super controversiis inter Celsitudinem Tuam & Civitatem Monasterienſem coram Tribunali Cæsareo lis adhuc indecisa pendeat, ibidemque*

non

1657.

non solum Civitati certus probandi terminus Imperiali decreto præfixus, sed & cognitio periculi & causæ (si forsan interea necessitas exigeret, numerosius ut Urbi præsidium imponeretur) Celsitudini Tuæ unâ cum Ordinibus delata sit; Hucusque tamen de periculo hujusmodi, quantum quidem Monasterienses attinet, nihil ad aures nostras delatum aut Nobis propositum fuerit, multò minùs super eo ab Ordinibus aliquid determinatum. Impulit nos rei gravitas hoc ipsum debitâ cum reverentia oculis Tuæ Celsitudinis subjicere, ut tenorem & privilegij nostri & decreti Cæsarei clementissimè perpendat; ac simul pro sollicitudine paternâ meditatiùs consideret, quid non periculi, damni, mali exempli tam universa Patria, quam singuli eiusdem Status, membra & incolæ ex hisce motibus timere habeant; præsertim cum ex præteritorum bellorum diuturnitate, sudor plusquam sanguineus, nec dum planè absterssus sit, & novis nunc iterùm tumultibus involvantur; Monasterium Urbs prorsus deformetur; átque intra ipsius mœnia tot in utróque sexu DEO devoti, tot ædes sacræ, Collegia, Cœnobia, Nosocomia, & Nobilium Domus periclitentur; tantum sanguinis innoxij profundatur; tot viduæ & orphani, quo-

1657. rum lamenta nubes penetrant, amissos conjuges & parentes suos deplorent; tot villæ, tot prædia, quæ inculta hactenus & magna ex parte adhuc deserta sunt, magis desolentur; agrorum cultus, potior nempe patriæ salus interturbetur, & ipsi Nobilitati servitiorum præstatio tam utilis, quam necessaria, adeo innocenti subtrahatur: Et quod est amplius, vicinos ac plures in hæc turbamenta vigilanter intentos esse constet, quorum adjumento tertius quisquam cum ipsâ subditorum & posterorum omnium æternâ pernicie haud segniter abuti posset. Quas enim calamitates post se trahere consueverit una capitis & membrorum dissensio, collisióq; hac ætate nostrâ (ne ex superioribus exempla repetamus) satis documenti Romanum Nobis Imperium dedit: Et adhuc hodiè experimento est, potentissimum Sarmatiæ Regnum, adminiculante solo Regem inter & Ordines civili dissidio, patefactis hosti externo portis, in dirissimam vastitatem & excidium sui præceps datum. Nec unquam Bremensis Archi-Episcopatus sine controversiâ Metropolitanum, Canonicos & Cives inter, alienas ad manus, inq; profani Ducis possessionem transiisset. Quantùm è contra valeat concordia ac mutua fides,

unum

1657.

unum Confœderati Belgij exemplum (ut alia omittamus) luce clarius ostendit. Hac solâ in tantam & formidabilem adeò excrevit Remp. quod ipsum abundè testatur hodiedum impressa nummis hæc epigraphe. Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ magnæ dilabuntur.

Quapropter supplices oramus, Celsitudo Tua illatum Monasterienſibus, sinè præscitu, sine assensu nostro, præsens bellum confestim dissolvat; externis copiis missionem imperet; neq; justitiæ cursum in Curiâ Imperiali sistat; neq; Nos, neq; Monasterium aut reliquas Civitates hujus Principatûs, contra firmata tam sancte privilegia & jura pristina, ullatenùs contristet; sed erga Monasterienses pacificum induat animum, ut Patris in filios, ut Principis in subditos, ut Pastoris in oves; agricolas nostros ab imperatis militiæ laboribus ad rem rusticam, domumq; redire jubeat; hebdomadariis illis exactionibus, in quas nos non consensimus, ac violentæ militum conquisitioni seriò finem imponat; Nos denique ac nostros, publicâ totius Imperij pace, tam carè emptâ, gaudere pariter ac frui sinat. Quod si verò præter spem & expectationem ha preces locum non inveniant, humillimè protestamur, quidquid ex eo infortunij vel adver-

1657. *adversitatis, Celsitudini Tuæ & Provinciæ huic forte contigerit inferri, innoxios Nos fore, nec quidquam à Nobis prætermissum esse, quod devoto ab Ordine postulár t muneris obligatio; qui Celsitudini Tuæ ab inito Principatu fidem suam continuò probavit, nec passus est unquam desiderari, quidquid cedere potuit in Celsitudinis Tuæ vel Diœcesis hujus utilitatem; átq; hisce pacificam Celsitudini Tuæ administrationem devotissimè precamur, uti*

Celsitudinis Tuæ

Humillimi & Obedientissimi

Ex equestri Ordine

Ferdinandus Baro de *Morrien* Marschallus hæreditarius.

Wilhelmus Theodorus Baro de *Wendt.*

Joannes â *Reck.*

Ferdinandus â *Nagel.*

Stephanus *Valcke.*

Engelbertus â *Langen.*

Joachimus Rudolphus â *Baeck.*

Theodorus Henricus â *Bergen.*

Longinus â *Münster.*

Joannes Henricus ab *Aschebeng.*

Ferdinandus â *Raesfelt.*

Joachimus Gilbertus *Freitag.*

Joannes â *Graes.*

Henricus Wiricus â *Münster.*

Joannes Henricus â *Reede.*

Theo-

1657.

Theodorus Henricus ab *Aſcheberg.*
Wernerus *Dorth.*
Adolphus â *Nagel.*
Rembertus â *Mallingcrott.*
Erneſtus Heidenricus â *Weſterholt.*
Bernardus Theodorus â *Reck.*
Joannes Henricus â *Remme.*
Conradus â *Medevort.*
W. A. Comes de *Flodorff.*
Carolus Wilhelmus *Ripperda.*
Caſparus Hermannus ab *Ohr.*
Joannes Conradus Fridericus *Wulff.*
Stephanus Theodorus *Torck.*
Wilhelmus â *Morrien.*
Henricus ab *Haren.*
Mauritius â *Scleppegril.*
Rudolphus Lubertus â *Mönninck.*
Bernardus â *Kobrinck.*
Conradus Gerardus â *Grothauß.*
Theodorus Gisbertus â *Morrien.*
Joannes Fridericus ab *Oeffen.*

Erat fœtus is multorum opinione æquò acerbior, qualem exhibere Principibus haud ſubſiditos decere arbitrabantur. Nec decrant ipſos inter Nobiles, qui ſubſcriptionem non inviti ſubterfugiſſent, ſi per ullum licuiſſet colorem honeſtatis. At verò ut ignaviæ notam effugerent, neque objici poſſet aliquandò, nec cordi fuiſſe nec curæ, patriæ ſalutem, quam ab hiſce conatibus pendere plurimùm exiſtimabant,

1657. bant, urgerentúrque magis, movente se nunc, ut nunciabatur, Hollandorum Rep. præeuntium exemplo stimulati, quotquot hic nominantur, libellum signavêre. Nemo Satraparum interfuit, qui ex injunctis sibi officiis jurisjurandi religionem causati, absentiâ suâ invidiam Principis ac Collegij Cathedralis tutiùs declinârunt.

37. *Responsum Principis.*

Princeps interim haud diu cunctatus Nobilitati respondet in hunc sensum. *Nihil se adeo curâsse unquam, quam ut verè paternâ sollicitudine consuleret suorum tranquillitati. Concordiæ & quietis avidiss. mam fuisse semper. Nunc verò diuturnâ Monasteriensium obstinatione quodammodò raptum se, ut pœnam hanc, tametsi acerbam, illis inferre deberet. Nec enim spei quidquam superfuisse, ut leniore medicinâ Cives ad animi sanitatem reducerentur, qui præfracte adeò & contumaciter tam diu ausi repugnare. Cum potentioribus fœdera inire, militem conscribere, subditis si ratio vel necessitas ita tulerit, arma imperare, quæque isthuc pertinent ex datis à Cæsare Regalibus proprium esse, & absq; omni Ordinum injuriâ, competere Principum potestati. Litium se inter & Monasterienses cognitionem, ad Imperatoris Tribunal delatam, Urbi amplius non prodesse; qua posthabitâ Cæsa-*

1657.

Cæsaris & Imperij authoritate, non sine periculo Religionis, præsumpserit implorare vires exterorum. Quibus proinde malis ut tempestive occurrat, non permissurum se, ut præsens occupandæ Civitatis occasio è manibus dilabatur. Id tametsi cum aliquorum incommodo conjunctum sit, sibi tamen nec posse, nec debere imputari; ac nihilominùs curaturum, ut quam minimè fiat, aut fortè factum, quoad fieri potest, aliquandò reparetur. Nobilium esse in unam hanc, communémq; patriæ salutem, & studia sua, & vires conferre; nec eorum animos alienari oportere ex vano metu periculi imminentis. Interea concreditæ sibi Ecclesiæ ac patriæ quietem, curæ semper ac cordi futuram.

Nobiles resumunt tractatus cum Urbe.

Ipso tandem iteratis Nobilium precibus annuente, cæptam nuper interpositionem resumunt Delegati. Sub diem sextum Septembris, inter Civitatis mœnia & vallum, ad D. Ludgeri portam admissi reducendæ pacis telam ordiuntur: iidem ipsi erant, qui nuper, sed *Baroni de Velen* inter hæc è vivis sublato sufficerant Stephanum *Valckium ex Rokel.*

Hanc Principes Con-

Postridie Tubicen in Urbem mittitur, cum litteris Confœderatorum Principum Moguntini, Colonienſis, Trevirensis ac Ducis

1657. *fœderati hortantur ad deditionem.*

Ducis Neoburgici; quibus illi unâ voce Civitatem hortantur, *ut ſpontaneâ deditione majoribus damnis antevertat. Sibi enim fixum, ſtatutumq; eſſe, ab Urbe non decedere, niſi in poteſtatem redactâ. Quocirca ſi obſtinate pergant obſequium Principi ſuo pernegare, adducto mox majore copiarum numero ab invitis extortum iri, quod volentes excuſârint. Exemplum námq; ſtatuendum uni Civitati, quod deterreat reliquas, ne præeuntis inſolentiam ſequantur.*

Reſpondet Civitas.

Tubicine in alterum diem expectare juſſo, poſt deductam cauſæ ſuæ æquitatem reſpondet Senatus *mirari ſe, innoxiæ Civitati hactenùs inauditæ, minùs damnatæ vim tantam inferri, nullíuſq; conſciam, convictamve in Antiſtitem ſuum delicti, tractari non ſecùs, ac ſi publico Judicis decreto rebellionis rea acta eſſet; cum tamen omnis, quæ ab inito Schonefeldiano contractu cum Principe intercedit controverſia, coram Cæſareo Tribunali ſub juris actione pendeat; ejuſq; legitimæ deciſioni Cives lubenter acquieturos, ſed quæ ad nullum, præterquam ſupremum Imperij caput ſpectare dignoſcatur. Quare non immeritò ſummè dolere ſibi, ita Barbarorum more relictâ juris ac juſtitiæ ſemitâ ad arma convolatum eſſe. Nec*

tamen

1657.

tamen idcirco Cives animo deficere, aut minis istis territari, ut æquitati causa suæ diffidant, quin potius vel ideò majore fiduciâ & DEI bonitate stimulati, his quóq; malis finem brevi præstolentur. Atque ita expeditum Tubicinem ad Confœderatos Principes remittunt.

38. *Batavi offerunt interpositionem.*

Per idem tempus Uniti Belgij Ordines interpositionem suam tam Principi offerunt quam Civitati ; & quamvis Tubicen Batavus destinatas ab Ordinibus ad Civitatem litteras cuperet ipsus non minùs quam ad Præsulem præsens transferre, prohibitus tamen pati debuit, ut post aliquot dies jussu Principis aliâ viâ in Urbem delatæ sint. Ægrè tulerunt negatum Tubicini aditum Monasterienses, & ægriùs Hollandiæ Ordines, quod priùs referâsse Principem litteras etiam persuaderentur. Oblatam à Batavorum Rep. interpositionem grato, lubentíque animo amplecti se respondet Civitas , Princeps verò humanis eam verbis excusavit, quod hanc ipsam dudum provinciam Patriæ Nobilitas in se susceptsset, nec liceret sibi, sine confœderatorum & Imperij Principum scitu, in sopiendâ hac controversiâ admittere authoritatem exterorum. Hollandi nihilominùs eam utrobíque admitti oportere, eóq; sine Legationem decernunt.

Quam Princeps excusat.

Sub hæc Nobilitatis delegati negotium

1657. *Nobilitas urget compositionem.*

pacis urgent, missisque in Urbem litteris publicæ securitatis diem statuunt & locum, suburbanam Cathedralis Collegij Domum *Geistam*. Nominantur è Senatu *Wittfeldius* & *Keppelius* Jurisconsulti, è domo Tribunitia *Soestius* & Christianus *Moderſohnius*, ex communitate *Buckius* Senior, itidem Jurisperitus, qui cum delegatis Nobilium opus inchoarent. Nemo horum non maluisset injunctum onus subterfugere, quod scirent pleróque de plebe nunquam probaturos, quascúnque demum cum Principe conditiones paciscerentur; cum sinè Batavorum interventione, quorum ipsi authoritatem prompti jam admisissent, nollent statui quidquam aut terminari; Hos enim esse Hanseaticæ societatis protectores; conventáq; eorundem interpositione pacta, firma magis ac tuta fore. Et augebatur non parum hæc persuasio ab epistolâ *Niehusij* his diebus ad Urbem perlatâ, quâ Civibus ad constantiam animatis certam spem faciebat opis ex Hollandiâ propediem adsturæ. Is indè redux Osnabrugi subsistens è propinquo rem Civitatis curabat, *Kannegietero* interea Amstelodami adhuc & Hagæ Comitis auxilium exorante.

Sed spes auxilij Hollandici protrahit.

39. *Tentatur porta Horstiana,*

Cujus expectatio dum primis diebus negotium compositionis protrahit, portam *Horstianam*, sub noctem ante tertium

tium & decimum Septembris stratagemate adoriuntur obsidentes. Erat ea à loco, quo Civitas oppugnabatur, ferè remotior, & beneficio interfluentis Alpnæ quodammodo secura, ut quietiùs isthic dicerentur excubare. Sed præter repagulum unum alterúmve, ac pontem deciduum, sæpè nec attrahi solitum, nec accessu difficilem vix quidquam impedimenti obstabat, quo minùs effractis, perruptísque iis valla ipsa ac propugnacula cum tormentis invadi, teneríque possent. Ex ea postquam paulo antè Tabellarius Hollandicus & nonnulli exploratores pro more emissi essent, attracto rursus ponte, portâque sollicitè obseratâ; sub horam noctis secundam ducenti pedites, equitésque, duce *Honerpico* appropinquant scalis, ferris, machinisque necessariis instructi; prioris repaguli portulam admoto crepitaculo (*petardam* nominant) feliciter effringunt, ponti jam viciniores. Sed excitati sonoris vehementiâ qui isthic excubabant, dum arma inclamant & hostem, concursantes è vicinis statim excubiis, è vallis & foro armati, miles & civis, aggressores sistunt, tormentisque in eos ac sclopis horrendùm mox fulminantes, loco pellunt ac fugant. 1657 *ta Horstiana sed frustrâ.*

Altero ab Idibus Septembris die novam propugnaculi, *Asperi Collis*, aggressionem parant. Fortè ex capto propridiè *Oppugnatur aliorum asper collis.*

1657. ad portam Horſtianam Cive intellexerant mediam Civium partem octavâ matutinâ ſolitam è vallis ad quietem domum abſcedere, & redire ſub veſperum. Enimverò hoc ipſum tempus opportuniſſimum rati, cuniculum ſub fronte fortalitij ab Urbico milite inſeſsâ ſuffoſſum accendunt. Sed eventu non ſatis proſpero. Nam humus ignìariæ machinationis vi diſrupta non paucos eorum, qui fortalitio, per tres in foſsâ erectos ex tempore ponticulos, invadendo accincti ſtabant, improviſos obruit, vivóſque contumulavit. Nec tamen ideò ſegnior *Hordeckius* Moguntinenſis militiæ ductor, ſuos cohortatus vallum ipſe animosè tranſilit, ac nonnulli ſtrenuè ſecuti, dum locum deſertum vident, feliciter occupatum rati, victoriam inclamant. Sed *Sprengerus* Urbanæ militiæ centurio militibus ſuis & Civium phalange ſtipatus, ſeſe mox obiicit, ac progreſſum omnem ſiſtit. Exortâ iſthic pugnâ dum aggreſſores aperti juxtà, infeſtiqúe non uno è loco deſtinatis ictibus à fronte, ac pariter à latere petuntur, ſtationem quam occupârant, coacti deſerere, è fortalitio ſe rurſum proripiunt, relictis poſt ſe quatuor occiſis & ipſo Duce *Hordeckio* fœdè deſtituto. Is multo licet vulnere ſaucius, ſuos continuè increpans ac revocans, aliquandiu ſubſiſtit, promptior generosè mori, quam

Cadit Hordeckius.

1657.

quam turpiter fugere; donec repudiatâ, quæ offerebatur, vitæ gratiâ caput sclopo trajectus occumberet. Necdum tamen omni periculo defuncta Civitas erat; collectæ mox in Castris equitum ac peditum turmæ, coronâ eam oppugnaturæ videbantur. Id utcúnque distrahendis obsessorum viribus simularent, certè ad *asperum collem* seriò actum est. Ubi instructâ acie miles aggressionem, pugnámque restaurabat, & machinæ supra quadraginta, pluribus è suggestibus valla, munimentáque Urbis incessanter lacessebant, respondentibus pari festinatione ac vehementiâ obsessis, ut Urbs continuo quiescentium nunquam tormentorum fragore concussa trepidaret. Inter hæc nova fortalitij invasio urgetur curantibus rem strenuè militiæ Præfectis, qui strictis suos gladiis ad vallum transcendendum propellunt. Sed paucis inter tot mille nec fallentes scloporum ictus ad audendum animus erat. Non deerant tamen, qui tentare ausi ac sequi intrepidè præeuntes; & quamvis effuso veluti glandium nimbo obruti aut vulnerarentur, aut caderent, justâ tamen acie miles adhuc perstabat, donec ab obsessis catenæ, scrupi ac ferri scruta, in confertum agmen è machinis jacta Ordines turbarent, cogerentque stationem petere in accessibus & subter aggeres tutiorem. Ho-

Pugna instauratur.

Oppugnantes repelluntur.

ram propè tenuit ista oppugnatio. Pauci ex obsessis, plures ex aggressoribus periêre.

Hordeckij laus. Præ reliquis luxerunt omnes *Hordeckij* Ductoris casum, qui, dum inter ambientem exercitum honori Moguntinensis militiæ datum erat facere impressionem, primas sibi obtigisse, felicitatem arbitratus præmaturè exultârat, ita posse se nunc futuro proximè Genero *Lucæ Spickio* Generali animum, virtutémque suam comprobare. Repertum est in perula defuncti epistolium. ad sponsam pridiè exaratum, quo primam ipse sortem postridianæ aggressionis mirificè prædicabat; & eam fore occasionem aut victoriæ felicis, aut mortis non indecoræ. Altero post die missus in Urbem Tympanotriba cadaver reposcit oblato quinquaginta Imperialium lytro, at Senatores decente clausum feretro gratis reddunt. Indè Coesfeldiam asportatum apud fratrem bello Hassico isthic olim extinctum deposuerunt. Ita enim superstes ipse, si cadere se contingeret, jusserat fieri obligatâ Commilitonis fide.

At verò obsidentes spe, conatúque suo frustrati, ferociùs ignitorum missilium jactus innovant, sociorum cladem ædium deflagratione compensaturi. Vesper qui divo Lamberto sacrum diem antecedebat, uti hilariorum instar festivus semper, ita nunc exitialis Civitati, funestúsque fuit.

40. *Vesperæ Lambertinæ Civitati tristes.*

Pars

1657.

Pars Urbis, quæ intacta hucúsque, néque ſtramen, neque lignum, & id genus incendiorum fomenta ſubduxerat, quaſi omnis periculi ſecura, pyrobolis quaquaversùm impetita flammam concepit ad S. Servatij portam, in Horſtianâ, Neopontanâ & D. Ægidij plateis, tot locis, tot ſimul domibus ardere viſa. Dúmque accurſantes undiq; Religioſi, & omnis ſexus homines hîc feliciùs ignem reſtinguunt, alibi flammæ humanâ induſtriâ majores ſerpunt latiùs, aut continuatis pyrobolorum jactibus erumpunt novæ. Cúmq; nemo ſuis jam ædibus fideret, templa & quidquid erat concamerationum, ciſtis, ſaccis, ſupellectilibus, quæque Vulcano erepta cupiebant, inter tumultus & lamenta curſim cernebantur compleri. Calamitas illa Civitatem totâ nocte miſerè afflictam. occupatámque tenuit; ut vigiliis ac laboribus enervati, fractique obſeſſi non immeritò crederentur. Enim verò ea obſeſſores opportunitate utendum rati, cum vix dilucuerat, *aſperum collem* novâ oppugnatione tentant. At Cives poſt tot adhuc ærumnas animoſiores, dum ad vallà & arma claſſico ê turri evocantur, caterватim accurrentes vim aggreſſorum ſiſtunt, ac trucidatis novem, feliciter denuò repellunt.

Aſper. Collis iterùm oppugnatur.

Duo ſub id tempus Tubicines à Prin-

1657. cipe & Belli-Ducibus missi litteras asportant, quibus deditionis leges Urbi præscribuntur. Bis mille præsidiarios admittat; Præfectum militiæ exauthoret; claves ad unam portam ac symbolum militare Principi cedat; electio Senatorum post hac sola sit penes Principem, sublatâ perpetuò Tribunorum ac Tribuum potestate; pro belli denique impensis ducenta Imperialium dalerorum millia numerentur. Nisi in has protinùs conditiones descendat, militari Belliduces stylo ferrum, ignem, exitium, & hæc multò quam antè diriora comminantur. At sub vesperum accedens Nobilitatis Orator mitiora defert, ac simul, ne deliberationem turbent arma, concessas Nobilium rogatu viginti & quatuor horarum inducias. Postero die post habitam in Curiâ consultationem vix aliud statutum, quam salvâ privilegiorum ac jurium libertate modicum præsidium ad tempus admitti posse, cæterùm pactis Schoneflitanis standum, ac Cæsaris Decreto. Et tametsi lapso necdum induciarum spatio, dum obsidentiũ labores obsessi conantur impedire, ruptis statim induciis, Urbs iterum terribili jaculatione quateretur, hodiernam tamen resolutionem mirè confirmavit redux ex Hollandia Tabellarius. Designatos nempè ab eâ Rep. Legatos quatuor, qui propediem adfuturi concordiam cum Principe & Civitate,

Tubicen postulata trincipis defert.

Mitiora Nobilitas.

18. *Sept.*

Et gratiora Batavi.

vitate tentent, urgeantque. Quod si à Principe eos iterùm rejici contingeret, deliberatum Hollandis justo exercitu cinctam Urbem liberare, aut præsidio majore firmatam, adversùs quemcúnque impetum tueri.

Verùm Confœderati Principes, cum machinis tantùm quati Urbem, ignibúsq; deformari, solam *asperi collis* munitiunculam impugnari, defendíque, intérque eruptiones nunc pellere, nunc pelli tantùm obsessos informantur, protractam tot hebdomades unius, & hujus quidem Civitatis obsidionem, probrum interpretati, haud omittunt moram hanc ceu temporis jacturam, segnitiémque suis exprobrare. Sed hi nimiâ gerendæ rei facilitate ostentatâ lusos se, & paucitatem copiarum, ac Civium obstinationem causati, haud difficulter veniam meruerunt. Principes igitur existimationis suæ interesse certi, ne deesse viderentur, Duce *Clarisio* novas mille armatorum suppetias mittunt; quódque Hollandorum mentem docti, ex ea parte, adversa subtimescerent, seriò monent militiæ suæ Præfectos, intentiore curâ rem agant; ac nihilominùs tentandis iterum Obsessorum animis alteras Monasterienssibus litteras scribunt. *Animo sanè benevolo & ipsius Urbis saluti consulere volentes hortatos semper, ut legitimo Principi*

41. *Confœderati Principes moram exprobrat Ducibus.*

Plures copias submittunt.

Scribunt iterùm ad Civitatem.

1657. *Principi ſuo fidem obedientiámque debitam præſtarent, præſidiúmq; non importunum, ſed tolerabile Civibus, imponi ſibi paterentur. Verùm aures ſalutaribus adeo monitis hucuſq; obtuſas, animúmq; pertinacem in capta adversùs Herum contumaciâ obduraſſe. Facili ſic negotio fieri poſſe, ut dum privilegiis, juribûſq; uti volunt, quibus non debeant, forte exuantur iis, quæ non debeantur. Sed cum adhuc omni Civitatem periculo, tumultúque exemptam, & exitium quodcúnq; tam à Civibus, quam toto Principatu Monaſterienſi procul remotum velint, eâdem benevolentiâ adactos iteratò monere, ne immerenti ſaltem ſexui, uxoribus, prolibúſque longiori obſtinatione malum gravius arceſſant, ſed præſidium haud grave, nec indecorum, non coacti ſed excipiant volentes. Fide Principum cauturos ſe, ne quid contra leges, quibus illi rectè vivant, Præſul agat; ipſóſque ſi quid jure aliquando obtineant Cives, hoc qualicúnq; obſequio nequaquam amiſſuros. Quod ſi verò contra ſpem bene conſulentibus parentes eſſe nolint, DEUM hominéſque teſtari innoxios ſe fore, quidquid porrò damni eventurum ſit. Exercitum enim Urbis obſeſſorem extrema tentaturum, átque ita ſeriò juſſum eſſe.*

Hæc

1657.

Hæc eadem, ut nihil non ſerium videretur, ab ipſo Electoris Moguntini Legato, qui per eos dies cum authoritate interponendi miſſus haud procul ab Urbe erat, Civium delegati coram audiêrunt. Is ſub initium vehementius in Civitatem invectus, quæ poſtpoſito non ſolum Principis ſui, ſed & DEI honore, ipsâque religione Catholicâ majore (neſcius) pertinaciâ, an levitate templa, ſcholas, ſacra ipſa cum fœdere Hollandis obtuliſſet; poſtquam à Conſule *Timmerſcheidio* contra aſſerente de religione ne quidem cogitatum eſſe, ac fœdus ipſum Hanſeaticæ ſocietati permiſſum, nullâ Imperij lege reprobari, longâ oratione didiciſſet, mitior factus, ut præſidium admitteret Civitas, cederétque Principi teſſeram militarem, conſultandi tempus dedit.

Moguntinus ad Urbem Legatum mittit.

42.

Jámque advenerant plures à Confœderatis copiæ auxiliares cum majore bellico apparatu. Et quia peritiores dudum ſuaſerant, ſi quidem captam Urbem vellet Princeps, oportere pluribus eam, & quibus potiſſimùm habitetur locis oppugnari, ex alterâ nunc etiam Civitatis parte adverſus portam *Horſtianam* caſtra poſuerunt. His impoſitus eſt *Lucas Spickius* Moguntinenſis militiæ Dux. Id nonnulli vel eò conſultiùs jam pridem judicârant, quod inter hunc & *Golſteinium* copiarum Neoburgici

Urbs ex alterâ etiam parte oppugnari capta.

Duce Spickio.

1657. gici Ducem, ab ipso statim obsidionis initio, haud satis convenitet. Ægriùs quippè habebat *Spickium*, quod Princeps *Golsteinio* uteretur familiariùs, cúmque in re gerendâ passim sibi præhaberet. Sed metati jam Castra molendinum, quod erat Nobilium de *Bißchoping*, admoto sub noctem igne exurunt, ut molario colli tormenta, mortariáque imponant. Ex his deinceps in valla, templa, domos fervore ac fragore immani vibratum est. Alteram quóque ad S. Mauritij, juxtà primum viæ divortium, munitionem erexêre, & observandæ isthic portæ, & tormentis pariter sustinendis aptam.

Batavis se moventibus.

Dum verò è suggestibus, vallis, propugnaculis, turribus citra sacrorum, profanorúmque discrimen magno utrinque machinarum furore debacchantur, isthinc subindè flammas excitant, hinc restinguunt, actos inter cuniculos, irruptiones, velitationes, occidunt, occiduntúrque, solo vulnerum, cædium, calamitatum incremento, movere se Batavi nunciantur.

Compositio à Nobilibus urgetur.

Princeps isthic motibus Hollandorum, hic potiundæ Urbi intentus, operâ Nobilitatis, majore nunc curâ compositionem urget, ut in quas Urbs ante descenderet conditiones, eas prudenter ipse, si forsan à Batavis premeretur, posthabitâ eorum authoritate statim amplecti posset.

Able-

Ablegaverant Confœderati Belgij Ordines è gremio suo *Henricum de Capelle* Consulem Zutphanienſem, *Abrahamum de Beveren* Ex-Consulem Dordracenum, *Rudolphum de Langen* Consulem Camponſem, quibus è Concilio suo adjunxerant *Jacobum ab Hoge*. Jámque Zutphaniam ingreſſi, miſſo Tubicine adventum Principi ſignificârant. Is toto obſidionis tempore in Caſtro *Broeck* moratus, quam primùm appropinquare Ablegatos certior ſit, *Ahuſiam* proficiſcitur, ut è via aditum in Urbem divertat, evitétque oblatam interpoſitionem. 1657. 43. *Legatio Batavorum.*

Quinto nonas Octobris egreſſi *Zutphaniâ*, poſtquam *Borculoæ* pranſi ſunt, ſub crepuſculum appulſi *Vredenam* ab Antiſtitâ loci per aulæ ſuæ Præfectum Henricum de *Spittael* Satrapam Eltinenſem perhumanè ad cœnam invitantur. Erat hæc ex Comitibus de *Salm & Reifferſcheid Maria Sophia*, Eltinenſis pariter & Borghorſtenſis Abbatiſſa, quæ poſt varia præclarè fundata, ordinatáque, dirutam à ſeculo Eccleſiam Eltinenſem ære proprio reſtauravit, & condito poſteà teſtamento, cum immortali nominis gloria ornavit, dotavit, hæredem inſtituit, méq; ſupremæ voluntatis ſuæ creavit Executorem. *Hi Zutphaniâ Vredenam.*

Legati *Ahuſiam* poſtridiè digreſſi cœnâq; ex itineris laſſitudine excuſatâ, die quintâ *Ahuſiæ à Prin-*

Octo-

1657. cipe audiuntur.

Octobris à Principe audiuntur. Summa verborum erat. *Dolenter intellexisse Confœderatarum Provinciarum Ordines semina dissensionis inter Celsitudinem suam & Civitatem Monasteriensem eo excrevisse, ut ad hostilitatem nunc & arma deventum sit.* Eorum propositio. *Esse hoc opus periculis plenum, quod apud subditos, à diuturni belli jugo, vix hactenus respirantes, non solum calamitates & excidium post se trahere, sed & vicinos etiam volentes nolentes ita posset involvere, ut pax Christiana tam carè empta, & unius DEI beneficio data, facili sic negotio pessum iret. Ponderantibus animo verè sincerò & publicæ quietis percupido rem tam arduam, simulq; vicinorum saluti ac libertati commerciorum intentis, post concordiæ tentamen, præsentius medium non occurrisse, quò malis hisce medela adferri & hæc ipsa belli scintilla in cinere sopiri posset. Ideo iussos se quæcunq; conferre officia simultatibus istiusmodi componendis, quæ mera sint commerciorum, unius Reip. nervi, turbamenta. Non diffidere se, quin Celsitudo sua unà cum Ordinibus sentiat viam hanc longè æquiorem, & Christiano digniorem esse, quam illam armorum vim, & innoxiam humani sanguinis profusionem. Præterquam*

quam quod exitus plerúmque incertos esse tam hujus ætatis, quam præcedentium seculorum exempla Celsitudini suæ apprime nota luculenter probent. Nec posse dubitari, quin hanc Reip. ceu vicinæ, ceu amicæ intentionem Celsitudo sua laudet, testetúrq; Ejusdem Ablegatis, oblatum hujusmodi interpositionem ratam gratámq; esse, ac pariter armistitium imperet, quo majore fructu ac securitate opus tam pium conficiatur. Nec aliò propendere Celsitudinis suæ animum, quam si Monasterienses mitiore viâ ad debitam subjectionem redigantur, ipsas testes esse posteriores litteras Ordinibus destinatas. Se quod attinet, omne studium, laborémq; promptè impensuros causæ tam salutari, quæ serviet promovendæ DEI gloriæ, avertendis tot animarum, corporúmq; incommodis, conservandæ commerciorum libertati, salutíq; subditorum utriusque partis procurandæ. Quidquid ab authoritate partibus non implicitâ desiderari possit, nec aliud, se fideliter præstituros. Jussos esse, hæc primum officia suæ Celsitudini, dein Monasteriensibus deferre, apud hos quoque suam sic operam collocaturos, ut tam noxiæ simultates DEI gratiâ brevi sopiantur. Respondet Princeps. Testatum de tumultu Mona-

1657.

Principis responsio.

1657. *Monasterienſi dolorem, oblatámq; unitarum Provinciarum interpoſitionem gratiùs mereri. Sibi vero vel maximo cruciatui eſſe, auſos eò contumaciæ progredi cives ſuos, unde præſentia mala emanârint. Teſtari DEUM, hominésque innocentiam ſuam: ac nihilominus brevi quóq; finem iis ſperari. Cautum eſſe legibus patriæ, quoties Præſulem inter & Ordinem Diœceſanum orta fuerit controverſia, ad cæteros, nequaquam verò externos ejus compoſitionem pertinere. Uſum hoc privilegio Equeſtrem Ordinem præſenti diſſidio manum applicâſſe, nec abeſſe procul extremam. Romano ſe Imperio ſanctè obligatum, cauſam hanc cum periculo Diœceſis ſuæ, imò Weſtphaliæ, ac Germaniæ totius conjunctam, ad Electores ac Principes Imperij detuliſſe, nec eos tantùm ad debitam ſubjectionem, obſequiúmq; Civitatem hortatos, ſed quò certiùs etiam juxta leges Imperij ad præſtandum id adigantur, copias auxiliares miſiſſe, ut profectò hac in cauſâ nihil poſſit aut debeat ipſis inſciis tractari. Iſtius prudentiæ eſſe Belgij uniti Proceres, eorúmque Ablegatos, ut vel inde facile colligant, adversùs patriæ & Imperij leges omnem agendi ademptam ſibi poteſtatem, quin potius religione ſe trahi,*

qui

1657.

qui commodum utriúsque ſpectet, nec auſu ſuo temerè nunc ſiſtat cœptam feliciter authoritate Nobilium compoſitionem. Commerciorum libertatem ſemper cordi fuiſſe; ac porrò etiam curaturum, ut non ſolum illæſa maneat, ſed & magno præterea incolarum bono ſumat incrementum. Eapropter confidere ſe, cum diſſenſio verſetur inter caput & membra, nec remota ſpes ſit illius brevi terminandæ, neminem non ejus æquitatis fore, ut rei ſe alienæ non implicet, átq; ita pariter evitet quamcunque motuum occaſionem. Ut omnis quóq; periculi alicujus ſuſpicio vicinis eximatur, militem externum ab ipſo ſtatim ſperatæ compoſitionis momento è patria abductum iri. Cæterùm quem ab inito Principatu affectum, amicitiámq; probârit ſemper, poſthac pariter religiosè culturum, nec quidquam optatius fore, quam ut cum reliquis etiam ſociatis Principibus quotidiè augeatur. Precari interea DEUM, ut præſentem Confœderatæ Reip. felicitatem non modò ſervet diu, ſed & quotidiè faciat auctiorem.

6. Octob.

Finito ſermone ad epulas itum eſt. Sed Ablegati, quò propiores eſſent Monaſterio, eodem adhuc die *Steinfurtum* pergunt Comitis ſedem; dum Principis reſpon-

44. *Legati abeunt Steinfordiã.*

1657. responsum Hagam mittunt, indè quid porrò fieri velint, jussa Provinciarum expectaturi. At verò *Christophorus Bernardus* expedito in Hollandiam *Wilichii* Confœderatorum Ordinum animos occupaturus, ipse in Castrum *Broeck*, ut eventum obsidionis, & qui sub id fervebant, tractatuum cum Civitate præsens curaret, festinato itinere revertit.

Princeps Wilichiũ mittit Hagam.

Jámque *Wilichium* Hagam appulerat actionum Reip. studiosus observator. Et quamvis primariarum Hollandiæ Urbium *Amstelodami* ac *Dorderaci* cunctatione persuasus, existimaret inutilem prorsus fore Legationem, idémq; Principi persuaderet, postridiè tamen Iduum Octobris noxiam fuisse credulitatem experitur. Hoc ipso die in solenni Ordinum consessu auditus, interpositionem à Principe negatam, sparsósq; sinistrè rumores excusârat, & si forte causæ à Legatis perscriptæ non suffeciissent, jussum se, instructúmq; qui pleniùs satisfaceret; ratus isthoc artificio moram trahi posse, cujus procrastinatio sub id Urbem traderet Principis potestati. Verùm Ordines, vix unquam promptiores, communi statim decreto eidem injungunt, abruptâ mox omni morâ declaret se & scripto quidem, admittátne vice Principis sui oblatam à Provinciis interpositionem, an recuset, ut vel ita beneficio indu-

Batavi interpositionem armatã decernunt.

1657.

induciarum controversiam Monasterienſem componant, vel decernant id, quod tam arduæ rei pondus videbitur postulare; simúlque destinatis, ad centurias peditum quinquaginta tres, equitum septem & quadraginta, nunciis pro imperio jubent, ut ad Westphaliæ fines præsto sint, & Duce Friderico Magno, *Silvarum ac Rheni Comite*, in Civitatem Monasterienſem deducant, qui nunc *Steinfurti* morentur, Reip. Ablegatos. Quódq; missо per eos dies ab his Tubicini, sollicitatum etiam aditum in Urbem Princeps negâſſet, Ordines injuriam interpretatos aut magnam certè partem vel ideò maturâſſe affirmabant tam præceps decretum. Et ne quid clam agere viderentur, Confœderatis Principibus Moguntino, Colonienſi, Trevirenſi, Neoburgico, & ipſi *Chriſtophoro Bernardo* mentem ſuam aperiunt expeditis eâdem festinatione litteris in hunc ſenſum. *Haud potuiſſe dubitari, quin oblatam animo tam ſincero, & erga publicam ſalutem, ac tranquillitatem vicinorum, quorum commoda non uno nomine etiam ſua ſint, verè Chriſtiano authoritatis ſuæ interpoſitionem non minùs Præſul, quam Civitas Monaſterienſis lubentes admiſiſſent. Eam tamen ab Epiſcopo ita hactenùs evitatam eſſe, ut ne quidem communi-*

Id Principi & Confœderatis denunciant.

1657. *municare voluerit Ablegatis ea media, quæ vel ipse judicaret utilissima fini huic assequendo. Se verò propositi tenaces, promptos adhuc, paratósq; conferre, quidquid conducere posset publicæ quieti restauranda. Eapropter injunxisse Ablegatis, ut Monasterium ipsi intrent, animos Senatorum, Civiumq; præsentiâ suâ & opportunis rationibus disposituri. Nolle se quidem dubitare, quin securum iis aditum, exitumque Præsul sollicitè curet, esse tamen prudentiæ Ablegantium & ipsarum observantiam nationum præcavere, ne Legati exponantur periculo alicujus insolentiæ militaris; expertos enim scire in hoc etiam contra Principum intentionem non rarò excedi; ideóq; consultiùs visum, si congruo militum comitatu deducantur. Oportuisse hac eum in finem significare, ut singuli intentionem tam piam docti, Præfectis militiæ, quæ circa Monasterium agit, seriò imperent, ne quid adventante milite Batavo vel a sinistrè suspicantibus, vel ab ignaris peccetur. Sicut enim nec subditum, nec militem Episcopi, néq; copias auxiliares vel minimùm offensas velint, ita summè dolituros, si quid Ablegatis adversi vel eorum comitatui illatum, traheret post se majoris incom-*

incommodi necessitatem. Certos sé, curaturos non minùs Electores ac Principes, ut his omnibus antevertatur, quam laboraturas omni studio Provincias, ut præsentes Antistitem inter & Civitatem controversiæ ad legem æquitatis & satisfactionem partium componantur. 1657.

Princeps horum omnium sat gnarus, animo tamen declinandi Batavorum interpositionem obfirmatus, maluit quamcúnque sine iis cum Civitate concordiam, quam eorum interventione semel admissâ viam sternere, qualem occurrente posthac quolibet etiam dissidio amplecti semper oporteret. Dies erat septima post decimam Octobris, quâ conventa jam ante deditionis capita placere sibi, & hoc ipso etiam die ab armis cessari posse respondet Nobilium Delegatis. Nec ij diu cunctati communicatâ statim cum Civium Apolectis Principis sui mente mox induciias paciscuntur, dato sub quartam pomeridianam pulsu majoris in Cathedrali campanæ, armistitij signo, prodromo pacis. Quam licet inquietiores nonnulli perfectam nollent sinè præsentiâ Hollandorum, prudentiorum tamen calculo Nobilitatis honori id datum, ut seclùsis Batavis, sublatâque omni simultate concordia biduano tractatu his demùm conditio-

45. *Princeps prævenit.*

Et conventam Urbis dedi-tionem admittit.

1657. *Capita deditionis, seu compositionis Geistana.*

ditionibus firmata sit. *Præteritorum quorumcúnq; excessuum sit generalis utrinq; condonatio & oblivio perpetua, excepto prorsùs nemine, cujuscunq; demum Ordinis, gradusq; fuerit, sed incluso nominatim* Wittenbergio *Protribuno ac* Drachtero *Civitatis Oratore. Captivi omnes dimittantur, & qui ex his militiæ nomen dederint, hac eâdem nihilominùs amnestiâ gaudeant. Miles externus abducatur, Diœcesanus ad sua rursum præsidia, rustici verò domum remittantur. Civitas ex Urbano milite trecentos continuet, alátque suo sumptu ad futurum proximè comitium vel Novembrem úsque. Hi (salvâ tamen lite) non minùs Principi & Ordinibus, Patriæ quam Civitati sacramentum dicant. Trecentis hisce ex militiâ Principis pedites quingenti adjungantur, qui in quatuor divisi cohortes parem cæteris fidem jurent. Hospitent quidem omnes in Urbe, at stipendia menstrua, servitia, ligna ex communi patriæ ærario procurentur. De continuando in Urbe præsidio proximis tractetur comitiis. Quoad cognitionem periculi & necessitatis stetur Cæsaris decreto, quod nonâ Decembris Anni 1656. latum est. Supra octingentos jam præsidiarios, equites, peditésque Prætoriani*

cum

1657.

cum Principe semper in Urbe hospitentur. Nominatus à Principe ac devotè admissus Urbis Gubernator Generalis Vigiliarum Magister Joannes Remuntius, nobilis viri verbo, Civitati fidem faciat, nihil adversùm privilegia aut jura ejus tentaturum se unquam, sed communi Principis, Patriæ & Civium bono pari fide ac curâ semper eam tuiturum. Quod si Remuntio humanitùs quid contingat, aut necessitas seu ratio aliquam postulet mutationem, nemo alter, quam Senatu conscio ac consentiente præsidio Civitatis præficiatur. Et is non secùs ac quoties miles mutatus fuerit, innovet datam fidem. Symbolum militare Princeps & successores si præsentes Urbi interfuerint, designent Consuli, & hic militiæ Præfecto. Absente verò Principe Præfectus à Consule tesserâ imbuatur. Lis de clavibus portarum Cæsaris decisioni submissa esto. Nihilò tamen minùs, quoties Principi lubuerit, portæ Civitatis reserentur & debitâ cum veneratione Præsul excipiatur. Libertates, jura, privilegia, consuetudines Civitatis tueatur Princeps. Cives contra fideliter, firmitérque insistant juramento sub inaugurationem præstito. Quæcúnque his capitibus contenta non sint, secundum leges pactionis

1657. *nis Schonestitanæ ordinentur; singula tamen sic explicata velint, ut litium cursus, quæ sub Judice sint, per deducta nihil patiatur.* Deditionem ita pactam signant ac muniunt sigillis in Castro *Zur Geist* XII. Kalendas Novemb. Christophorus Bernardus, *Collegium Cathedrale, Civitas Monasterienſis*, & qui interposuerant se *Conciliatores Nobilitatis Delegati.*

46. *Finis Obsidionis.* Hunc finem tot calamis, tot sermonibus aliorum celebrata, Monasterienſis obsidio sortita est. In ea vix supra centum ex obsessis, longè plures ex obtidentibus ceciderunt. Post *Hordeckium* præ reliquis luxêre *Elmptium Burgavia* Dynastam, militiæ Neoburgicæ Tribunum, ac nobiles viros *Morrienum* & *Dorgeloum* sub Monasterienſi Principe
26. *Sept.* Centuriones, aulæque asseclas; qui factâ impressione ad asperum collem fortiter pugnantes gloriosè occubuerunt. Impigram sauciis, ægrisque, ac fidam semper operam in Castris probavit *Joannes Hosius* eo tempore Principis Archiater & Castrensis Medicus. Observatum est à Curiosis hoc bimestri spatio, è mortariis undecim, pyrobolorum circiter octo millia, è grandioribus quadraginta septem machinis pilarum supra sexagies mille in Urbem missa; è mœnibus verò tormenta sede-

1657.

sedecies millies supra ducenties nonagies in obsidentes explosa esse.

Enituit in his sanè Principis magnanimitas, dum inter insperatam aeris, aquæ, terræ inclementiam & ipsi ignes parùm proficiunt, & cum adversantibus ita omnibus ferè elementis conspirat equestris Ordo; Batavi variè interpellant; Monasterienses in pertinaciâ firmantur; emergentibus domi, forisque tot adversis, nunquam tamen fractus, nunquam de reducendâ Urbe desperavit. Eluxit prudentia, dum excusatâ Batavorum interpositione moras trahens, eorum isthic vires frangit, quas necdum vidit; hîc interim mirâ dexteritate Monasterienses premit, ut honorificis Urbs conditionibus dedatur. Certè pietas non semel animos Belli-Ducum irritavit, quando à tempestate ignium abhorrens, viso remotè incendio, monet, increpátque, ut mitiùs agant; territam enim non perditam Urbem se velle. Indè non rarò accidit, ut â cæptis abstinuerint machinationibus Præfecti, & tempus datum sit Obsessis quassata disjectáque securiùs reparandi. Quem postea errorem tantò magis doluere, quantò faciliùs ante persuasi fuerant continuato paucorum dierum terrore rem confici posse. Cives quippè bello insuetos visâ concivium clade, conflagratione domuum, strage

Principis in eâ virtutes.

1657. ſtrage vallorum, mœniúmque, audito tam immani boantium tot continuè tormentorum tonitru, pilarúmque volitantium ſtridore mox animis caſuros, permiſſuróſque omnia arbitrio Victoris.

Civium conſtantia.

At verò longè aliter evenit. Iſthâc námque duritiâ magis exaſperati animos ita obfirmârant, ut ædes, fortunáſque omnes, imò vitam & ſanguinem facilè poſthabuerint libertati, mœnibúſque propugnandis. Conjuratione etiam factâ, ut quisquis primùm deditionem hiſceret, ceu hoſtis mox glande figeretur. Quod adeò conſtantiam auxit, ut nemo, tametſi propriam ardere domum conſpicatus, ſtationem unquam deſeruerit; quin etiam, ſi juxta ſe concivem cadere contingeret, poſtquam in genua provoluti brevi precatiunculâ animam propitio Numini commendârant, alacriter mox conſurrexerint ad arma; mutuóque hortatu ſe animârint, poſſe diſjecta faciliùs ædificia refici, quam amiſſa ſemel privilegia recuperari; ac præſtare viduas ſupereſſe & orphanos ſalvâ libertate, quam conjuges ac liberos, poſteróſque omnes æternâ premi ſervitute. Quod à peritioribus ſubindè ingeminatum, fortius defenſioni argumentum fuit, quam mille defenſores; Nec viris tantùm tot moleſtiarum, laborúmq; allevamento, ſed & incitamento mulieribus,

Et incitamenta.

bus, ut maritos ipsos fortiter ad arma stimulare, ad mœnia impellere, obire militum munia, tympanistrias agere, ad valla, ad valla conclamare non raro visæ auditæq; sint. Quin & ingens puerorum phalanx, cui se imbellis virginum, matronarúmq; sexus numerosè aggregabat, ductu Melchioris *Hamicholtii* Paulini Scholarchæ, quotidianâ per plateas & templa Civitatis supplicatione, qui non poterant viribus, saltem precibus communi causæ patrocinium & opem apud superos exorarent, ut nemo suis sanè partibus defuisse videatur. 1657.

47. *Concursus externorum ad contemplanda opera.*

At profecto nunc è Diœcesi externo milite, mirùm quam multi undiq; mortales è Belgio & finitimis locis illuc confluxerint, alij ut munimenta castrorum, complures ut cladem Civitatis contemplarentur. Sed nulli ferè avidiùs circumspectabant, quam ipsi Monasterienses, qui ex Urbe laxatis jam non minùs animis, quam portis catervatim egressi obsidentium operas, accessus, fossas, foveas, pontes, aggeres, suggestus, cuniculos suspiciebant. Omnibus verò admirationi fuit fortalitium *asperi collis* tot fossionibus subversum, tot irruptionibus oppugnatum, defensúmque: in quo nimirum, veluti campo supremæ fortitudinis, trophæum erigere, & immortalitatem nominis

1657. minis comparare, tot viri fortes, sanguinis, vitæque perditi contenderunt.

Princeps ad Legatos Batavorũ Nageliũ mittit.

Admisso jam licet peditum quingentorum præsidio, quod Hollandorum Legati ante discessum Monasterienses salutaturi crederentur, Princeps aliquot adhuc dies supersedit Civitatem ingredi, sed Wolbecam digressus expedito Steinfurtum *Nagelio* aulæ Præfecto, Legatis exponit peregrini militis abitum, patrioq; ad præsidia pristina reverso, patere nunc vias ubique commerciorum libertati; demùm pro laboribus hucúsque exantlatis iterat gratiarum actionem. Sed hi eodem tempore à Monasterienlibus invitati propridiè Kalendarum Novembris Monasterium abeunt, ac sub quàrtam pomeridianam ad repagulum, Civitatis limitem, ceu Caduceatores, à Consulibus excepti, inter armatum civem, militémq; ac trinam tormentorum laxationem ad diversorium perhonorificè deducuntur; indè postquam à prætergressis justo ordine centuriis festâ scloporum salutatione honorati sunt, ad Curiam Urbis rhedâ devecti, in cænâ lautè, splendidéque habentur. Potior isthic sermo erat. *Confœderatis solùm Provinciis deberi Civitatis salutem, idque ad posterorum memoriam fastis consignatum iri.* Admissi postero die ad solennem Magistratus con-

27. Octo.

Legati Monasterium intrant.

Splendidè habentur.

sessum,

sessum, multa primùm dixerunt *de verâ Confœderatorum Ordinum intentione sopiendarum litium & liberandæ Civitatis; decretam fuisse eo fine interpositionem, sed Episcopum nec Provinciarum, nec suâ authoritate adduci, neq; precibus etiam Nobilitatis Diœcesanæ flecti potuisse, ut eam admitteret, tametsi Regnis ac variis sæpè Regionibus salutarem; imò nec voluisse permittere, ut cum Civitate hoc ipsum communicare sibi liceret. Motos propterea Confœderatos Ordines ea demùm amplecti media, quæ non modò utilissima videbantur quieti jam restauranda, sed & securitati futuris etiam temporibus conservandæ. Nunc quidem iis omnibus opus haud fuisse, incredibili tamen lætitia intellexisse ab his qui Steinfurtum ad se missi fuerint, hanc ipsam Provinciarum resolutionem post DEUM causam haberi liberatæ Civitatis. Venisse ideò, felicitatem hanc ex animo gratulatum, precatúmque ut majoribus quotidie commodis divina bonitas faciat ampliorem.* Senatus demissè gratias refert, & sicut collata in præsentiarum beneficia cum immortali Provinciarum laude, Cives gratâ semper memoriâ æternùm agnituros profitetur, ità porrò obsecrat, continuatâ tam insigni erga vicinam,

1657. *Eorum oratio.*

31. Oct. *Responsio Senatorum.*

1657. cinam, devotámque Urbem benevolentiâ inposterum quóque consulant ejus securitati. Lustratis deindè castris, munimentísque, nec pauca admirati biduò post, quâ excepti erant pompâ iterùm deducti, *Steinfurtum* abeunt Hollandiam revisuri; sed ísthic offendunt Confœderatorum Ordinum litteras, quibus jubentur Episcopo Urbis deditionem gratulari. Eâ verò gratulatio importuna tunc ipsis visa, quod gratulatos jam antè Civibus, Principem postponi dedecére, & oblatis *Ahusiæ* nuper officiis, novâ nunc adeundi necessitate liberatos se arbitrarentur. Alteram igitur jussionem præstolati, dum primæ insistunt Ordines, festinato itinere *Wolbecam* discedunt. Ísthic à Principe benignè excepti, ac magnificè habiti sunt. Executi quæ in mandatis habebant, ac demirati Præsulis modestiam, prudentiamqne, *Steinfurtum* revertuntur. Indè rectâ in Hollandiam, & ipsi, & copiæ, quæ in finibus Comitatûs Zutphaniæ subsistebant, ad sua quæque loca emigrârunt.

Legati revertuntur Steinfordiã.

Indè iussi Principem Wolbecæ invisunt.

Et demũ abeunt cum suis in Hollandiã.

FINIS LIBER TERTIJ.

JOANNIS ALPENI
PRÆPOSITI SANTENSIS
De
VITA ET REBUS GESTIS
CHRISTOPHORI BERNARDI
EPISCOPI ET PRINCIPIS
MONASTERIENSIS.

LIBER QVARTVS.

ARGUMENTUM.

1. CHRISTOPHORUS BERNARDUS *Monasterium ingreßus. Adverſa licet experiatur. Totus in Urbem benevolus. Et ſerio.*
2. *Comitia turbulenta. Stimulante Flodorpio Comite.*
3. *Princeps fruſtrà benevolentiam continuans. Ad objecta reſpondet. Abit Coesfeldiam.*
4. *Mors Merveltij Cancellarij. Eius virtutes & encomia. Filius. Nepotes.*

5. Mo-

5. *Monasterienses sollicitant fœdus Hanseaticum. Eorundem Ablegatorum propositio Hagæ-Comitis. Et instantia pro admissione ad fœdus.*
6. *Principes Confœderati dehortantur Batavos.*
7. *Idem facit* Christophorus Bernardus.
8. *Benigne etiam dissuadet Urbi. Et sub pœnâ quoq; inhibet. Responsio Monasterienſium. Reprobatur à Principe.*
9. *Urgetur nihilominus societas Hanseatica. Resolutio Batavorum. Ablegati redeunt Monasterium. Sub præsidio militis Batavi.*
10. *Monasterienses à Batavis petunt Vrbi præsidiarios. Clam super eo tractatur.*
11. *Hessingius Principis Agens Hagæ-Comitis. Captivus. Legatione Baizij dimittitur.*
12. *Francofurtum indicta Electio Imperatoris. Quo Civitas. Et Princeps suos ablegat. Capitulatio Cæsarea Monasterienſibus adversa.*
13. *Leopoldus Primus eligitur. Applausus Monasterienſium. Et* Christophori Bernardi.
14. *Fœdus Rhenanum extenditur. Et innectitur Rex Galliarum. Tabulæ fœderis.*
15. Christoph. Bern. *cur idem amplexus sit. Educit militem suum ex Vrbe.*
16. *Indicit preces. Et multa salubriter ordinat. Impetrat à Cæsare mandatum contrà Monasterienses.*
17. *Tollit controversiam Eckianam. Patriæ diu damnosam. Item Bevergernenſem.*
18. *Baro Wilichius Cancellarius Monasterienſis frustrà interponit se in causâ Civitatis. Ob nova dissidiorum fomenta.* 19. Vien-

19. *Viennam Vrbs Drachterum. C. Bern. Furſtenbergium & Batzium ablegat.*
20. *Argumenta Civitatis ſuper jure pangendi fœderis. A Principe refelluntur. Mixta Civitas, Quæ?*
21. *Monaſterienſes conſtituunt Hagæ Plenipotentiarium. Is ſollicitat præſidium Urbis militem Batavum.*
22. *Interim contra Civitatem prodit ſententia Cæſarea. Chriſt. Bern. typis impreſſam promulgat. Cum admonitione paternâ. Exemplum mittit Batavus.*
23. *Senatus Urbicus antitypum evulgat. Refutatur à Principe. Cum iteratâ admonitione.*
24. *Monaſterienſes criminantur ſententiam. Novos ablegant Viennam.*
25. *Cæſar decernit Executoriales. Intimantur. Cum tertiâ jam admonitione.*
26. *Eitzenus & Clutius mittuntur in Hollandiam.*
27. *C. Bern. ſacris intentus. Caſtrum Coesfeldienſe perficit. Et ſolenni benedictione. Ludgeriburgum appellat.*
28. *Vaticinium de eo. Ejusdem demolitio.*
29. *Ordines Patriæ ſuadent Monaſterienſibus compoſitionem. Sed fruſtrà.*
30. *Ablegatorum Urbis in Hollandia negotiatio. Et querela de Principe. Quid ſparſum Amſtelodami.*
31. *C. B Cæſarem interpellat. Friquetius Hagæ Monaſterienſes audit. Indignabundus. Hi*

plures Hagam ablegari desiderant. A Batavis protectionem petunt.

32. C. Bernardi exprobratio cum Hollandis. Brabeckius Hagam legatur. Ejus dexteritas.

33 Friquetij ad Batavos oratio.

34. Nobilitas iterum concordiam tentat. Idem Legati Principum. Sed irrito effectu.

35. Frisiorum fervor pro Civitate Haud par apud Hollandos. Et Provincias alias. Consternat id Ablegatos. Consilium ideò à Rep. petentes. Eitzeni genius.

36. Belli timor in Westphalia. Quibus de causis.

37. Ad querelam Principis. Et Friquetij relationem. Cæsar mandat revocationem Ablegatorum. Destinat Legiones in Westphaliam. Hospitantur in locis Monasterio vicinis. Aluntur stipendiis Diœcesanis. Protestante contra Monasterio.

38. C. B. ad Batavos de adventu militis Cæsareani.

39. Drachterus iterùm Hagæ. Tractatus cum Suecià minatur.

40. Batavi Monasterienſibus pecuniam mutuantur. Reclamante Principe.

41. Batavorum ad C. B. litteræ, Ejusdem responsoriæ.

42. Brabeckius Hagam redux. Concordiæ projectum componit. Ejus summa.

43. A Flodorpio in Urbem perfertur. Sed à Cive rejicitur.

44 Ex

44. Ex Austria & Hollandia Ablegati revertuntur. Nova Monasterienſium molimina.

45. Cæſar duplicem paritoriam decernit. Quoad executionem ſententiæ. Et quoad revocationem Ablegatorum. Vicinus Imperij Statibus tentamen Concordiæ committit.

46. Monaſterienſes à Comitiis excluduntur. Et pro reſtante tributo. Miles Cæſareus armenta abigit. Factum utrumq; exprobrat Civitas. Et incipit hoſtiliter agere.

47. C. Bernardo Wolbecam tendente. Tres ex præſidio Urbico capiuntur.

48. Cives præſidio vicinus vim denunciant. Et militi Cæſareano inferunt.

49. Princeps ad obſidionem ſe parat. Cauſas divulgat. Caſtra in agro ſuburbano locat.

50. Tres à Belgij Provincijs Monaſterium ablegantur. Excipiuntur in Caſtris. Ingrediuntur Civitatem. Fruſtrà ſuadent projecti acceptationem. Armiſtitium negat Princeps.

51. Caſtra transferuntur. Eruptiones & velitationes.

52. Baro Furſtenbergius Pontificis Ablegatus. Caſtra luſtrat.

53. Agger Alphæ objicitur. Spœdæo Architecto. Et Neo-Alpha foditur. Ad Caſtrorum ſecuritatem. Et arctiorem Urbis obſidionem. Æſtas & Autumnus civi ſterilis.

54. Ablegati Provinciarum diſcedunt Monaſterio. A Principe excepti. In Hollandiam redeunt. Et referunt reſolutionem Tribuum. Et alteram Senatorum.

55. *Sex Provinciæ armatam Urbis liberationem decernunt. Sola Hollandia declinat.*
56. *E contra munit se Princeps. Fœderibus. Precibus ad DEVM. Legationibus in Austriam. Gallias. Angliam. Et alio. Et auxilia undequaq; prompta offeruntur.*
57. *Loricâ propiore Urbs cingitur. Alter agger infrà Urbem Alphæ objectus.*
58. *Eruptiones & pugnæ.*
59. *Vectores Legationis Batavæ intercepti.*
60. *Epistolium Senatûs Hagam missum. Lator capitur. Et vix à suspendio liberatur.*
61. *Alteræ Civitatis litteræ in Hollandiam. Tabellarius is capitur, & suspenditur,*
62. *Tertius expeditur. Cum nova Epistola.*
63. *Hanc prodit Principi. Uti & responsoriam. Quam dexterè resectam. In Urbem perfert.*
64. *Consternatio Civium. Marlius Jurisperitus. Litteras novas Hagam infert.*
65. *Ejus & Aitzemani sollicitatio.*
66. *Brabeckius. Weimannus. Thuanus. Et conspiratio Fœderatorum Principis. Batavos divertunt.*
67. *Tempestas in Westphaliâ. Nutans agger, operâ Wilichij conservatur.*
68. *Pressa Civitas. Duos ad Principem emittit. Tubicen Batavus remittitur.*
69. *Mors Wilichij. Ejus laus. Surrogatur Pleurenius.*
70. *Monasterienſium tractatus cum Principe. Legatio Cæsarea. A Principe excepta.*
71. *Civitas Principi se dedit. Deditionis capita.*
72. *Instrumentum submissionis.*

73. Di-

73. *Diploma abolitionis.*
74. *Civitas traditur. Robur exercitus. Delegatis Principis offeruntur claves.*
75. *Finis obsidionis. Numerus sauciorum & cæsorum, Cura Principis.*
76. *Observationes curiosæ. Vaticinia. Prævisiones.*
77. *C. B. variis deditionem significat. Responsoriæ Pontificis.*
78. *Princeps Cæsari auxiliares submittit. Arcis Monasterio imponendæ necessitatem probat. Structuram decernit. Præmissâ cum Cathedrali Collegio conventione. Locum designat. Arcis forma.*
79. *Diem statuit ingressui in Urbem. Et sanctorum honori solennem. Promulgat.*
80. *Confluxus populi. Dispositio militis. Ingreditur Princeps tentorium. Isthic sacris operatur. Batzii oratio. Senatus, Populiq; Monast. juramentum.*
81. *Captivi Cives. Intercedente Capitulo. E custodiâ dimittuntur. Acclamatio Juventutis.*
82. *Ordo supplicationis.*
83. *Pompa ingressûs in Urbem. In ædem Cathedralem. Præsentes novâ monetâ donantur. Epulæ.*
84. *Musæ congratulantes.*
85. *Annua postridie supplicatio.*
86. *Tertio die Comœdia. Cœna in novo Castro. Fulmina tormentorum. Ignes artificiosi. Et publici.*
87. *Princeps novum creat Magistratum. Et Tribuum potestatem tollit.*

1657.

1. *Princeps Monasterium ingressus.*

INtraverat nunc Civitatem *Christophorus Bernardus*, certus in eâ perhyemare, & demùm experiri, si quod hactenùs armorum rigor negaverat, benignitate tandem vinci, vinciríque fortè possent animi subditorum. Sed & conatum hunc successu suo brevi carituram haud vanè augurabantur ij, quibus sagacior mens erat. Nam tertio ab ingressu die libellum favore Principis editum, quod è civibus quosdam plùs æquo tangi quererentur, lictoris manu, in catastâ concremari palàm Magistratus jussit. Quin & obsidionem ipsam ære pressam, additámq; ejus ephemeridem typo vulgant, & hunc ei titulum præfigunt. *Vera descriptio Monasterii, Antiquissimæ Urbis Hanseaticæ, nec non Metropolis Westphalorum, à vigesima Augusti ad vigesimam primam Octobris Anni millesimi, sexcentesimi, quinquagesimi septimi à Reverendissimo & Illustrissimo Monasterienſis Ecclesiæ Episcopo, aliquorum sacri Romani Imperii Electorum ac Principum auxilio obsessæ átq; oppugnatæ.* Id tametsi *Christophoro Bernardo* tantò molestiùs accidit, quantò dolebat minorem sui in Urbe præsentis venerationem haberi, & abjectiùs esse, non Principem, non Diœcesis, aut Urbis, sed non secùs

Adversa licet experiatur.

ac

1657.

ac ſtudiosè quæsitâ cum honoris attenuatione, Ecclesiæ duntaxat Monasterienſis Episcopum nominari; & ipsa quoq; rerum in obsidione gestarum annexa descriptio haud obscurè siniſtram post se trahebat notam obsidentis. Nihilò tamen minùs propoſiti tenax, conceptæ jam benevolentiæ argumenta continuabat. Quotidie Primores Urbis prandebant cum eo, cœnabántque. Omnis sermo erat de unâ Civitatis ac civium salute. Non præterita tantùm æternâ debere oblivione sepeliri, sed & perenni pacto, quæ adhuc reliquæ extarent, controversias, litésque omnes exæquari oportere. Nec suum etiam defore, si quod fortè cives perpessi essent, damno hoſtimentum. Id unicè sibi curæ futurum. Non hæc ostentare tantùm contentus, quinquaginta imperialium millia obtulit Civitati. Et ut affectum probaret magis, quæ sub id in Collegiis vacabant sacerdotia, in Senatorum ac Civium filios largâ manu profundebat. Nemo sanè rerum gnarus inficiari potest, propiùs nunquam Principis animum cives possediſſe. Et certè *Chriſtophoro Bernardo* serium erat. Nam molestâ illâ armorum tractatione hactenùs confecerat parùm; potentem Batavorum Remp. Civitatis studioſam respiciebat, quæ nunquam passura credebatur, ut Urbs vicina pessum iret; & quam-

Totus in Vrbem benevolus.

Et seriò.

1657. vis controversias ad juris decisionem rejeciſſet pactio *Geiſtana*, quod tamen eventus æquè incertus, ac longioris moræ, ſimúlque operoſus eſſet, ipſe curarum, laborúmque pertæſus, quam paſſim etiam ſuggerebant amiciores, utiliorem patriæ quietem facilè præhabebat. Sed hanc Monaſterienſibus ſortem fata invídiſſe, teſtis eſt ſecuta Metamorphoſis, non ſine continuo & ingenti luctu poſterorum.

1658. 2. *Comitia turbulenta.*

Enimvero ſtatim Comitia, quæ ſub ineuntem jam annum ſeculi quinquageſimum octavum Monaſterij agebantur, omninò turbulenta erant. *Civem* agitabant obviæ ex incendiis & obſidione nuperâ jacturæ, quas nec premi ſinebant perforata paſſim ædium profanarum, ſacrarúmque tecta. *Ordo Nobilis* fœderum pactiones, externi inductionem militis, ruſticos in arma coactos, nova patriæ onera, inſciis ſe, privilegiorum violationem explicabat. Adhæc nullam eſſe alendæ in patria militiæ neceſſitatem, & ſi quæ eſſet, ejus & periculi cognitionem ex decreto Cæſatis ad Ordines unà pertinere. Et quoniam id intendebant plerique, ut Principem poteſtate pangendi fœderis exuerent, militiáque omni nudatum ab auſis hujuſmodi inpoſterum coërcerent, partium fervor vix diſcrepabat à conjuratione manifeſtâ. Sed & quò major eſſet ſua cuique ſenſa promendi

1658.

mendi libertas, è ſuo Satrapas gremio excludi oportere Nobilitas ajebat, quos jurisjurandi Religione obſtrictos, quærere potiſſimùm commoda Principis palam eſſet.

Stimulante Flodorpio Comite.

Hanc ſedulò partem fovebat, ſtimulabátque *Flodorpius* Comes. Is menſe Octobri in pago *Darvelt*, ubi Caſtrum à *Vüerdenis* emptum habitabat, equitem prætoriæ cohortis, iſthic juſſa Principis exequentem, pilâ trajectum enecârat. Indè domi haud tutus, Monaſterium confugiens, Tribui & albo Inſtitorum inſcribi ſe facit, urbanæ militiæ nomen dat, & centuriæ præfectus, receptúsque in tutelam Civitatis, magnâ, quod apud Batavos valere crederetur, populum lactabat ſpe futuri. Nec vana omnis fuit; quando Reſp. ipſo cum primis authore, res Monaſterienſium ſibi curæ ac cordi magis fore poſteà declaravit. Jam verò tametſi pleriique mirabantur, imò & nonnulli exprobrabant, à juvene tam generoſo & equeſtrem Ordinem, cui annumerabatur, & avitum *Flodorpiorum* ſtemma iſto maculari dehoneſtamento, haud tamen omiſit propterea occaſionem ſui apud plebem propiùs inſinuandi, & rei in hiſce Comitiis apud Nobilitatem pariter agendæ.

3.

Princeps fruſtrà

Benignis interea alloquiis, favoribus, gratiis Princeps Monaſterienſes proſeque-

1658. *benevolentiam continuans.*

batur, oblato etiam auctiore quam antea hostimento; nec quidquam prætermittebat, quo populum in partem trahere & alienatas fortè mentes posset denuò promereri. At verò benevolentiâ profici omnino nihil conspicatus, haud difficulter vela vertit, & mox Ordinibus ad objecta cordatè respondet. *Fœdera paciſci, & ſtare pactis, quæq; militiam concernunt, ad jura Principum ſpectare; qua nec frangi, nec ligari poſſent voluntate ſubditorum. Conſervationem Regionis ac Religionis uni Principi commiſſam. Hanc ad ſe curam pertinere duplici juramento, quod Cæſari, quod Pontifici præſtiterit ipſe, ex ſubjectis nemo. Majoris ea momenti eſſe quam ſit quæcunq; ſponſio à ſubditis oggeſta; nec enim hanc ligare unquam, ſi cum iis certaret. Privilegia ſi qua eſſent, iſtis temporibus emanâſſe, quibus ſicut una ſolum Regio, ita & Religio agnoſcebatur, ac tutiùs erat in medium conferre fœderum conditiones, quarum hodie propalatio mutato temporum, rerumq; ſtatu tam nociva foret fini ſuo, quam exitioſa patriæ ſecuritati. Et quamvis illæſa, intactáq; vellet privilegia Ordinibus conceſſa, non poſſe tamen ea derogare juribus Principum, per leges Imperij, per decreta Pacis Weſtphalicæ, totiès*

Ad objecta reſpondet.

1658.

ties ſtabilitis, quæ uti tempore poſteriora, ita & jure potiora eſſent: iis privilegia, non privilegiis ea attemperari debere. Cognitionem periculi ad ſe ceu Principem pertinere, & quamvis Ordines adſciri, audiriq; una poſſent, non contineri tamen decreto Cæſaris, nec eorũ conſenſus expectaretur. Conſenſum enim & conſilium, ſenſu juris, plurimum diſcrepare. Sed cum intelligeret Legationem â Monaſterienſibus in Hollandiam adornari, ipſe continuas inter calumnias, læſámque toties authoritatem non ultrà moras nexurus, ſimulatâ venatione Horſtmariam abit; indè Coesfeldiam, quò & Comitia ſtatim translata, nec diu poſt finita ſunt. *Abit Coesfeldiam.*

Moritur ſub id quarto Kal. Februarij *Theodorus Hermannus Baro de Merveldt*, Dominus in Weſterwinckel, Cancellarius Monaſterienſis. Is ab anno ſeculi trigeſimo ſexto, hoc munere conſtanter ac præclarè functus erat: ſeptennio tunc antè, ad ſecretionis Concilij Senatum adſcitus ab Archi-Præſule *Ferdinando*. Vir profectò non minùs virtutum ac ſcientiarum omnium, quam generis ſplendore illuſtris. Nihil ignorabat eorum, quæ id ætatis ac dignitatis hominem poterant exornare. Exculta ei ad omnem ſapientiam indoles; præter humaniorem litteraturam, & temporum, 4. *Mors Merveldtij Cancellarij.*

porum, rerúmque gestarum insignem memoriam, omnem jurisprudentiæ ac politicæ eruditionis vim complectebatur. Singularis inter hæc elucebat pietas; librorum de DEO, déque animæ salute differentium usum, reliquorum lectioni ferè anteponebat, ratus ignorare omnia, qui ista nesciret. Et quamvis hæc generis décora ad ipsius laudem defuissent; is tamen erat, qui nobilitatem familiæ suæ propriâ potuisset virtute auspicari, stultitiæ mundanæ argumentum interpretatus, alienâ virtute, non propriâ nobilem censeri velle. Prudentiam, quam corporis ac morum gravitas, suavitásque comitabatur, in Imperij, in Circulorum Comitiis, in legationibus, Cæsares ac Principes non rarò suspexêre. Inventa est inter pugillares epistola, quâ ad suam ab officio dimissionem, flagitabat remotam ab aulæ fastidiis vitam, ministro ætate jam provecto indulgeret Princeps. Sed nec illi, nec pluribus, quorum vota novi, felicitate tam beatâ frui concessum est. Reliquit post se ejusdem nominis filium *Baronem de Mervelt*, qui renunciato Canonicatu Osnabrugensi, septem annis antè, parenti successerat in *Wolbecensi* Præfecturâ: post etiam à *Christophoro Bernardo*, ex equestri Nobilitate, in consiliorum, curarúmque partem evocatus. Quam & ipse provinciam, apud Successo-

Ejus filius.

res

res *Ferdinandum* ac *Maximilianum Henricum*, non solùm sedulò & laudabiliter, ad usque funera continuavit; sed & insuper, post obitum *Burchardi Baronis de Westerholt Dynastæ Lembecani*, creatus fuit Monasterienſis aulæ Mareschallus. Quo in munere, demortuo nuper patri surrogatus filius natu major, *Theodorus Burchardus*, Satrapa Wolbecanus, hodierno Principi *Friderico Christiano* etiamnùm deservit. Et ejusdem germanus alter, *Adolphus Bernardus* inter Basilicæ Monasterienſis Canonicos elucet. Alter verò *Gosuinus Hermannus Otto* Ordinis Equitum Melitenſium Commendator Rottenburgicus in eadem Principis aulâ continuus, pedestri etiam prætoriæ cohorti hodie præest: Cancellarij Nepotes. 1658. *Et nepotes.*

Nunc verò ut cæpta prosequamur, à Januario mense, Monasterium in societatem Urbium Hanseaticarum admitti assiduè urgebat Comitis-Hagæ *Aitzema* Monasterienſium Patronus: confidens in re tantillâ haud dissensuros Provinciarum Ordines, qui nuper adeò faciles ac prompti, armatâ manu, Civitatem obsidione liberaverant; præsertim cum idipsum communis nunc viciniæ & commerciorum ratio perurgeret. Ordines postquam variè interpellati erant, postridiè Kalendarum Martij admissionem decernunt, hac adjectâ conditione; 5. *Monasterienses sollicitant fœdus Hanseaticum.*

1658. ditione; *Dummodò Monasterienses antè doceant Civitates Lubecam, Hamburgum, Bremam in id expressim consensisse.* Ita enim lege societatis Remp. obligari. Nec solùm decreti hujus copiam faciunt Civitatis Patrono; sed & ejusdem argumenti litteras scribunt tribus Urbibus sociatis.

Eorundem Ablegatorum propositio Hagæ Comitis.

Hagam interea pervenerant Monasterienſium Ablegati, *Nicolaus Drachterus* Urbis orator, & *Gualterus Clarus* Tribunus-plebis. Qui decimâ sextâ Martij apud Ordines publicè admissi, auditique, post petitam tardioris accessûs & seræ gratiarum actionis veniam, *memores se*, ajunt, *beneficiorum, quibus Resp. hæc pronuper obligârit Monasterio-polim in extremâ necessitate positam, & supra obsidionis molestias, privilegiis ac libertate adeò periclitatam, ut quæ, haud pridem antè, fuerat Theatrum pacis generalis, in theatrum ac sedem universalis belli, non ad suam solius, sed & vicinarum omnium Provinciarum ac ditionum perniciem, facile traduci potuisset. Quod sopiendis Civitatem inter & Episcopum simultatibus Legatos suos, veluti Conciliatores miserit, cùmque ab Episcopo admitti nollent, decreverit viribus suis obsidionem solvere, & in pristinum statum reponere Civitatem, uti generosa hæc*

hæc actio immortale nomen merita sit, ad instar veterum Romanorum, qui non tantum victricibus suis armis, sed & amicitiâ & societate fœderatorum celebres, totiq; Orbi formidabiles evaserint: ita obligatos Senatum, Populumq; Monasterienſem tantam gratiam, favorem, benevolentiam, immensa sanè beneficia agnoscere semper & immortales pariter gratias agere: Has à se omnium nomine ac vice, obsequiosè ac demisse hic coram agi, testariq; tam inexplicabilis beneficij memoriam non fastis tantùm, sed & calamo nunquam intermorituro, cordibus omnium, etiam posterorum, constanter insculpendam, & hujus Reip. Ordines, ut vindices ut conservatores jurium, libertatis ac privilegiorum suorum agnitum semper & cultum iri. Orare porrò, ut propensionem hanc, præsertim inter periculosos in præsentiarum Romani Imperij, vicinarumq; terrarum motus continuare, & Monasterium Urbem ceu membrum Hanseaticæ societatis suo sub præsidio conservare non dedignentur. Civitatem contra ac Cives omnes nullius rei aque ac Reip. hujus, ejusq; honoris, utilitatis & commodorum rationem habituros. 1658.

Indè ad privatum dimissi congressum, Et in-

quod stantia

1658. *pro admissione ad fœdus.*

quod *Aitzema* amiciorum manu certior factus esset, prærequisitum à tribus Civitatibus consensum aut nunquam aut difficulter secuturum, urgenter instant, ut Monasterium citra aliân conditionem Hanseatico fœderi uniatur. Consensum enim reliquarum Civitatum satis testari litteras sub Martium mensem Anno proximè lapsò ab iisdem exaratas, Imò & ipsam olim *Lubecam* sine hujusmodi cautelâ,, integro post alias anno, admissam fuisse. Periculosam esse moram, futurum enim, ut occasione belli, quod in Septentrione geritur, Episcopus cum sociis Moguntino, Trevirensi, & Coloniensi Octoviris ac Neoburgico Duce, pariter armatis, ad acceptandum militem præsidiarium, Civitatem cogat; quod honestius nequeat recusari, quam hujus fœderis prætextu. Et constare Ordinibus Provinciarum, haud laborare Monasterienses de fœdere cum aliis Civitatibus, sed cum præpotente hac Rep. à quâ solâ defendi possint ac conservari.

6. *Principes confœderati dehortantur Batavos.*

Christophorus Bernardus de iis, quæ Hagæ-Comitis agebantur, quotidiè informatior monet, rogátque Confœderatos Electores ac Principes, ut cum ipse separatas dare velit, illi conjunctim Provinciarum Ordines propositum fœdus dehortentur, simúlq; ne Monasterienſium preces audiant,

audiant, sed quâ decet æquitate ad legitimum Principem & superiorem suum subjectos remittant. Nec ij diu cunctati in hunc ferè modum scribunt. *Haud latere Prapotentes Ordines controversiam, quæ Principem inter & Civitatem Monasteriensem hodiedum litigiosa sit, ex eo potissimùm enatam, quod Præsul pro suâ Principis potestate (hanc enim moribus Germanorum, lege pacis, & novissimâ Ratisbonensi constitutione Principibus Imperij, jure statûs, competere) spectato præsentium temporum statu & ex flammâ belli vicinâ, ipsi patriæ Monasteriensi affini periculo, opportunum conservandis terris, subditisq; suis secum fœdus iniverit, & coacto eum in finem necessario milite, inter alia etiam loca Monasterium suum præsidio firmare intenderit; contrà Civitas admittere recusârit, simulq; ab eo se eximere, jus fœderis Principi suo disputare, cognitionem periculi, & necessitatem alendæ militiæ, externáq; auxilia implorandi, & sibi & Ordinibus Diœcesanis adscribere præsumpserit. Et quanquam occasione negati juris præsidii ea mala emerserint, quæ non modicam secum perniciem traxêre; quod tamen postmodum, illa inter partes sopita, & nominatim controversiam super jure præ-*

1658.

1658. sidij, Cæsaris determinationi subjectam esse constet, sub hac nihilominùs cautelâ, ut interim admissi in Civitatem præsidiarij, donec securitas & quies major eluceſceret, congruis mediis alerentur. Hinc confisos se, nihil à Civitate innovatum iri, sed judicis motum obedienter expectatum fuisse, præsertim cum diversa etiam ad eum finem monitoria emanârint. Nunc verò aliunde certiores fieri, ac si Monasterienses cum nonnullis è Nobilitate conspirâssent, Præsidiarios Principis loco pellere, annonam militi subtrahere, & quasi nulla premeret necessitas aut periculum, ipsum arctare Principem ad militem exauthorandum, & unà renunciandum inito, firmatóq; secum fœderi defensivo: Utq; hæc feliciùs exequi liceret, haud obscurè gloriari, implorata Reip. auxilia, ad normam societatis cum Hanseaticis Civitatibus annis nuper quadragesimo quinto pacta (cui tamen hactenùs fidem habere nolint) jam tum prompta, paratáq; esse. Cum verò ausa hujusmodi in subditis summè periculosa sint, omniq; justitiæ & æquitati e diametro adversentur, sintq; fomenta seditionum & excidij terrarum, tanto etiam minùs toleranda, quanto certiùs sit Municipalem hanc Civitatem,

rem, subditósq; mediatos isthac viâ contra jurisjurandi Religionem temere duntaxat conari, juribus exuere legitimum Principem & superiorem suum, se verò subtrahere debitæ subjectioni. Neminem sane Principem Imperij ob periculum sequelæ passurum unquam, ut in ditionibus Imperio subjectis contra sacras ita, profanásque leges impune excedatur, sed communem ab omnibus rationem exigere, ut jura Principum illæsa servent, imo forti manu tueantur. Eam se de prudentiâ & æquitate Confœderatorum Ordinum spem firmâsse, ut in hac præsertim regiminis causâ, non solum inordinatas extraneorum subditorum preces in limine rejiciant, sed potiùs obstreperam Civitatem ad debitum Principi suo obsequium ocyùs relégent; nec magis rebus Imperij & inprimis præsenti controversiæ, quæ inter Principem Germaniæ, ejusque subditos litigiosa coram Cæsareo Tribunali agitetur, sese implicent, quam cupiant ipsi, persimili in casu aut rebus, causisque subditorum Reip. Imperij Proceres sibi quidquam arrogare. Litteras hasce Idibus Martij exaratas una consignaverant. 1658.

Joannes Philippus Moguntinus.
Maximilianus Henricus Colonienſis.

1658. *Carolus Caſparus Trevirenſis*, Electores ac *Philippus Wilhelmus Neoburgi Dux.*

7. *Idem facit Chriſtophorus Bernardus.*

Alteras ſuperaddit *Chriſtophorus Bernardus* hujus argumenti. *Scire ſe, miſſos iterum à Municipali ſuâ Civitate Hagam-Comitis Nicolaum Drachterum & Gualterum Clutium, acturos iſthic, ut capti anno abhinc tractatus nunc confiant, & Monaſterium Hanſeaticæ ſocietati tandem adſcribatur. At verò Ordinibus Provinciarum notum eſſe, quando indubii, ligatiq; ſacramento ſubditi à ſuperioribus ſuis deficere, externiſq; ſe fœderibus & amicitiis innectere meditantur, quid eo paſſu toti Imperantium cœtui ipſa gentium jura, moresq; tribuant, & hodiedum etiam obſervent. Certè Electores ac Principes Romani Imperij, ſpeciali legum ſuarum nexu obligatos, conatibus tam periculoſis forti, unitâq; manu contraire. Nec enim id aliud eſſe, aut cenſeri poſſe, quam publicam defectionem à Superiore legitimo, ejuſq; contemptum & unà aſſernationem patriarum legum ac ſtatutorum. Apud omnes ubiq; terrarum nationes uſitatum eſſe, ut leviculis hujuſmodi ac temerario huic hominum generi ne porta quidem pateat, imò nec à longè audiri mereantur.*

Natu-

1658.

Naturali siquidem & Christiana inprimis legi conforme: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Nec eapropter dubitare se, quin Ordines, arctioris nunc inter Imperium & Remp. hanc amicitiæ memores, non solum leges ejus non interturbent, sed & sibi, vicinisq; Magnatibus ac Principibus astipulentur, ut quod vicinorum, quod amicorum est, mutuis auxiliis se juvent, inq; id unanimes intenti sint, quod ad veram legum fundamentalium observantiam & cujusque provinciæ salutem necessum & utile magis videatur. Nullâ profecto necessitate Monasterienses adigi, ut iniquis adeo Magnates exteros molestent postulatis: sed potiùs, ut contractui Geistano conformes ad debitam subjectionem, ac quietem se componant, suisque sanctiùs stent promissis. Quod si tamen prater spem, in his excedere Civitatem contingat, quo id animo accepturi sint vicini Electores ac Principes, credere se, datis antè paucos dies litteris satis illos explicâsse. Et quamvis ea fuerit Monasteriensium impudentia, ut postulatis suis Nobilitatem assentiri, ejusdémque secum animi esse affirmare ausint, veritas tamen ipsa sit, non ea Nobilibus tantùm, sed & universo Ordini diœcesano, &

hac quidem horâ, in publicis etiam Comitiis, ſumme improbari. Non poſſe ſe adduci, ut credat, unius Civitatis & populi, defectionem meditantis ſtudia, iſtam apud Remp. tanti fore, ut propterea Imperij totius amicitiam, & ipſa Principum jura poſtponat. Rem eſſe Principum Germanorum omnium, quorum ratio non permittat, ut jura & authoritatem ſuam ſic convelli patiantur. Sed & præſidiarios ſuos adhuc poſſidere Civitatem, & locum etiam continuaturos; nec eam unquam fore Electorum ac Principum indulgentiam, ut in eo turbari ſe ſinant, aut toleraturi ſint, Civitatem unam, peſſimo Municipalium, ſubditorumq; omnium exemplo, ita debitæ ſubjectioni ſe ſubtrahere, fucatiſq; duntaxat figmentis ſeducere externam Remp. quæ ſubditos contra legitimum Principem inique tueatur. Eas hodie quæ DEI laus ſit, vires eſſe Romano Imperio, ut contra quodvis imminens periculum tueri ſe queat, ac jura Principum conſervare. Notari demùm oportere diſcrimen, quo Civitates Imperij & immediatæ à Municipalibus ac mediatis ſecernantur, ut quæ permittat iis publica lex, his è contra ſevere interdicat. Confidere ſe ac rogare etiam Præpotentes Ordines, cauſa

huic

1658.

huic non solum non se implicent, sed & reliquas Civitates Hanseaticas (nec enim earum fore commoda, alienorum defectionis subditorum partem se facere) una dehortentur; subditos verò, ne illicitis factionibus se coinquinent, ad vitam patriis legibus convenientem, Principi suo obsequiosam, ac domi quietam, ipsamq; causam ad Imperium & litispendentiam rejiciant, remittantq;. Hæc signa fore æstimata Imperii amicitiæ, & majoris fuisse authoritatem, juráq; Principum, quam iniqua proclivis in seditionem populi postulata. Nonæ erant Aprilis, quando epistola hæc Coesfeldiæ dabatur.

8. *Benignè etiam dissuadet Urbi.*

Eodem isthic tempore continuabantur adhuc Comitia, quibus unà præsentes intererant Monasterienſium Deputati. His benignè insinuat Princeps, errorem hunc ut maturè corrigant; qui missi sint Hagam, actutùm revocentur; & si quid forsan actum sit, tempestivè retractetur. Et hi quidem explicatam sic Principis mentem ad Senatum promptè delaturos se spondent. Quando verò responsi nihil datum fuit, & pari nihilominùs fervore Hanseaticum interim fœdus apud Batavos urgebatur; *Christophorus Bernardus* ex- *Et sub* peditâ quarto Idus Aprilis severâ jussione, *pœnâ in-* Urbico Sanatui mandat, ni pœnam bis *hibet.*

1658. mille florenorum aureorum, & quamlibet aliam, contra hujuſcemodi prævaricatores, legibus Imperij definitam præhabere malint, ab omni prorsùs cum Rep. Batavorum, & quovis extero, fœderis pactione ſe contineat, *Drachterum* & *Clutium* Hagâ-Comitis ocyùs avocet, iiſdemque ceu rei illicitæ operantibus, quidquid forſan effectum ſit, illicò retractare, ſeriò injungat. Statum namque ſubditarum Urbium, non potentiorum amicitiâ vel nexu, ſed pietate ac devotione erga DEUM, ſuosque ſuperiores firmari.

Reſponſio Monaſteriēſium. Ad hæc Monaſterienſes expeditè. *Haud equidem immemores ſe eorum, quæ per hos dies Deputatis ſuis Coesfeldiæ propoſitâ, & ab his iterùm ad Senatum delata ſint. Nihil verò Cives meditatos unquam, quod vel patriis legibus adverſum explicari, vel ad Principis contumeliam, deſpectúmve ullatenùs ſpectare, cenſeri poſſit. Eſſe palàm omnibus, quantam olim fide publicâ pecuniarum ſummam in Hollandiâ mutuati ſint, uni Diœceſis bono, Suecorum ſcilicet, Haſſorúmque præſidiis liberandæ. Quod interim Creditores, ex non ſoluto pridem cenſu, moræ impatientes mercatoribus, civibus ſuis, arreſta comminentur ſint, & ipſe Princeps de fœdere cum Batavis ineundo, operâ Wilichii,*

lichii, jam dudum Hagæ-Comitis tractârit, utriusque considerationem haud immeritò Senatoribus imposuisse curam advigilandi, ne quid vel eo fœdere Civitas, vel Creditorum molestiâ civis patiatur. Amicam semper viciniam Batavos inter ac Monasterienses cultam esse. Ejusdem conservandæ studia, ad unam inprimis commerciorum salutem, uti nemini sint detrimento, ita nec dici possit vel quidquam Monasterienses tentâsse unquam, quod vel in Cæsaris vel Principis, seu cujusquam alterius, ex Ordinibus Imperii, contemptum aut iniuriam trahi queat. Ut profectò eam mandati severitatem non mereantur, qui nec in Principe quidem, super juribus Civitati competentibus, mandandi agnoscant potestatem. 1658.

Reprobatur à Principe.

Christophorus Bernardus responsi insolentiam demiratus haud volebat ea, quæ Comitis-Hagæ palàm agebantur, uno posse commerciorum prætextu palliari. Secùs ex actis & ipsâ patere chartâ, quam Reip. exhibuerant Civitatis Ablegati. Et quoniam exploratum erat, quo tempore Principatum gessisset, nihil unquam in commerciorum negotio desideratum, sed eam omnium semper fuisse securitatem, ut potuerit justè dolere nemo vel unius teruncij jacturam. Si quis tamen defectus

1658. irrepsisset, haud oportere supplementum ejus apud Batavos & externam Remp. sed ipsum domi Principem sollicitari; ad quem videlicet solum spectaret defensio publica, securitas viarum ac commerciorum. Ut ex iis sanè prætextibus defectionis culpa minimè posset declinari, sed quemadmodum manifesta sit subditorum omnium obligatio, commoda, juráque Principum suorum tuendi, ita qui contrà machinati ausint, legibus rebelles dici, multarique mereantur.

9. *Urgetur nihilominus Societas Hanseatica.*

Nihil propterea intermittebant Hagæ-Comitis Abligati Monasterienses, quo sollicitatis Procerum animis Hanseatico fœderi suam unirent Civitatem. Sed quod eâdem tempestate *Carolus Gustavus* Suecorum Rex victricibus armis Daniam ferè subegisset, & tam interesset Reip. Batavorum impedire, ne *Sundæ* fretum & Balticum mare universum, Suecici juris fieret; quam eo rerum statu Germaniam habere amicam; res Monasterienses quotidiè non parùm defervére visæ sunt. Tandem nihilominùs prodit Fœderatorum Ordinum resolutio. *Constantem esse Reip. mentem prompte semper conferre ea, quæ continuandæ, augendæque; unitos inter Belgas ac Monasteriopolim amicæ vicinitati prodesse possint; nec minùs quam antea, teste orbe toto, commendatam fore*

Resolutio Batavorum.

1658.

fore privilegiorum ac libertatis, juriumque integritatem: Et si Monasterienses reliquarum Civitatum consensum antea probaverint, Civitatem suam societati Hanseaticæ inclusum iri, iis tamen conditionibus, quibus posteà conventum fuerit consensu sociorum.

Ablegati redeunt Monasterium.

Dato hoc Ordinum responso Monasterium redire parant; sed memores litterarum & severæ jussionis, quâ Princeps his diebus Senatum territârat, sui non satis securi ab Ordinibus diploma tutelare petunt & militum manum, quorum comitatu salvi in Urbem reducantur. Néque difficulter impetrant, ceu novum Principis irritamentum. Nam moniti Cives, stipatos equestri Batavorum turmâ Ablegatos reverti, nec procul esse Monasterio, & ipsi pridie sub primam noctis, inscio militiæ Præfecto, multum ex Urbe armatum militem obviam mittunt, átque ita inter Tutelares Hollandos, & præsidiarios Monasterienses ad tympanorum, tubarúmque sonum quinto Nonas Maij in Civitatem incolumes deducunt. Id quod iterùm Princeps territorij violationem interpretabatur.

Sub præsidio militis Batavi.

10.

Monasterienses petunt à Batavia.

Leo ab Aitzema jam persentiscens in rebus Monasterienſibus fervorem animorum apud Batavos indies magis deponi, nec qui expectabatur à tribus Urbibus Hanseaticis

1658. seaticis consensum facile secuturum, patrocinio Civitatis cupiebat exonerari; sed & litteris & novis iterùm mandatis firmatur. Ipsi námque & cumprimis *Guilielmo Adriano Comiti Flodorpio* die vigesimâ septimâ Maij committunt. Ordinibus ut probent præsens undequáque periculum & indè necessitatem Civibus impositam jurium suorum ac libertatis conservandæ. Id cum fieri nequeat sinè militum subsidio, nec ij opportunè nunc conscribi possint, orent omni contentione Fœderatos Ordines, ut dimittant, solvantque sacramento pedites mille, aut tot centurias, quæ eum numerum exæquent, liceâtque iis, sed Civitati denuò juratis Urbis stipendia merere, quamdiu opus visum fuerit. Quod si etiam præter spem contingeret, armatâ rursùm manu Civitatem infestari, ne deserant, sed uti æstate nuperâ, aut amicâ intercessione, aut iis mediis succurrant, quæ opportuna videantur tuendæ securitati. Volunt autem, ne præsentis mandati argumentum propaletur. Igitur *Flodorpius* Comes & *Aitzema* à Rep. nominari quosdam petunt, cum quibus de re Monasterienſi secretò agatur. Inter designatos nonnulli quibus Religio Reformata cordi, curæque erat, haud surdis auribus postulata Monasterienſium excepere: opportunam rati hanc occasionem, sub

Civitati suæ præsidiarios.

Clam super eo tractatur.

sub umbrâ tot præsidiariorum, si non Regionem, certè Religionem in Episcopali Urbe, magno multorum nobilium, vicinorúmque desiderio firmandi. Verùm Hollandia, & cumprimis Urbs *Amstelodamum* bello, quod in septentrione gerebatur, & saluti Balthici maris intentiores, à rebus Monasterienſibus facilè avertebantur, & ipsum *Flodorpium* Comitem impedimenta alìò abstraxêre, qui nec diu post re penitiùs consideratâ se prorsùs abdicat, resarturus prudentiâ, quod fortè præceps errârat. 1658.

Nova cum Batavis emergebat sub hoc tempus molestia. Quispiam Ordinum Grammateo à calamis, reus agebatur revelati decreti secretioris *Joanni Hessingio*, ac propterea ad octennium ex Hollandiæ Comitatu exulare jussus. Quodque *Hessingius*, qui Principis Hagæ Minister ac negotiorum gestor erat, & ipsus attineretur, æstimationem sui læsam arbitratus *Christophorus Bernardus*, è Concilio in Hollandiam ocyùs ablegat Henricum *Batzium* Jurisperitum, ut dimitti Hessingium postularet. Qui & Hagam appulsus in iis, quæ jussa erant, exequendis impiger, *Virum* ajebat, *variorum esse Principum ministrum, litteris non unis publicæ fidei probatum, tabulis inscriptum, agnitumque. Si pater filium appellet, eum,* qui

11. *Hessingius Principis Hagæ minister, captivus.*

Legatione Batzii dimittitur.

1658. *qui dubitabatur, an filius esset, legibus definitum, iam filiam esse & prærogativâ filij gaudere. Reum pariter agi Hessingium delati ad se secretioris Decreti & nominatim Anni præcedentis de solvendâ Monasterij obsidione. Præsulem suum paratum* verbo Principis *testari, non ab Hessingio id prodiisse, sed ab alio se scire, quem si ita res exigat, nominare possit. Sed esto etiam Hessingium industriâ suâ excessisse limites; quis sit, qui ex historia ignoret, ab eo tempore, quo politia coli caperit, aulæq; Magnatum & Curiæ frequentari, Legatos, Agentes, negotiorúmque gestores in eo semper fuisse totos, ut rebus principalium suorum veleficari & commodare potuerint. Fecisse id olim, facere & hodiedum; ita prorsùs, ut qui hic flaccescat, nullibi par isti muneri aut aptus censeatur. Agens si igitur olim illud obtinuit, si etiamnum obtinet, si communis error aut ius faciat, uti facit, aut à culpa excusset; quisnam æquus arbiter succenseat Hessingio, se viam sectatum esse à tot ætatibus iam tritam? Romanos perfectissimam olim gentem, nunquam rigidis nixam esse consiliis, ubi dicta lex in usu fuit. Aut innocentem igitur, aut ita quóque reum dimitti oportere.*

Et

1658.

Et id oratione suâ effecit *Batzius*, ut statim Ordines è custodia dimiserint Hessingium & suæ restituerint libertati.

12. *Francofurtum indicta electio Imperatoris.*

Interregni ab excessu Divi *Ferdinandi Tertij* Romanorum Imperatoris, annus nunc secundus volvebatur. Electores jam pridem invitati erant Francofurtum, diesq; decima octava Julij indicta successori deligendo. Post Octoviros Pontificius, Galliæ, & Hispaniæ Monarcharum, aliorúmq; Regum ac Principum Legati isthuc numerosè confluxerant, Et cum eâdem in Urbe Deputatio Imperij adhuc continuaretur, legemque componerent Electores (*Capitulationem* vocant) futuro Regi Romanorum, studia partium fervebant, ut eorum præsentes aucuparentur gratiam, quorum amicitia vel authoritas utilis sperabatur. Monasterienses è Senatu *Timmerscheidium* Consulem & *Keppelium* JurisConsultos eò mittunt, qui licet ab Austriacis benigniùs habiti sint, à Moguntino tamen Pontifice duriùs excepti, dimissique, re infectâ & modicâ spe, brevi domum revertuntur. Sed & suos jam dudum ablegaverat *Christophorus Bernardus*, huic inprimis curæ intentus, ut quod sæpè monuerat Bavarus & Saxo ceu Vicarij, & sollicitè semper curaverant Rhenani Electores, Civitatem suam ab instituto ad Batavos recursu arctiùs coërceret, Nec

Quò Civitas.

Et Princeps suos ablegat.

suo-

1658. suo caruit spes & opera successu. Accessit namque Cæsareæ Capitulationi nonus hic, qui sequitur, articulus. *Cumque in facto animadversum sit, quod exteri Magnates in negotiis Imperij ac signanter controversiis, quæ inter status ac subditos versantur, sub prætextu fœderis Hanseatici vel alio simili se immiscerant, invicem concurrant, & erecta antiquitùs uniones confirment, approbéntq; : instrumentum autem pacis, solis Electoribus, Principibus & Ordinibus Imperij Confœderationes permittat, subditis verò neget; imò si quæ forsan hujusmodi olim privilegia obtinuerint, vel indulta, retractet, annullétq;. Hinc Nos non solum per litteras dehortatorias conatibus adeò periculosis obviabimus, sed nec ullatenùs permittemus, ut contra Auream Bullam, Instrumentum Pacis & Imperij Constitutiones, ulli mediati subditi cum exteris Magnatibus aut Rebuspub. vel aliis, ipsis etiam Imperij Ordinibus, eorúmque subditis fœdera, protectiones, aut guarantias paciscantur, & si quid contra attentatum foret, indilatè abrogabimus, inque contraventores, præsertim eos, qui adversus suos Territorij Dominos ad exteros Dominantes recurrunt, ipsorúmq; auxilia, indigenatum ac protectionem realiter*

Capitulatio Cæsarea Monasteriensibus adversa.

realiter impetrant, recipiunt, utuntur, in iis constantes manent, nec illicitis hujusmodi attentatis post admonitionem renunciant, juxta legum Imperij rigorem animadvertemus, curabimusque, ut si necessitas ita exigat, ipsa facta & invasiones congruis pariter mediis avertantur. 1658.

Vix poterat quidquam expressiùs inseri, quo Monasterienses ceu subditi, à suo ad Confœderatos Ordines Belgij refugio fortiùs retraherentur. Id tametsi Cives non fugiebat, hinc tamen potentiâ Batavorum, illinc clementiâ domûs Austriacæ in spem melioris erigebantur. Ut primùm enim nuncius attulit *Leopoldum Austrium*, Hungariæ, Bohemiæque Regem, concordi Electotum omnium suffragio, decimo quinto Kal. sextiles Francofurti lectum esse ac renunciatum, isto nomine Primum, Romanorum Imperatorem (nam incredibili celeritate Germaniam universam fama pervolavit) cives haud præstolati Principis jussa, aut communem Provinciæ totius plausum, vigesimâ secundâ Julij sub vesperam, reseratis privatâ authoritate templorum foribus, ipsi campanas pulsant; & honorario spectabiles armatu, unà cum præsidiario milite, per valla, per compita, tormentis, bombardis, festivis ignibus lætitiæ signa dant:

13. *Leopoldus eligitur.*

Applausus Monasteriensium.

1658. sed ineunte jam nocte, ubi civis & miles ab armis cessabat, in turrim Divi *Lamberti* ac propylæum vinariæ domûs, Tubicines & phonascorum grex bipartitim ascendunt; & hymnum alternantes Ambrosianum, festivâ Neo-Cæsari symmetriâ applausêre. Pluris volebant æstimari speratam hoc oblectamento Cæsaris gratiam, quam posthabiti Principis sui offensam.

Et Christophori Bernardi.

At verò *Christophorus Bernardus*, uti pro felici Regis electione, statim ab excessu Ferdinandi Tertij, sollicitudine consuetâ, toti Diœcesi preces, ita nunc solennem gratiarum actionem sine morâ imperavit; quam & ipse singulari pompâ festivam habuit, supra omnes lætus, quod filium, quod nepotem Cæsarum, ex Austriacâ domo, in solio Imperiali videret successorem, cui perennem in terris vitam, Imperium felix, fortunatúmque, victoriam de hostibus, imò fausta omnia à superis precabatur; nec omisit plura statim lætitiæ ac devotionis argumenta testari, quando Cæsaream *Leopoldo* majestatem fuit gratulatus.

14. *Fœdus Rhenanum extenditur.*

Per quos dies hæc in Provinciâ Monasterienſi agebantur, *Leopoldus* Primus jam Imperator Francofurtum reliquit. Ubi inter Electores ac Principes, cum *Christophoro Bernardo* jam antè sociatos, quarto

quarto decimo Augusti novum fœdus cusum est, sed in pauca ab eo discrepans, quod quadriennio ferè ab hinc pacti erant. Morabantur tum in Urbe Moguntinâ Antonius Dux *Gramondus* Par & Mareschallus Franciæ, ac Hugo *Leonius* Marchio Fresnæus Christianissimi Regis Oratores. Quorum operâ eidem se societati Rex adscripsit juxtâ tabulas quâ subjicimus formâ & verbis expeditas. 1658.

Et innectitur Rex Galliarum.

Tabulæ fœderis.

Quandoquidem Sacra Christianissima Regia Majestas ut consors pacis, accedit ad fœdus, quod Eminentissimi, Serenissimi & Reverendissimi Principes ac Domini, D. Joannes Philippus Moguntinus, D. Carolus Casparus Trevirensis, D. Maximilianus Henricus Colonienſis, Archi-Episcopi, Sacri Romani Imperii per Germaniam, Galliam, Regnum Arelatense, ac Italiam, Archi Cancellarii ac Principes Electores, Christophorus Bernardus Episcopus Monasterienſis, sacri Romani Imperii Princeps, D. Philippus Wilhelmus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Juliaci, Cliviæ, & Montium, &c. Regia Majestas Sueciæ, uti Dux Bremæ & Verdæ, ac Dominus Wismariæ, &c. D. D. D. Augustus, Christianus Ludovicus, & Georgius Wilhelmus, Duces Brunsuicenses & Lunæburgenses, nec non D. Wilhelmus Hassiæ Landgravius, &c. vi recessûs Francofurti hujus Anni Millesimi, sexcentesimi, quinquagesimi octavi, die decimo quarto Augusti, unanimiter conventi, inierunt, ideò Rex Christianiss-

mus eundem receſſum per omnia omninò com-
probat, & juxta ejus tenorem, iisdémq; ſuis
conditionibus, prædictis Electoribus & Prin-
cipibus ſe aſſociat, adeóq; Rex Chriſtianiſſimus ab
unâ: deinde Electores ac Principes fœderati ex
alterâ parte, pro communis in ſacro Imperio
tranquillitatis conſervatione, mutuam inter ſe
amicitiam ac defenſionem paciſcentes, præ-
étúmq; ſolennem receſſum hac ſingulari pactio-
ne confirmantes, utrinq; porrò in conditiones
infraſcriptas convenerunt, ita tamen, ut, pro
ut in dicto receſſu continetur, ad idem fœdus
liber aditus patere debeat omnibus, nullo ex-
cepto, reliquis Principibus pacis conſortibus,
tum Catholicis, tum Auguſtanæ Confeſſioni ad-
dictis.

Sit ſuper pace publicâ Monaſteriensi &
Oſnabrugenſi, inter Regem Chriſtianiſſimum &
fœderatos Electores ac Principes ſupradictos,
omnes & ſingulos, eorúmq; ſucceſſores, hæ-
des, & poſteros, amica, ſincera, & firma cor-
reſpondentia, ac reciproca obligatio in termino
defenſivus, ita ut unus alteri, omnésq; uni, &
ſic mutuò ſibi inter ſe, ſi invadantur in ſuis
ditionibus, inſtrumento pacis comprehenſis, aſſi-
ſtant modo ſequenti.

Defenſivum hoc fœdus ultrà non extendi-
tur, niſi quoúsq; omnes ac ſingulos inſtrumen-
tum pacis obſtringit: Ex quo ſecuritate tam
publicâ, quàm privatâ, Rex Chriſtianiſſimus
& fœderati Electores ac Principes, quinq; ſeor-
ſim

ſim, & junctim omnes, fruantur, mutuis auxiliis tuti adversus quoscunq; aggreßores & invaſores, inſtrumento pacis contraventuros.

In ſpecie vero unus alteri opem ferat contra turbatores in eo, quod quisq; paciſcentium jure ſucceſſionis aut electionis, aut vi inſtrumenti pacis, re ipsâ poßidet. Ex hac ſervandæ pacis conventione particulari, nullo modo ladatur quisquam ſivè intra ſivè extra Imperium; bella etiam Hiſpano-Gallica indè penitùs ſint excluſa; adeo, ut iis fœderati Electores ac Principes nullatenùs implicari velint, nec quoquo modo teneantur.

Rex Chriſtianiſſimus fœderi huic defenſivo accedens, promittit ſervare omnibus modis Inſtrumentum Pacis, & requiſitus aßiſtere eis, qui idem ſervare volunt, quivè Electorum, tum omnium & ſingulorum Principum & Imperij Ordinum jura & libertatem ſibi cordi eſſe ſinunt, contra omnes, quotquot voluerint vel tentaverint eos impugnatum ire, aut in exercitio jurium, libertatúmq; ſuarum impedire.

Rex Chriſtianiſſimus promittit arma ſua nullo modo applicare vel conferre contra vel in Imperium, aut Electores, Principésq; aut eorundem provincias, terrásq; hoſtiliter incurſare, aut hybernis, contributionibus, aliiſvè quibuscúnque exactionibus bellicis gravare, eaſvè nullo alio modo turbare, nec permittere, ut in præjudicium ſacri Imperij vel confœderatorum Electorum ac Principum, quicúnque jam

sint, vel fœderi huic sint accessuri, miles in Galliis, aut in Alsatiâ conscribatur, indéque in perniciem illorum educatur, armáve, tormentá, vel pulveres tormentarij hostibus ipsorum submittantur. Rex in specie suos quoque reliquos fœderatos, quicunque illi sint, vel futuri sint, intra & extra Imperium, ita disponet, ut pariter bonam & stabilem amicitiam, pacémq; servent cum Imperio, Electoribus, & Principibus fœderatis, hisque ne nocere aut præjudicare ullo modo, vel directè, vel indirectè velint, aut faciant.

Rex Christianissimus in simplo se obligat, tum omnibus fœderatis his conjunctim, tum seorsim singulis, assistere mille sexcentis peditibus, & octingentis equitibus, cum convenientibus tormentis bellicis, propriisque sumptibus, si ipsi, ullavê eorum ditiones, ubicunq; sita sint in Germania, hostiliter invadantur, vel stativis, hybernis, exactionibus, contributionibus, transitibus violentis, & executionibus militaribus, aliisque factis átque pressuris, quovis modo graventur.

Vice versâ pollicentur Electores & Principes fœderati pacem servare cum Rege Christianissimo, Regno Galliæ, & cunctis Regionibus ei nunc subjacentibus, néque directè, nec indirectè assistere milite vel pecunia iis, qui volent contra Instrumenta pacis Regem, ejusque terras per Instrumentum pacis acquisitas, átque possessas, aut in quibus vi Instrumenti pacis

ti pacis habet jus præsidii, hostiliter invadere.

Electores & Principes fœderati obligant se in simplo illo numero & peditum & equitum, qui in supradicto recessu expressus est, suopte ære, auxilio esse Regi Christianissimo in & pro illis provinciis, quas ex Instrumento pacis habet, si ex Imperio ab ullo Statuum, aliisve, qui Monasterienses Pacis socij sunt, hostiliter invadatur, aut arma auxiliaria inimicis ejus, illas terras invadentibus, præbeantur.

Si Instrumentum pacis non servetur, tunc ad requisitionem partis læsæ statim fœderati Electores & Principes, & qui porrò acceßerint huic fœderi, juxta præscriptum Instrumenti Pacis, omnem fidam operam, studia & officia prompta in id adhibebunt, ut ejusmodi infractiones sine morâ & reipsâ tollantur & reparentur.

Vigore hujus fœderis singuli & omnes Electores ac Principes fœderati promittunt, se, ad obtinendam pacis observantiam, tam in Imperij Comitiis quam alibi, omni modo ac totis viribus curaturos, prospecturósque, ut generalis guarantia in Instrumento pacis, §. Veruntamen &c. *fundata, efficaciter & realiter in ipso opere constituatur, quâ constituta vel speciali aliqua garantiâ tantisper, donec illa generalis plenè firmetur, inter pacis socios,*

plurium ad hoc fœdus accessu factâ, de aliis realibus & effectivis mediis pacem conservandi ac tuendi, & de conjunctione consiliorum, viriúmque in contravenientes porro convenietur.

Interim singuli & omnes fœderati Electores, Principésque ad fluvios, ac præsertim ad Rhenum habitantes, & ubicúnque præterea id ob sitûs opportunitatem fieri poterit, quilibet eorum in suo territorio, tenebuntur cavere, ne copiæ adversus Regem Christianissimum, ejúsque modernos fœderatos, in Belgium aút alio missæ, per ditiones suas transeant, neve in suis terris ulla stativa, hyberna, arma, tormenta, commeatus, eis permittantur, qui paci contraveniunt.

Rex Christianissimus & fœderati Electores & Principes mutuò sibi promittunt, si occasione vel sub prætextu hujus defensivæ pro pace correspondentiæ, in Germaniâ unus illorum vel omnes, ab ullo, quisquis ille vel intra vel extra Imperium futurus sit, offendatur, hostiliterve tractetur, quod tum unus alteri omni conatu, & necessitati congruâ virium suarum potentiâ præsto esse, suos exercitus eò conducere, & pro defensione laborantis socij, copias suas paratissimas conjungere velint.

Duret defensivum hoc fœdus ad proximum triennium à die ratificationis computandum, áique si interea pax inter Galliæ & Hispaniæ Coronas non coierit, prorogetur consensu Confœderatorum omnium, aut eorum, qui in hoc

fœdere

fœdere ulterius persistere volent, & de hoc tractetur Francofurti medio anno ante lapsum triennij.

Hos omnes articulos & singulos Rex Christianissimus & fœderati Electores & Principes sibi appromiserunt, quia instrumento pacis & cæteris Imperij Constitutionibus nituntur, & Recessui hujus Anni Millesimi sexcentesimi quinquagesimi octavi die decimo quarto Augusti Francofurti inter principio memoratos Electores & Principes inito, cui Rex Christianissimus accedit, conformes sunt, & ad neminis mortalium offensionem spectant.

Reservant sibi tamen Electores & Principes fœderati omnes & singuli, fidem Imperio, patriæ suæ, & Imperatori debitam.

In fidem ac solidamentum horum omnium Instrumentum hujus fœderis ad ratificationes Dominorum Principalium intra spatium unius mensis invicem commutandas subscriptum & subsiguatum est, à Regis Christianissimi & fœderatorum Electorum, Principumque Legatis. Moguntiæ die decimo quinto Augusti Anno Millesimo sexcentesimo, quinquagesimo octavo.

Scio non defuisse, qui *Christophoro Bernardo* inconsultum arbitrabantur hanc una confœderationem amplecti. Id inviſum fore Austriacis & pernitiosum causæ cum Monasterienſibus controversæ. Sed quoniam Principi simul opus erat amicitiâ Regis Galliarum, & in hanc

15. *Cur idẽ amplexus sit C. Bernardus.*

1658. propendebant Principes Confœderati omnes, haud decere opinabantur alij, *Christophorum Bernardum* singularem & ita imprudentem esse, ut subtraheret se solum; & societatem, quæ fidem Imperio, patriæ, Imperatori debitam, omninò salvam velit, unà cum Sociorum & tanti Regis favore declinaret. Et quanquam initiò non unâ de causâ subscriptionem aliquò usque suspendit, adeò tamen dextrè postmodò se illi innexuit, ut quod nobis exploratum est, idcirco nec gratiâ Cæsaris exciderit, nec factum Cæsar improbârit. Et profectò, sicuti Capitulatione Cæsareâ Imperatorem, ità pactione hac Moguntinâ Regem Galliarum suum pariter ad subsidium obligavit. Præsertim cum Rex sponderet ita dispositurum se suos, seu intra, seu extra Imperium Socios, ut cum fœderatis hisce Principibus stabilem colerent amicitiam, nec rebus aut commodis illorum nullatenus officerent: Atq; ita *Christophorus Bernardus* jecit fundamenta secundæ obsidionis, cæpitque Monasterium suâ prudentiâ expugnare, antequam obsideret.

Educit militem suum ex Urbe.

Sed præsidium, quod in Urbe Princeps ex pactione *Geistana* à tempore ingressûs sui continuârat, uti civium oculis invisum erat, ita & domibus permolestum. Qui à Civitate nonnihil stabant Ordi-

Ordines Diœceſani, cumprimis pauci è Nobilitate, ſuadere Principi, ut educto partim milite præſidium contrahatur. Nullum quippe hoſtilitatis eſſe metum, & animos civium faciliùs ita tranquillatum iri. Princeps perſuaſus partem educit; ſed vix priores ſtationem reliquerant, reliquis fores præcluduntur, negantúrque hoſpitia; ut dum abitum minis etiam ac injuriis maturant, Principi ſatiùs fuerit totum evocare; præſertim cum reliquiæ præſidiariorum, viribus Urbanis impares, ad ea quoque adigerentur, quæ cum Principis & militiæ deſpectu conjuncta erant. 1658.

16. *Indicit preces.*

Inter hæc *Chriſtophorus Bernardus* præſentibus patriæ malis haud rarò ingemiſcit; Nec vanè auguratus majora, quod non ignoraret iram DEI peccatis hominum provocari, juſtáque ultione immitti ſæpè calamitates, quibus unà fontes, inſontéſque miſerè implicentur, ut iratum Numen placet, futuráque mala à cervicibus commiſſi gregis avertat, publicas, privatáſque preces Diœceſanis indicit. Dein ut Chriſtiano inſtituto conformis ſit vita ſubditorum, multa ſalubriter ac præclarè ſtatuit; cumprimis in duella, in divinos & ariolos, inque eos, qui in DEUM, qui in ſuperos contumelioſi forent, & contra facinoroſos hujuſmodi legum rigorem innovavit. Nec

Et multa ſalubriter ordinat.

1658. *Impetrat à Cæsare mandatum contra Monasteriēses.*

Nec humana deesse media passus est, dum apud Imperatorem excitatâ Regiæ Capitulationis memoriâ per se, per suos urget, Monasterienſis Civitas ut à confugio ad exteros severè coërceatur. Exeunte igitur hoc anno supra quinquagesimum octavo perfertur ad Senatum, Populúmque Monasterienſem Cæsaris mandatum hujus argumenti

LEOPOLDVS Divinâ clementiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus. &c.

Dilecti & Fideles. Episcopi Monasterienſis Devotio, tam per litteras, quam per suos ad Conventum Deputationis Ablegatos humiliter supplicavit, ut Cæsareo Nostro mandato Vos seriò commoneremus, ne in causa se inter & Vos controversâ, ad Ordines Belgij Confœderatos vel quempiam alienum recurreretis, sed quod & Devotio sua facit, obedienter expectaretis Judicii decisionem. Id cum æquitati & sacri Imperij legibus consentaneum sit, dictámque controversiam Cæsareæ Nostræ determinationi submittere se Devotio sua testetur. Eapropter clementissimè & seriò Vobis imperamus, ut Vos & juris definitioni subjiciatis, & ab omni prorsùs ad alios recursu contineatis. Hæc est enixa Nostra Cæsarea voluntas,

tas, quam obedienter exequi vestrum erit. Dabamus in Civitate Nostrâ Viennensi die duodecimâ Decembris 1658. 1658.

LEOPOLDUS.

Ut. *Ferdinandus Comes Curtius.* 1659.
Ad mandatum S. Cæsareæ Majestatis proprium. 17.
Reinhardus Schroderus.

Tollit controversiam Eckianam.

Eam Cæsaris prohibitionem, cum obsequelam Monasterienses sponderent, multùm quidem Princeps credebat profuturam intestinæ quieti; sed ut omnem quoque vicinis adimeret occasionem publici motûs, duo è medio tollere necessum judicabat. Erat *Eckiana contributio; & prætextum jus in Beverger-nam.* Hoc subindè excitabant Principis *Auriaci* Tutores. Illa originem traxerat à quodam *Eckio*, qui dum olim magnam pecuniæ vim ceu Creditor postulârat à Principatu Monasterienſi, solutione pernegatâ benigniores expertus Gelros, Transisalanósque, quæ ampla isto tractu possidebat Clerus Monasterienſis bona, legitimi juris prætextu adjudicata obtinuerat. Crescente postea censu & sumptu, multis millibus debitum hoc Diœcesi stetit. Prærepti námque fructus & prædia possessoribus refundi debuerunt, imperatâ Diœcesanis exactione, quæ & inde celebratissimo nomine dicta est

Patriæ dira damnosam.

Eckia-

1659. *Eckiana.* Quibus patriam nominibus ut liberaret Princeps, instituto cum Gelris & iis, quorum intererat, Zutphaniæ tractatu, nunc abrupto, nunc innovato, operâ tandem Ablegatorum rem totam hoc tempore confecit, atque ita Clerum & Patriam tantis tot annorum oneribus, molestiisque feliciter expedivit. Quid verò de causâ Bevergernensi Principem inter & Auriaci Tutores actum sit, ex ipso, quod sequitur, Transactionis Documento explicatiùs liquebit.

Et Bevergernensem, juxta has tabulas.

Notum sit universis. Cum inter Serenissimam Principem ac Dominam D. Mariam ex Regibus Magnæ Britanniæ natam, & Celsissimam Principem ac Dominam D. Ameliam viduam, Principes Auriacas (titul.) *tam propriâ, quam Serenissimi Principis ac Domini D. Friderici Wilhelmi Marchionis Brandenburgici, S. Rom. Imperij Principis Electoris* (tit.) *authoritate munitas, uti respectivè Matrem, Aviam ac Tutores Serenissimi itidem Principis ac Domini D. Guilielmi Henrici Arausionensium Principis* (tit.) *ex unâ, & Celsissimum ac Reverendissimum Principem ac Dominum D. Christophorum Bernardum Episcopum Monasterienſem* (tit.) *ex alterâ partibus, occasione prætensionis cujusdam in Castrum ac Municipium Bevergern, item in Arces ac Præfecturas Cloppenburg, Oite & Frisoite, nec non Embslandiam, Scappiam & Hummelingiam, & quot-*

quot

quot olim Comes Tecklenburgicus loca Diœcesi Monasterienſi cesserit (Lingenſi Præfectura cum quatuor ſuis paræciis duntaxat exceptis) diſſenſiones natæ ſint, & memorati Tutores prædictarum Præfecturarum, Caſtrorum, Municipiorum, oppidorum, pagorum, locorum, bonorum ac pertinentiarum reſpective deoccupationem & reſtitutionem urſerint, è contrà verò memorata ſua Celſitudo non ſolum id recusârit, ſed & continuatam hactenùs in tertium uſque ſeculum poſſeſſionem vel quaſi allegârit, & indè non modica colliſio, bonaq; vicinitatis & amicitiæ perturbatio facilè enaſci potuiſſet; quibus malis ut partes antevertant, ſimúlque conſervent & augeant mutuam hucúsq; neceſſitudinem; atque unà partam tam carè pacem in Imperio Romano ac vicinis Provinciis conſtabiliant, quietemque procurent utrímque conſtantiorem, poſt varias hinc indè Legationes, tractatus & Conſultationes amicè tandem convenerunt in modum ſequentem.

Primùm dicti Domini Tutores nomine Pupilli ſui Principis Auriaci, & tam pro ſe, quam totâ Domo Auriacâ, omnibusque Conſanguineis, Co: & Agnatis cedunt ac renunciant omnibus & quibuscúnque juribus ac prætenſionibus in prætacta Caſtra, municipia, loca & bona cum omnibus att- & pertinentiis in perpetuum, ita ut nec unquam, nec ullibi, ſivè intra, ſivè extra Romanum Imperium, ſeu judicialiter, ſeu extrajudicialiter, ſub quocúnq;

cûnque etiam quæsito colore vel prætextu contra Celsitudinem suam, Ejusque Successores, seu etiam Diœcesin & Principatum Monasterienſem ullatenus posthac moveri, servire aut prodesse posſint aut valeant; sed ea omnia mortificent & annullent in hisce scriptis, non secùs ac si nunquam in rerum naturâ fuissent, átque ita in perpetuum mortificata & annullata esse ac permanere debeant. Eumq; in finem & ad majorem quóq; firmitatem cedunt & renunciant omnibus actionibus, beneficiis & sententiis, quæ propter prædicta bona contra quemcunq; & nominatim Comitem Tecklenburgicum moveri vel illis utiliter competere quocunq; modo possent. Pari modo cedunt ac renunciant in perpetuum omnibus pretensionibus & juribus, quæ præfato Principi & Domui Auriacæ beneficio Instrumenti Pacis Hispano-Batavæ de Anno 1648. & signanter §. 50. cedat item specialim attributa & reservata sunt, ita ut ex nunc in perpetuum prodesse amplius non possint aut debeant; sicut & iidem Domini Tutores Celsitudinem suam, Ejúsq; Successores, Diœcesin & Principatum Monasterienſem de his aquæ ac omnibus prætactis prætensiónibus sigillatim quietârunt & absolverunt. Quod si etiam aliquando contingeret Celsitudinem suam, Ejusq; successores, Diœcesin & Prineipatum Monasterienſem contra hanc transactionem, cessionem & tractatum, vel quoad prædicta bona, eorumve pertinentias, aut etiam possessionem & usum impugnari, impediri, vel inquietari, quocúnque demùm

demùm modo id eveniret, ſpondent & promittunt ſæpememorati Tutores pro eo quod gerunt Tutelæ officio, Celſitudinem ſuam, Ejúſq; ſucceſſores, Diœceſin & Principatum Monaſterienſem, in bonis, juribus & prætenſionibus per hanc ceſſionem & tractatum à laudatiſſimâ domo Auriacâ acquiſitis ſe tuituros, & indemnes ſervaturos. Promittunt quóq; & ſtipulantur effecturos ſe, ut Princeps Auriacus, quando majorennis fuerit, contractum & tranſactionem hanc pro ſe, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis firmum, ratum ac gratum habeat, nec propterea quidquam aliud à Celſitudine ſuâ, Ejus ſucceſſoribus, Diœceſi aut Principatu Monaſterienſi exigat aut prætendat, Verbo Principum & ſub hypotheca omnium bonorum, Principatuum, Comitatuum, Dynaſtiarum, ubicúnq; locorum ad Auriacum Principem pertinentium, nullo prorsùs excepto, & nominatim Comitatûs & Dominij Lingæ cum omnibus att- & pertinentiis ſuis, ita quidem ut nec generalitas ſpecialitati, nec ſpecialitas generalitati deroget. Renunciant iidem Domini Tutores, eorumq; Conſortes ſignanter beneficio Auth. Præſente. Cod. de fidejuſs. Diviſionis, & Epiſtolæ Divi Adriani, Cedendarum actionum, & novarum Conſtitutionum de fidejuſſoribus, aut pluribus debendi reis, Senatus-Conſulti Velleiani, Authent. ſi qua mulier. *Et quæ id genus plura in favorem ſexus fœminei vel corpore utriúſq; juris, vel Sacri Romani Imperij Conſtitutionibus & receſſibus, aut in aliorum Principum &*

Rerumpub. Ordinationibus comprehensa & latius expressa sunt; item generaliter omnibus exceptionibus, effugiis, favoribus & beneficiis, quæ Principi pupillo quoquo modo competunt, aut imposterum competere poterunt, prouti ea omnia & singula nullo prorsus dempto, non minus, quam prædeducta specialia, in corpore utriusq; juris, S. Rom. Imperii recessibus & constitutionibus & aliorum Principum, Magnatum & Rerump. legibus expressa & contenta sunt, quibus omnibus tam in specie quam in genere, ac si de verbo ad verbum hisce inserta & specificata essent, scienter, & à Consiliariis suis, aliisq; abunde informati harum vigore in optimâ juris formâ, absolute, plenissimè & in perpetuum renunciant, ita quidem, ut contra hanc promissionem, renunciationem, & obligationem, datámq; facultatem propriâ authoritate exequendi aut aliàs per viam paratæ executionis procedendi, nec omnes, nec singuli, nec aliquis eorum hujusmodi exceptionibus, effugiis, contradictionibus, nec aliquo Rescripto, arresto, mandato vel inhibitione, etiamsi à Sacrâ Cæsareâ Majestate, S. Romani Imperii Electoribus, Principibus & Ordinibus, aut alia Coronis, Regibus, Magnatibus, Rebusp. vel Provinciis jam tum obtenta vel decreta essent, seu in futurum sub quocunq; etiam colore & prætextu obtineri vel decerni contingeret, neq; ulla beneficio appellationis, provocationis, recursûs, restitutionis in integrum, nullitatis contractûs, aut processus revisionis, & similibus (quibus omnibus, quan-

quantum quidem præsentibus contraria sunt, scienter & sufficienter instructi in optimâ juris formâ renunciant) se unquam defensuri aut tuituri sint, sed omnibus iis non attentis ad paratam nihilominùs executionem, ejusq; vias & modos, quæcunq; etiam via & modus eligatur, efficaciter & absq; mora procedi possit ac valeat.

E contrà promittit altedicta sua Celsitudo de præscitu & consensu suorum Ordinum sæpius altèmemoratis Dominis Tutoribus, erga mortificationem omnium jurium ac prætensionum in prædicta bona & loca cum pertinentiis omnibus & singulis, nec non quibuscunq; quomodolibet an- & connexis & dependentibus, summam centum & quindecim mille Imperialium Talerorum, quemlibet ad quinquaginta sestertios monetæ Hollandicæ computando, in Diœcesi, & Principatu suo, vel hic Coesfeldiæ, vel quo loco tunc Camera Provincialis fuerit, ad manus istius vel istorum, qui datam à Tutoribus sufficientem potestatem, vel assignationem probaverint, erga legitimam apocham numerare ac solvere, sub pari hypothecâ omnium facultatum & bonorum suorum, quocunq; demum loco sitorum, vel existentium usq; ad realem solutionem præspecificatæ summæ absq; ullo defectu seu decurtatione, & usq; ad plenariam supra memoratorum Dominorum Tutorum satisfactionem. Quia verò Celsitudo sua existimavit exulceratis hisce temporibus tantum unà vice summam difficulter solvi posse, futura solutio diversis septem terminis ita pacta est, ut die S. Mi-

chaeli Archangelo festivâ currentis anni, ceu primo termino, vigesies & quinquies mille âbs[que] ullo censu, reliquum verò secuturis sexagesimo, & sexagesimo primo, secundo, tertio, quarto & quinto annis eâdem S. Michaelis festâ luce intra quatuordecim dies, & quidem summa quindecim millium quotannis ita solvatur ac numeretur, ut venturo proximè anno sexagesimo ipsâ S. Michaelis, quindena Imperialium millia sine censu, de residuis verò septuaginta quinque millibus pro annuo censu (duobus de centenario quolibet computatis) mille quingenti, átque ita universim tunc sedecies mille & quingenti Daleri Imperiales; sequente autem anno sexagesimo primo praeter quindecim millia, pro annuo reditu (tribus de quolibet centenario computandis) bis mille, ducenti quinquaginta, átque ita summatim decies septies mille ducenti quinquaginta Imperiales. Proximo tunc anno, scil. sexagesimo secundo, item quindena millia, & de sorte restantium sexaginta millium, pro annuo reditu, mille octingenti, átque ita in universum decies & sexies mille, octingenti Imperiales; Dein anno insequente sexagesimo tertio decies iterùm & quinquies mille; de residuâ verò sorte quadraginta quinque millium, in annuum reditum mille trecenti; summatim igitur sedecim mille & trecenti Imperiales; Demùm anno supra sexagesimum quarto itidem quindena millia & de extante tunc adhuc summâ capitali triginta millium, usura nongentorum, átque ita universim decies & quinquies

mille

mille nongenti Imperiales. Postremùm denique, Anno nimirùm sexagesimo quinto, supra summam quindecim millium tunc residuam, pro usurâ insuper seu annuo reditu quadringenti quinquaginta atque ità summatim quindecim mille quadringenti quinquaginta Imperiales numerentur, superaddantur ac solvantur. Qui collectim constituent summam centenorum & viginti trium millium ducentorum quinquaginta Imperialium Talerorum monetæ valoris Hollandici, quolibet nimirùm Talero Imperiali sestertiis quinquaginta æstimato.

Promittunt vicissim sæpiùs memorati Domini Tutores, se quascúnque tabulas publicas, documenta, chartas, papyros, cessiones, transportationes præsentem tractatum concernentes & concernentia, & quidquid indè tandem dependere vel eò pertinere dignoscitur, sivè apud se, sivè in Archivo Principis Auriaci asservetur, bonâ fide Celsitudini suæ tradituros, & si quid præterea postmodùm inveniri contingeret, id totum mortificatum, annullatum, & perpetuò irritum ac nullum fore & esse debere. Porrò Celsitudini suæ liberum erit pro majori firmitate, robore & assecuratione, hujus transactionis, cessionis & renunciationis confirmationem, approbationem & ratificationem à Sacra Cæsareâ Majestate petere & obtinere; sicuti & è contra obligârunt se Domini Tutores, decretum interpositionis & authoritatis Curiæ Hollandicæ super præinsertis omnibus, ut primùm poterunt, procurare.

Quem in finem Regia ſua Serenitas & Celſiſſima Vidua, Principes Auriacæ, omnibus iterum & ſingulis beneficiis ac favoribus, quocunq; jure fœmineo ſexui conceſſis vel concedendis, certâ ſcientia & ſponſaneâ libertate in perpetuum renunciant. Et quemadmodum tranſactio hæc omnem bonæ vicinitæ confidentiam, mutuámque amicitiam intendit, ità denique tenore præſentium ſpondet Sereniſſima Domus Auriaca, Celſitudinem ſuam, Ejuſque Diœceſin & Principatum ſincero confidentiæ vicinitæ & amicitiæ nexu, cultúque proſequi ſemper. In quorum omnium fidem duo ejusdem argumenti, præſentis tranſactionis exempla expedita, & tam à ſæpedictis Principibus viduis Auriacis, ac Sereniſſimo Principe Electore Brandenburgico, quam à Celſiſſimo Principe Epiſcopo Monaſterienſi propriis manibus ſignata, omniúmq; & ſingulorum ſigillis roborata ſunt. Actum Coesfeldiæ XV. Kalend. Martii. M.DC.LIX.

Exiſtimabat *Chriſtophorus Bernardus* hac ſe viâ non tantùm obligâſſe Octovirum Brandenburgi Marchionem & eos, qui minoris Principis Auriaci partes in Hollandiâ tutabantur, ne quid unquam turbamenti creare poſſent; ſed vel ita cumprimis, à patrocinio Monaſterienſium, in quod forſan implorari contingeret, animos abſtraxiſſe.

18. *Baro Wilichius*

Verùm jam antè *Merveltio* nuper defuncto in Cancellarij dignitate ſuffectus erat

1659.

erat *Theodorus Carolus Baro de Wilich & in Richoltz, Dynasta in Wynenthal.* Cui in Urbe aliquando præsenti insinuârant se Consules & nonnulli de Senatu, ærumnásque suas questi, intercessorem rogârant, ita se porrò ne persequeretur, sed privilegia, juráque Princeps ut relinqueret intacta Civitati. Et quamquam ille sponsâ interpositione spem fecerat dissidiis amicè componendis; quod tamen nova exurgerent quotidie fomenta, brevi spes omnis adempta fuit. Cum enim *vecturis* & *frumento* vectigal impositum (Wagenzeichen & Musterstewr dicebatur) citra immunitatis & exemptionis discrimen, à Clero ac Nobilitate per id tempus Monasterienses exigerent, Procurator Fisci Civitatem in jus vocavit; & glandes igniariæ missiles, quas alibi Senatus emerat, in viâ interceptæ Principis jussu Warendorpium avectæ sunt.

Cancellarius Monasteriensis.

Frustrà interponit se in causa Monasteriensium.

Ob nova dissidiorum fomenta.

Nihilominùs Monasterienses parituri tandem Decreto Cæsarei Tribunalis (quod imperante nunc Leopoldo jus iterùm dicebat) *Drachterum* Viennam mittunt, conquisitis undique documentis onustum, ut *jus præsidij* Civitati adstruat fortioribus, quam olim, argumentis. *Christophorus Bernardus* haud immemor, hac unâ in periodo, causæ totius & juris sui cardinem versari, & ipse *Furstenbergium*

19.

Viennâ Urbs Drachterum.

1659. *C. B. Furstenbergium & Batzium ablegat.*

ocyùs ac *Batzium* Viennam ablegat, qui *Drachterum* obſervent, & controverſiæ litis habeant rationem.

Iſthic tametſi contentio ſuper *jure præſidij* prima erat; vix tamen minoris ſtudij litigium fuit, & diſceptatum utrinq; cur non liceret *Monaſterio* cum Ordinibus Belgij fœderatis ſocietatem paciſci. Eſſe námque Civitatem Hanſeaticam, & Hanſeaticò adſcriptam fœderi, publicâ lege Imperij comprobato. Collegium hoc cum exteris fœdera paciſci poſſe, teſtentur Lubeca, Hamburgum, Brema, & inter has, ac Unitum Belgium Anno ſeculi præſentis ſupra quadrageſimum quinto & ſexto ictæ ſocietatis leges. Et ſanè Monaſterium non eſſe Civitatem merè municipalem, ſed mixtam; cui proindè poteſtatem hujuſmodi neget nemo politices gnarus ſcriptor. Imò quantumvis etiam merè municipalis cenſeretur; non prohiberi tamen in fœdera cöire, quæ tenderent ad ſui defenſionem & commerciorum ſecuritatem.

20. *Argumenta Civitatis ſuper jurepangendi fœderis.*

A Principe refelluntur.

Contrà diſſerebat Princeps, fœderis ineundi poteſtatem ad eos ſolùm pertinere, qui jus haberent Majeſtatis. *Monaſterium* Municipalem & ſubditam tantùm Civitatem eſſe, & ita pridem à Cæſare determinatum. Cui nulla ſuppetat facultas fœdera componendi ſine permiſſu ſuperioris. Et vel ideò fœdus, quod Anno huius ætatis

tis decimo quarto *Magdeburgum* cum Hollandis firmârat, authoritate Cæſaris annullatum: licet Magdeburgum in ordine mixtarum ferè primas habeat. *Lubecam* & ſocias, Urbes eſſe Imperiales, immediatè ſubjectas Cæſari & Imperij tabulis inſertas, quibuſcum non debeat *Monaſteriopolis* comparari. *Mixtam* dici Civitatem, quæ cum ante fuerit libera, certis ſe pactis ſubjecerit ſuperiori, extra quæ ſuâ gaudeat libertate. *Monaſterium* etſi Privilegiis gaudeat, haud ea tamen, à Cæſare vel Imperio, ſed Principe ſuo promanâſſe. Si quæ Cæſar confirmârit, nihil ideò novi tribuiſſe, qui tantùm corróboret antè data. Palam ſit omnibus poſt furorem Anabaptiſtarum, Civitatem privilegiis, juribuſque ſuis exutam eſſe: & quanquam ſolius indulgentiâ Principis nonnulla receperit, merè tamen Diœceſanam & Præſuli ſuo ſubjectam permanſiſſe. Fœdera ad ſui defenſionem ſubditis haud permitti, ſi auxilio Principis ſui non deſtituantur. Id hactenùs non modò non deſideratum, ſed nec ullam pangendi fœderis cauſam ſupereſſe, cum Princeps non impugnet privilegia, ſed tantùm controvertatur jus præſidij, quale Civitas hactenùs nequiverit probare. Non poſſe ălterius clientelæ ſubjicere ſe ſubditos, niſi forſan in defenſi maneant, aut Princeps

1659.

Mixta Civitas, quæ?

1659. sit Tyrannus. Nihil horum patrocinari Civibus, cum subditis in Imperio, si Dominantium injuriâ graventur, integrum sit beneficium ad Cæsarem provocandi. Jus verò defensionis ac tutelæ Civitatis Monasterienſis adversùs omnem vim soli Principi competere, qui cum propulsare eam velit ac possit, nullam agnoscat externæ opis necessitatem.

21. *Monasterienses constituunt Hagæ-Comitis Plenipotentiarium.*

Istis verò rationibus haud ita moti sunt Monasterienses, ut non identidem propterea Hollandiam cogitârint. Vix enim *Drachterus* Viennâ redierat infectâ re, posthabitâ nuperâ Cæsaris prohibitione, sponsâque obsequelâ, *Leonem ab Aitzema* Hagæ-Comitis Patronum secretò instruunt, & has ei mittunt potestatis litteras. *Nos Consules ac Senatores Civitatis & Reipublicæ Monasterienſis partium Westphaliæ vigore præsentium notum facimus. Quandoquidem pro justâ, legitimâq; Jurium ac privilegiorum Civitatis Nostræ defensione & conservatione cum Præpotentibus Ordinibus Generalibus Unitarum Belgii Provinciarum tractare, eúmq; in finem certæ personæ, cum authoritate & plenipotentii negotium dirigendum & peragendum committere, necessum duximus, proindéq; in prudentia, experientia, fide & zelo Nobilis & Clarissimi Domini ab Aitze-*

1659.

Aitzema in obsequium dictæ Civitatis Nostræ confidentes, damus illi absolutam potestatem & authoritatem, nec non generale & speciale mandatum, ut nomine & ex parte Nostra in qualitate Plenipotentiarij hujus Civitatis Nostræ, coram supradictis Præpotentibus Statibus & Collegio Dominorum Ordinum Generalium in Haga-Comitis compareat, proponat, agat & negotietur; Promittimúsque bonâ fide præsentium vigore, sub obligatione personarum nostrarum & Successorum, in generali & particulari, Nos pro bono, firmo & rato habituros, omne quod per benememoratum Dominum ab Aitzema agetur, convenietur & concludetur, ratificaturos, observaturos, átque ut observetur, curaturos ábsque ulla unquam præstatione in contrarium; néque permissuros ut fiat, quocúnque modo, directè vel indirectè. In cujus rei testimonium præsentes jussimus expediri, sigillo nostro consueto muniri, perque Secretarium nostrum signari. Monasterij Westphaliæ 19. Junij 1659.

Bernardus Hollandt Secretarius.

Mox igitur *Aitzema* Confœderatos Belgij Proceres supplex orat, in quingentorum militum dimissionem consentiant, qui imminente quovis periculo vicinis è præsidiis

Is sollicitat pro Urbis præsidio

1659. *militem Batavum.* præsidiis promptè Monasterium festinent, & ibidem sacramento tantisper Ordinum soluti, novóque Civibus dicto, stipendia mereantur. Interesse enim Reip. hujus, ut ita libertatem & jura Civitatis Monasterienſis tueantur.

22. *Interim contra Civitatem.* At verò dum Batavi responsum cunctantur, Legati Principis Viennæ rem strenuè agunt, & decisâ tandem lite è Tribunali Aulæ Imperialis prodit sententia, quam mutato solum idiomate iisdem propè verbis hic pono.

Prodit Sententia Cæsarea. *In causâ inter Consules, Senatorésque Civitatis Monasterienſis & Principem suum Dominum* Christophorum Bernardum *Episcopum Monasterienſem controversâ, exhibita pro parte Civitatis positiones ac probationes tanquam irrelevantes admissæ non sunt, & propter hanc, aliásque rationes petita commissio denegata est, atque ita causa ex officio pro concluſa acceptata, & allegatis omnibus benè ponderatis judicatum, Consules & Senatores, adductum in actis jus præsidii, unà cum jure clavium, portarum, vallorum, murorum & Symboli seu tesseræ militaris in Civitate Monasterienſi non probâsse, sed Domini Episcopi seu Principis & legitimi superioris sui præsidium militare, quoties Celsitudini suæ necessum visum fuerit,*

fuerit, haud gravatim excipere, obligari, nec in eo Celsitudinem suam ullatenùs impediri debere, impensis litis ob causas moventes compensatis. Signatum Viennæ sub Sigillo Sacræ Cæsareæ Majestatis 9. Julij 1659. Vidit *Georgius Ulricus Comes de Wolckenstein.*

Reinhardus Schröder. 1659.

Dies erat Divo *Ignatio* Societatis Jesu Patriarchæ solemnis, quando Viennâ ad Principem hæc perferuntur. Ipse sub id *Coesfeldiæ* in Oratorio ejusdem Societatis rei divinæ operatur, superis mox gratias agit, ac votum DEO nuncupat fundandi eâ in Civitate Patribus Collegium & ædem sacram. Postero statim die Senatui copiam facit, nec privatâ contentus intimatione sententiam typis imprimi & valvis affigi curat Palatij Episcopalis; ut hac, ait, viâ toti populo Monasterienſi innotescat, quam turpiter hactenùs seduci se passi sint, nec inposterùm perversa istiusmodi consilia amplectantur. Ad hæc pandit ostium gratiæ, & si Cives sententiæ Cæsaris obsequentes esse velint, nolle se, testatur, ad rigorem, vel ut persuasi sunt, damno Civitatis eâdem uti, sed inprimis Civium commodis, imò patriæ totius saluti profuturam.

C. B. typis impressam promulgat.

Cum paternâ admonitione.

Missō dein Ordinibus Batavorum exemplo pluribus urget, ne se porrò causæ præsenti

Et exemplum mittit Batavis.

1659. senti implicent; eam enim nunc, non tantùm suam, sed & Imperatoris & Imperij esse: Nec dubitare se, quin pro suâ æquitate & prudentiâ Jurisdictionem Cæsaris & Imperij sub quocúnqne prætextu turbare aut impedire Religioni potiùs futurum sit, quam rei alienæ se immiscendo, tuendóq; contumaces, inviolatæ amicitiæ jura rumpere velint, aut temerare. Et oblatam nunc, addit, publico etiam typo Civitati clementiam suam; neque posthac intemperanter, sed paterne duntaxat usurum se jure nunc aequisito.

23. *Senatus Urbicus antitypum evulgat.*

At verò Senatus ubi notat evulgatâ contra se sententiâ frangi animo civem, antitypo suo variis in locis affixo, diploma Principis haud à contumelia excusat, monétque populum, ne vel sic in errorem se trahi patiatur; sententiam eam præcipitanter, nec servato juris aut Judicij ordine latam, vitio non uno laborare. Diversa legibus antidota præscribi, quorum usu morbus hic facile tolli possit; eademque Senatum non minùs sollicitè, quàm vigilanter ocyùs etiam adhibiturum: tempori tantisper indulgendum esse.

Hoc Princeps scripto non tam se, quam Cæsarem, Ejusque Concilium unà despici, mox opponit; nec tamen ideò omittere, quin paternam monitionem & oblatam ante clementiam nunc iteret; simúlq;

Lecto-

1659.

Lectorem doceat, sententiam nulla præcipitarione, sed parte utrâque annos aliquot satis, supérque auditâ, & argumentis utriúsque pluries maturè discussis, néq; præhabito tantùm Electorum ac Principum judicio, sed & adscitis intimis æquè, ac aulicis Consiliariis ipsóque Cæsare approbante & mandante, pronunciatam esse. Nec aliud, in controverso *Regalium* jure, Imperij legibus observari. An verò remedia supersint, quorum usu sententiæ istius eversio sperari prudenter possit, judicent ij, quorum animi affectionibus partium incorrupti sint. Satis liquere ex novissimis Imperij Constitutionibus, *beneficio Revisionis* non suspendi effectum *executionis*, si cautio interveniat, quæ nullo negotio posset dari. Monet idcircò, & iterùm, átque iterùm, si quæ mens sit religiosior, consideratiùs petpendat, expediatne civi maturatâ compositione oblatæ jam gratiæ se facere participem, an verò extrema seriùs experiri. Et quanquam certius sit, contrarium omnem conatum irritum fore, nolit tamen vel ideò geminatam monitionem, oblationémque desiderari.

Refutatur à Príncipe.

Cum iteratâ admonitione.

24.

At Monasterienses spem omnem, fiduciamque in tribus obfirmabant. Erat *via nullitatis*, *Restitutio in integrum*, *Revisio actorum*. Non posse, sic gravatis,

Monasteriẽses criminantur sententiam.

1659. vatis, vel unum ex iis negari. Alterarum namque partium fuisse *Referentium* informationem ; & palam esse præcipitationis vitium : Civitatem enim, ne communicatis quidem apographis eorum, quæ à Principe adducta sint, imò negatâ *actorum*, uti vocant, *inrotulatione*, & ante testium examen, ante ocularem inspectionem toties petitam, ante datas, fundatásq; probationes, antè conclusionem & submissionem in causa, adeóque non auditam, non defensam definitivâ sententiâ condemnatam esse. Quid, quod jus clavium, portarum, vallorum non probatum asseratur, cum jus præsidij ab eo distinctum esse, nec ullatenùs innexum liti, quam ante septuaginta annos de jure clavium, portarúmque excitârit *Ernestus* Bavarus Colonienſis Septemvir & Antistes Monasterienſis, sed separatim decidi posse, agnoverint ipsius Principis Legati, quando coram Subdelegatis Cæsareis in Dicta Colonienſi de concordiâ tractabatur ? Actorem fuisse Episcopum, ab eo igitur, non à Senatu jus istud probari oportuisse. Hæc & id genus plura amplè deducunt, quibus *Knoestium* ac *Temmingium* Jurisperitos & *Hollandium* Urbis Secretarium instructos, versùs Austriam ablegant, ut quamcúnque medelam quærant læsæ Civitati.

Novos ablegant Viennam.

Dum

Dum hi Viennam abeunt, die decimâ Septembris Imperator *Posonij* (ubi Comitiis Hungaricis tunc præsidebat) ad querelam *Christophori Bernardi* Monasterienſium inobedientiam accusantis decreverat *Executoriales*. Quibus sub pœna viginti marcarum puri auri cum imperio mandat, ut latæ nuper sententiæ pareant, & paruisse doceant intra spatium bimestre. Has Senatui intimatas & iterum typo divulgat Princeps, suumque adjungit diploma, quo tametsi oblatam nuper clementiam à Monasterienſibus sperni sentiat, haud tamen id, testatur, ita mutare potuisse, sinceram, constantemque de salute subditorum sollicitudinem, ut, cum ex præsente Cæsaris mandato palpabilis eluceſcat veritas, monita sua haud caruisse fundamento, & graviter allucinatos esse, quotquot vanâ effugiorum spe sententiæ adversari & populo imponere visi sint, non denuò nunc inculcet omnibus, in id tandem attentius convertant cogitationes suas, an non præstet sub eam præfixi temporis intercapedinem de temporatâ compositione secum agi, quam diutiùs obsequi cæcæ quorundam malevolentiæ, & expectato demum arctiore processu in extremam malorum omnium abyssum seriùs & miserè præcipitari. Si quæ benigna monitio adhuc locum habeant, tertium nunc mone-

1659. 25. *Cæsar decernit Executoriales.*

Intimantur.

Cum tertia jam admonitione.

1659. re, unáque ſinceræ mentis teſtationem, quod per hujuſmodi jus acquiſitum præter unam Civitatis ac Patriæ totius ſalutem, nihil prorsùs intendat, præſente ſcripto, ſed poſtremùm iterare. Hanc verò paternam [& ultimam monitionem ſi perverſis ſeditioſisque porrò conſiliis præter omnem
13. Oct. ſpem poſthaberi contigerit, teſtari DEUM, hominésque innocentiam ſuam, quæcúnq; demùm mala poſtmodum ſubſequantur.

Eitzen & Clute mittuntur in Hollandiam.

26. Iſtâ comminatione ne quicquam territi Monaſterienſes *Joachimum Eitzenum* Syndicum & *Gualterum Clutium* Tribunum-plebis in Hollandiam ablegant, ut apud populum & Proceres, patrocinium Civitati, ac ſubſidium exorent. Prior haud ita pridem peregrinus Monaſterium advenerat, & ut erat homo publico malo facundus, ita in animos civium inſinuâra ſe, ut exemplo novo ſecundum à Drachtero creaverint Urbis Oratorem. Is venditabat ſe filium Alberti ab *Eitzen* Hamburgi Conſulis, ſed ejus gentilitas talem haud noſſe ſe fatebatur Joachimum. Apud Cæſarem & inprimis Hagæ Comitis pluribus uti ſe familiariter, plebi perſuadet; quódque eorum operam præſentibus malis aſſerat, & valdè opportunam fore, in Hollandiam mittitur, creditus eſſe novus ſoter, qui velut è cælo datus, eloquentiâ ſuâ & amicorum favore rem reſtitueret.

Chri-

Christophorum Bernardum publicis tot curis distractum, nunc Viennæ, nunc Francofurti, Monasterij, Hagæ-Comitis, ac vicinis etiam Principibus præsentem, vix aliis intentum dixisses. At inter hæc jam Patres Capuccinos *Wernam* induxerat, & Ecclesiam Minorum Conventualium in *Swilbroeck* solenni ritu consecrârat. Jam Religiosis, qui è Familia magni Francisci à strictiore observantiâ nomen habent, *Rheinæ* firmatis, primarium posuerat lapidem ædi extruendæ. Jam sacelli *Josephini* in *Varlariensi* ericeto, transeuntium & cumprimis annuâ in Cruciphoriâ *Coesfeldiæ* supplicantium pietati, jecerat fundamenta. Jam arcem, quæ antè triennium extrui cæpta erat, ad eum evexerat perfectionis gradum, ut & à milite defendi munimentum, & Domus à Principe habitari posset. Noluit autem in Castrum hoc sedem transferre, priusquam à Sancto Ludgero solenni ritu nomen mutuârit. Jam pridem enim Divo huic honorem istum devoverat, ut qui è paganismi tenebris ad Christiana sacra Monasterienſem populum Proto-Mysta traduxerat, fidem tot sæculis, nec interruptâ unquam Episcoporum serie, hactenùs illibatam, & universam porrò patriam adversus imminens quodvis periculum præsidio suo conservaret. Cui Princeps solennitati de-

1659. 27. *C. B. Sacris intentus.*

Castrum etiam Coesfeldiense perficit.

1659. finaverat sextam Octobris diem. Invitati cumprimis è Cathedrali Collegio & Equestri Nobilitate, ordines Diœcesani quod ad tertium post diem Comitia pariter indixisset, frequentes aderant. Benè manè postquam in æde S. Lamberti musicos inter concentus divinis operatum est, longa ducitur supplicatio argenteas inter Divorum Ludgeri ProtoEpiscopi & Maximi Martyris lyphanothecas ad aream Castri; indè post imploratam solenni cantu Spiritûs sancti opem, pergit numeroso Clero concinente per valla, per vias omnes; nec tantum Arx ipsa Divo Ludgero dedicatur, sed & propugnacula, aggeres, suggestus, tumuli, loricæ, semilunaria, & quidquid erat molium ac munimentorum, attributis suis cuique Tutelaribus sanctis, nec non portæ, muri, valla, fossæ, cataractæ aquarum, pontes; & universa demum armatura vasaque bellica; & singula quidem privato rituac oratione, ab alternantibus *Liisbornensi* & *Mariæ-Campi* Abbatibus, inter Tubarum clangorem & tormentorum boatus, lætâ omnium & ipsius etiam supra modum acris sereni congratulatione benedicuntur. Reversi ad primam in aream stationem supplicantes, cum musicis ac Tubicinibus solenne gratiarum carmen decantant, demum expletâ à Præsulum

Et solenni benedictione.

Ludgeri-Burgum appellat.

fulum altero postremum ceremoniâ, Pontifex ipse, Episcopali amictus paludamento, mytrâ, pedóque conspicuus datâ benedictione finem facit: & grandiorum inter machinarum tonitrua, missilésque ignes epulatum itur. Postridiè juventus studiosa Gymnasij Societatis JESU in theatro spectandam exhibet Divi *Ludgeri* Sanctimoniam & *Caroli Magni* de Saxonibus Triumphos. At tertio die in scenam Musici educunt huiatium Fluviorum, amniumque certamen, quorum sententia repudiato inprimis lutulento *Alphâ*, ceu fonte & origine omnis mali, cæteris anteponitur *Bercula*, quodque electam in eo sedem fixerit Princeps, inter gaudia coronatur. 1659.

28. *Vaticinium de eo.*

Unum lubet hoc loco interserere, multis fortè non injucundum. Narravit mihi & ipsi non semel Principi Joannes Nobilis *de Graes* arcis *Loburgi* in agro Coesfeldiensi possessor, in famulitio parentis fuisse Vatem, qui decennio & diutiùs antè, quam bellò Diœcesin Hassi infestârint, ipsius hujus prædixerit Castri formam. Hominem sub initium quidem risum esse, sed quando Coesfeldiâ sub annum nuper trigesimum tertium occupatâ ad portam pecuariam, haud procul à limite designato, novum è fundamentis propugnaculùm struerent Hassi, vallóq;

& aggere munirent, creditus est vera vaticinatus. Rogatum à parente & conscius, esséne id, quod prævidisset, respondisse, ne remotè quidem cum eo posse comparari: sed paulò superiùs, objectum sibi Castrum, ad alveum *Herculæ* structum iri. Isthic effodi præ altas, latásq; fossas; aggeres erigi multos ac valla; & emineré tumulos aliquot, montium instar; extrui Castellum ac domos, & à multo hemine frequentari, imò & duci rheedas cum facibus & eo comitatu, qualis isthic locorum visus nunquam esset: sed quod interim tam ipsus quam conscij plerique nullo adhuc effectu secuto intermorerentur, habitus diu fuit ludos vendidisse. Quandò verò ædificante *Christophoro Bernardo* & Castrum habitante, à vero vatem non aberrasse vidimus, curiosa subindè quæstio ingenia fatigavit, à malo-ne visio hæc, an bono genio prodiisset? Et quoniam certa liberè futurorum præscientia, soli DEO reservata est, nec ante tot annorum, rerúmque periodos vel ullâ prudente conjecturâ divinare potuit Dœmon, fore aliquando, ut Princeps? Senatu Cathedralitio eligeretur, ut Coesfeldiam habitaret, ut eam conderet arcem, cujus exemplar, in obsidione Candiæ, magnam partem inveniisse se primum fassus est, *Rusius*, quando & author, & Episco-

Episcopi Electores, plerique vix nati fuerint, & *Christophorus Bernardus* puer tam parùm de Principatu, quam arce tali cogitârit, sententia prævaluit idæam Castri, DEO revelante, ab Angelo bono præmonstratam fuisse. 1659.

Ah autem secuta postmodum demolitio prodigio pari declarata fuerit, uti non pauci voluêre, ex solâ mihi formâ compertum est. Cum enim munimentorum conservatio & numerosior miles præsidiarius, continuum post se traherent & ingens quidem subditorum onus; gerente nuper Principatum *Maximiliano Henrico*, nonnulli è Senatu Collegij Cathedralis, arcis vel ideò pridem invisæ, subversionem urserunt. Princeps tametsi non unâ de causâ diu tergiversatus; quod tamen sub rigidiore Pontificatu *Innocentij XI.* electionis Monasterienſis confirmationem sibi Roma pernegaret, eam inter adversitatem in postulata Collegij pronior, munitionibus tandem suis denudari Civitatem permisit, sed intactâ arce. At verò Archi-Præsule sub exordium æstatis anni nuper M. DC. XIIC. ad superos evocato, *Sede* tunc *Vacante*, ab eodem Senatu, ipsius etiam Arcis excidium, plurimorum suffragiis decretum; & ne per maturatam fortè Neo-Principis electionem occasio tam opportuna dila- *Ejusdem demolitio.*

1659. beretur, festinato quantocyùs millenorum aliquot agrestium & operarum sudore, munimenta castri omnia funditùs eversa sunt; ædificiis duntaxat illæsis; quæ suis tamen exuta jam velamentis, velut inplumis alis, conspicua remanserunt. Haud quidquam obstitisse video *Christophori Bernardi* sagacitatem, dum arcis munitiones perficiebat, aggerum & eminentium præcipuè collium intestina, prægrandibus truncis, sudibúsque & multo caudice farcientis, ut vel sic molem ipsus æternaret, vel enata ex eo destruendi suprema difficultas, amicos in eversionem proclives, olim alienaret. Sed adeò nihil in humanis stabile, permanensque finit inquies ratio, ut ne saxis quidem & erectis tanto labore ac sumptu munimentis sua sit perpetuitas & quies. Nos verò, ut invidiosi evitemus censoris notam, relicto nunc *Ludgeriburgo* ad rem Monasterienſem redeamus.

29. *Ordines Patriæ suadent Monasterienſibus compoſitionem.*

In continuatis post hos dies Comitiis unà comparent Monasterienſium delegati; Eos reliqui statim Ordines Diœcesani adoriuntur, ex iterato ad Batavos recursu, tam periculoso Civitati quam Diœcesi universæ, quid aliud, quam ruinam omnium timeri posse? Revocari quantocyus oportere, qui in Hollandiam missi sint, ac monitioni Principis locum dari,

dari, ut opportunè adhuc exitio patriæ totius antevertant. Honestam compositionem nullatenùs desperatam esse, & hanc authoribus se, ac prudente quovis, conatibus adeò exitiosis longè præferendam. Effectum si qui præsentes sint, spondere nequeant, revertantur sinè mora Monasterium, disponant Concives, aures dent benè consulentibus, & suæ ac posterorum omnium consulant saluti. Recipiunt id Delegati & Monasterium abeunt eventum tentaturi: sed quod surdis canere, nec conceptam de Batavis spem deposituri cives viderentur, re infectâ Coesfeldiam redire noluerunt. 1659. *Sed frustrà.*

Interea *Eitzenus* ac *Clutius* tendente frustra insidias transituris Principe (nam quacúnque demum via intercipi, captivósque attineri jusserat) feliciter dilapsi in Belgium penetrârant; Per Urbes & oppida Transisalaniæ, Gelriæ & Hollandiæ cursitantes, enormitatem iniuriæ exaggerant, quâ Princeps immerentes persequatur. Haud sanè meritum à Cæsare & Imperio superioribus bellis *Monasterium*, ut sententiâ & quidem præcipitanter, omissóque juris & judiciorum ordine, ceu à partibus pronunciatâ, tam iniquè læderetur. Et quem non in admirationem raperet, Civitatem eam, cujus indubitata sit libertas Magistratum eligendi, 30. *A legatorum Urbis in Hollandia negotiatio.*

1659. quæ *mero, mixtóque Imperio* gaudeat, quæ jus paciſcendi, ac fœderis Hanſeatici à ſeculis poſſederit, alienâ tantùm libidine, jure clavium, portarum, vallorum nunc tandem exui, eique vitio verti defenſionem adversùs injuſtam Principis ſui offenſam? ſi Principi offendere liceat, cur Civitas defendere prohibeatur? Adhæc moleſtè admodum gravari ſe a non paucis, quorum hæc ferè capita erant.

Et querela de Principe.

Privilegium Patriæ non observare. Principem cum exteris abſque Ordinum conſenſu fœdera componere. Et quamvis in concordia cum Cathedrali Collegio, electionis tempore erectâ, per adjectam tunc clauſulam (*quoad fieri poteſt*) hujuſmodi trangreſſionem famare velit, id tamen cedere *in præjudicium evidens Ordinum Patriæ & cumprimis Monaſterij, cæterarúmque Civitatum. In Comitiis Provincialibus ſolam attendi pluralitatem ſuffragiorum; atque ideò Civitates non ampliùs eſſe Conſultatores, ſed dici auſcultatores aliorum, à quibus etiam velut umbra, nec pluris fiant. Adhæc Monaſterium ab omni communicatione, deputatione, commiſſione, relatione, publicis iſtiuſmodi actibus excludi. Pinguiora prædia, ſeu villas, à tributis eximi; prætextu quidem*

dem moderationis, at solâ Principis, Collegij Cathedralis, ac Nobilium utilitate; ingenti verò cum reliquorum omnium & inprimis Ordinis Civici detrimento. Ærario publico Principem solum dominari. Eius pecunias in militiam, legationes, tractatus converti adversùs ipsam Civitatem; & interim Creditoribus (quos inter Civis & Urbis incola sive laicus, sive sacer) prô dolor! solvi nihil. Cives extra Urbem in litem evocari, contra ipsa Pontificum indulta; & Tribunalia, pro unius Principis lubitu, alio transferri. Justitiam ac solutionem debitorum impediri; decretas immissiones, executionésque studiose prorogari; & res jam ante judicatas aliis denuò Judicibus committi, ut cives suo sic jure frustrati, paulatim ad incitas redigantur. Armilustrio, stipendiis militum, & similibus adhibitos fuisse semper Ordines Diœcesanos, & inprimis Civitatem. At hodiedum contemptim omnes præteriri. 1659.

Hæc & id genus plura passim obvio cuiquè venditabant, velut novæ commiserationis pabulum, quò faciliùs vel ita, sollicitatos Urbanorum animos ad ferendæ opis accelerationem permoverent. Et quanquam Princeps multa ex his negabat,

659. gabat, plura interpretabatur, certe, si quod onus sentirent, nec Judices, nec superiores esse Batavos, unum ad Cæsarem pertinere; quod avidis tamen auribus planctum hujusmodi exciperet plebs, audentiùs continuabatur. Amstelodami ad ædes *Cortenhovii* viri Consularis mittebatur nullo authore hæc oda.

Quid sparsum Amstelodami.

Offeruntur claves Vrbinæ & Socia
Metropolis Westphaliæ.
Subire nolentis Papisticum jugum.
Occasio præsto est. Mox fallens.
Accipe Batavia, ne præripiat Suecia.
Præveniens gaudebit.
Subsequens dolebit.
Propera, festina. Tenta leviter, obtinebis
perenniter.
Applaudet Germania.
Silebit Austria.
Augebitur, firmabitur Batavia.

31. Eodem tempore *Knoestius & Socij* Viennæ laborabant, ut si sententiam retractare nollet Imperator, *executione* saltem *judicati* supersederet. Sed frustra. Jam enim antè per suos explicârat Princeps: Testatos identidem Confœderatarum Belgij Provinciarum Ordines, si controversiam Monasterienſem authoritate Cæsaris contingeret terminari tanquam alienæ non ultra se immixturos. Nunc igitur operæ pretium videri, ut hæc apud eos

C. Bern. Cæsarē interpellat.

1659.

eos innovaretur memoria, & si fortè cives isthic adversitatem sententiæ dolerent, Batavorum prudentiâ ad obsequendum remitterentur. Et hæc opportunè cura jam commissa erat *Friquetio*, Cæsaris apud Remp. Ministro, *Residentem* vocant. *Eitzenus* namque & Collega *Cluvius* Hagam-Comitis tandem appulsi, *Friquetium* ante alios invisunt; & detectâ mente propositum aperiunt Civitatis. Sed dum laturos ægrè Cæsarem & Imperium, si apud Ordines accessum, & ægriùs, si opem petant, opponit Friquetius; & utrumque propterea dissuadet; verbis aliquamdiu certatum est; Demum erumpit *Eitzenus, si in Hollandia audiri nequeant, tractaturos Monasterienses cum Suecis; & si nec illi velint, malle se Turcæ, imo Dæmonis, quam Episcopi subesse Imperio. Religionem nil morari.* Offensus eâ temeritate *Friquetius*, exin animum firmavit à patrocinio Civitatis alienum.

Friquetius Hagæ Monasteriensis augit.

Indignabundus.

Significârant non semel è Belgio iidem Urbis Ablegati, vix à plerisque Heredi eam omnium Civium mentem esse, quam exponerent tam pauci: ideóque si rem seriam vellent, oportere submitti plures, quorum præsentia dictis, factisque fidem roboraret. Quando Plebs videt è primoribus neminem affici, & unà Legationem

Hi plures Hagam adesse desiderant.

1659. tionem hujuſmodi declinare Magiſtratum, dolum ſuſpicata, pervigilio ſanctorum omnium in Curiam involat; eâque importunitate tractat Senatores, ut vix à tumultu ac violentia modus diſcrepârit. Et quanquam plurium deſignatio omiſſa tunc eſt, nihilominùs qui Comitis-Hagæ morabantur, decimâ quartâ Novembris ab ordinibus palam auditi, *poſt iteratam pro tot beneficiis gratiarum actionem, in præſente cum Principe controverſiâ Reip. interpoſitionem flagitant ac protectionem; ſimúlq; pedites ſexcentos, equitum verò turmas quatuor ſubmitti præſidio Civitatis.*

A Batavis protectionẽ petunt.

32. *C. Bernardi exprobatio cum Hollandis.*

Princeps de his certior actutum Ordinibus factum exprobrat, epiſtolâ acriore calamo exaratâ: & ad cætera Monaſterienſes Ablegatos, læſæ Majeſtatis reos declarat; quorum pervicaciam, ſi porrò præter ſpem fovere & in re tam iniquâ adjumento eſſe pergant Ordines Batavorum non poſſe ſibi vitio verti, ſi & ipſe cauſæ ſuæ æquitatem *ſub quovis etiam clypeo* tueatur. *Falsò libertatis vocabulum obtendi ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitioſi, nihil ſpei niſi per diſcordias haberent. Non hîc agi libertatis cauſam; privilegia ſua civibus conſtare; nec eorum ſtatui aut juribus inferri vim; poſſeſſiones, uſus omnia*

omnia integra manere ; aliud nimirùm agi, & potestatem Principis, falso libertatis & privilegiorum obtentu peti, quam inconcussam servari nullius magis interfit, quam omnium Principum, ne persimili exemplo ipsi aliquando à suis opprimantur. 1659.

Hæc inter Hagam ocyùs ablegat Jodocum Ethmundum *Brabeckium* Cathedralis Collegij Decanum, specie quidem salutandi Viduam Auriaci & filium Principem, unáque numerandi pactam pecuniarum partem, quæ ex transactione *Bevergernensi* stato tempore debebatur: re autem verâ uti Monasterienses studiosè observet, & sub manu, ut erat vir dexter, ordines divertat, ne postulatis eorum suffragentur. Nec inutilis fuit ejus præsentia ; nam sub id Hagam appulsus palam quidem agit in aula Auriaci, & cum Cæsareo, & Electoris Brandenburgici Ministris, sed & clam cum primoribus Procerum Hollandiæ, & inprimis famoso Provinciæ istius Oratore *Joanne Wittio*, quorum operâ animos Ordinum diu sustentavit, ne Monasterienses responsum obtinerent.

Brabeckius Hagam Legatur.

Ejus dexteritas.

Friquetius etiam excitatior, prolixâ statim oratione, die octavâ decimâ Novembris Reip. probat, & quæ acta sint apud Cæsarem, & quid tandem Aulicum 33.

Friquetii ad Batavos oratio.

1659. licum Imperij Tribunal decreverit; deinde addit, *esse quosdam Monasterij turbulentiores, qui contra prudentiorum, honestiorumq; Civium voluntatem executioni sententiæ adversari ausint, non alio firmatos duramento, quam solâ spe suppetiarum istius æris ac militis ab hac Rep. obtinendi, quæ sufficiant animos contumacium obfirmandos. Et quamvis Sacra Cæsarea Majestas opinari nolit, istius mentis Remp. hanc esse, ut contra gentium omnium, & æquitatis naturalis, mutuæq; vicinorum amicitiæ jura, consilia, armáq; sua convertat in fomentum obstinationis populi temeriter refragantis. Ut tamen in re tanti ponderis ipsus certior sit iussum se, vitæ Cæsaris sui Ordines interpellare, ne causæ hanc ad Remp. nullatenùs pertinenti sese implicent; nec pessimo subditorum omnium & iuprimis municipalium Civitatum exemplo, Tribunalium Imperij vigorem interturbent; sed & Principum Germaniæ totius, quorum aquè ac Episcopi Monasterienſis interfit, offensionem evitent. Cæsaris imperio se inpræsentiarum obsequi, & cum innotuerit, non sinè Sacræ Majestatis suæ, ejúsque mandatorum majore contemptu, ausos in publico Ordinum consessu Civitatis Syndicum & alterum*

Civem

Civem ſuppetias ab hac Rep. poſtulare; vel ideò magis rogare ſe obligatum, rem hanc ut maturiùs Ordines perpendant, & pro eâ, quam profiteantur, prudentiâ & æquitate, mutuâque inter Imperium & Remp. hanc amicitiâ, reſponſo Cæſarem dignentur. 1659. 18. *Nov.*

34. *Nobilitas iterũ concordiam tentat.*

In Principatu verò Monaſterienſi cum Patria Nobilitas, videret Civitatis Deputatos è Comitiis nuper abeuntes non reverti, & quotidie mala invaleſcere, de ſna æquè ac Provinciæ totius, quam ſalute Civitatis ſollicita, Principem rogat, liceat ſibi cum Monaſterienſibus iterùm concordiam experiri. Annuente Præſule Deputati iidem, qui obſeſsâ nuper Civitate pacem conciliârant, ea ſuggerunt conſilia, quæ efferatos etiam animos videbantur pacatura; monent, obſecrant, hæc uti ſaniora tempeſtivè amplectantur; ſe audiant Caduceatores, qui promovere compoſitionem velint, qui poſſint; ſin ſecus; nullum poſtea Civi diem ſecurum fore. Ad arma ſi deveniatur, non deponi ea niſi arbitrio Victoris. Ne fidant nimiùm ſecundis, néque viribus exterorum. Sæpiùs eas oſtentari, nec rarò fallere. Ab obſidione poſtremâ mutatam rerum faciem. Prodiiſſe ſententiam Cæſaris; & Principis plurium fœderibus innexi potentiam creviſſe. Iterùm orare

1659. ut ſinceros, ut amicos, ut Patriæ ejuſdem Ordines, ac monere, tempeſtivè conſulant ſibi & ſuis; animos induant tranquilliores; revocent ab exteris Legatos; concordiam honeſtis conditionibus componi paciſcantur. Et quamvis haud multo poſt Sereniſſimi Principes Elector Colonienſis & Dux Palatino-Neoburgicus opera *Landtsbergii* & *Veltbruggij* Legatorum idem Civibus inculcârint; vix tamen viſi ſunt aliud reſponſum obtinere, quam ſi Princeps ſententiæ, mandatiſque Cæſareis renunciet, nec iis adverſus Civitatem uti velit, ſe quóque Internuncios ſuos è Belgio promptè revocaturos. Ita animorum intemperies, & vicinorum Principum expectationem, & patriæ Nobilitatis ſollicitudinem fruſtravit.

Idem quoque Legati Principum.

Sed irrito effectu.

35. Satis liquebat *Chriſtophoro Bernardo* civium mentes ſolâ ſuppetiarum, ſi non re, ſaltem ſpe, è Belgio foveri. Sed nec Belgarum omnium idem fervor erat. Ordinibus Friſiæ *mediatio & protectio* Monaſterienſibus ſollicitata adeò cordi fuit, ut ſexto poſt die ſtatuerint, cum Civitate iis ſtatim conditionibus conveniri oportere, quæ *Provinciis* ſalutares, & cumprimis *incremento veræ Reformatæ Religionis* utiliſſimæ viderentur. Ita quidem, ut cum ex eo judicarent uniti Belgij totius, & nominatim Provin-

Friſiorũ fervor pro Civitate.

ciæ

cia cujúsque ſecuritatem dependere, ſin Ordines cæteri, aſſentiri ſibi nollent; nec ipſi conſentirent placitæ jam alimentationi copiarum, quæ Regi Daniæ auxiliares, *Hafniæ* hybernabant. Id ægrè habebat Proceres Hollandiæ, qui, tametſi humaniter, cum Friſiis expoſtulant, quæ per DEUM ſit connexio rei Monaſterienſis cum militiâ Reip. ut huic propter alteram, ſubtrahi debeant alimenta? Et annonam jam diu comparatam, imò magnâ parte in *Orizontem* præmiſſam, ni fallerentur, jam in portu eſſe. Cúmq; prætereà aſſerunt, ita & ſe Monaſterienſia curaturos, ut poſtquam de iis, quod fit quotidiè, ſatis conſultatum fuerit, auditâ ſuorum relatione ſtatuatur id, quòd Provinciis potiſſimùm judicaverint expedire, naſcens apud Friſios favoris aura facile diſparuit. Et quamvis *Guilielmus Fridericus* Naſſoviæ Princeps, Friſiæ Gubernator, præ reliquis Zeloſior per eos dies auditus ſit dicere, ſi Provinciæ cæteræ etiam omnes detrectarent, ſolam Friſiam, aut unum certè Groningenſe Dominium Monaſterienſes protecturum. Quod tamen Friſij correcto priore decreto teſtarentur, affectum quidem erga Monaſterienſes apud ſe continuari, ſed nolle propter eos in Dania pati Militiam Reip. nec Groningenſes dicta Naſſovij ſecunda-

1659.

Haud par apud Hollandos.

Et provincias alias.

1659. rent, haud difficilè colligebant ſagaciores fervorem potuiſſe.

Conſternat id Ablegatos.

Non placuit ea animorum mutati præſentibus iſthic Monaſterienſium Ablegatis: præſertim cum miles Principis quotidiè auctior in oppidis, pagisque Civitatis vicinis nunciaretur hoſpitari, & tantùm non obſtrui vias omnes, certè aditum ad Urbem indies reddi difficiliorem, ac continuis etiam vigiliis Civem fatigari, importunum rati Civitatem magis afflictam ac majore preſſam neceſſitate, ſperatâ dudum mediatione ac protectione deſtitui: Orant igitur, ut vel conſilio ſuccurrant Ordines, ſuggerantque, quid tandem ipſis faciendum, aut demum, ut apud Cæſarem ſint interceſſores, & cauſam Civitatis ſaltem litteris commendent. Sed, dum in hoc quóque difficultatem ſentiunt, quotidie doctiores

Ideò conſiliũ à Rep. petentes.

Quantos humana negotia motus
Alternasq; vices miſcent!

nec etiam ipſosmet inter Ablegatos bene conveniebat. *Eitzenus* námque homo erat ebrioſus, præceps, loquax, & cum faſtidio aliorum vanus. Rhedam & equos alebat; in veſtes, corporisque ornatum & hujuſmodi quisquilias pecuniam profundebat. Id prodigentiam interpretatus *Clutius* Collega, palàm improbabat, ac tandem re ad Senatnm delatâ, ſi quid iſthic utilite

Eitzeni genius.

utiliter operatum velint, *Eitzenum* suadet revocari, & submitti *Drachterum* oportere. 1659.

Inter eas apud Hollandos altercationes timor belli in Westphalia augebatur. Ante oculos omnium erat Ablegatio Monasterienſium in Hollandiam, toties interdicta. Importuna ſollicitatio protectionis exterorum, & ſeveriùs prohibita. Obſtinatio Civium, quæ præconceptâ de Batavis, inani licet ſpe foveretur: quodque Nobilitas, infectâ re Monaſterio reverſa, omnem aſſereret de pace tractationem declinari, compoſitionis & concordiæ deſperatio. Principem quoque nec velle, nec poſſe renunciare juri per ſententiam Cæſaris attributo. Numeroſiorem quotidie ſcribi militem. Nunc etiam ſpargi Legiones Cæſareanas appropinquare. Translata Monaſterio *Coesfeldiam* Tribunalia, ſacrum & Civile aulicum. Idem factitatum ante nuperam obſidionem. Et certum videri Tragœdiam Monaſterienſem vix poſſe ſine armis terminari. Ad hæc Remp. Batavorum vicinis etiam fortalitiis de annona & ſupellectile militari, ſollicitudine vix uſitatâ providere. Et auditus ſexto Idus Novembris, quando octiduo ante in Curia Monaſterienſi tumultuatum erat, claro æthere, ſub tertiam pomeridianam ingens fragor, ſupráq; dimidium quadrantis horæ

36. *Belli timor in Weſtphalia.*

Quibus de cauſis?

1659. (testis loquor) incessanter in aere continuatus, oppidò metum auctitabat. Vi
Monasterij notatus est, sed à pago Roxe
aëra Diœcesanum & aures admirantium ulq
Zutphaniam vibravit. Nec fulgur visum
nec species tonitru fuit, sed fragori simili
quem certantibus Anno nuper Septuagesi-
mo tertio ad oram *Thessaliæ*, pugnâ na-
vali, Anglis & Hollandis, ex continua tor-
mentorum laxatione, tunc *Zwollis* sensi
percepi. Haud dissimile auditum Pente-
1660. coste proximè lapsâ; quid iis conficiebant
prodigiis aliud, quam bella portendi?

37. *Ad querelam Principis.*

Nec multùm ab eâ opinione dissen-
tiebat *Christophorus Bernardus*, quod
planetæ Westphali & Belgæ vix aliud per-
mitterent augurari. Igitur sollicitus, qua
demùm viâ malis istis obviaret, superûm
hominûmque opem implorat. Cæsari que-
stus, post intimatas nuper *executoriales*
non modò non dimisisse ex Urbe præsi-
dium, sed & multum præterea militem
Monasterienses authorâsse: Et licet in Au-
lico Tribunali *restitutionem in integrum*
seriò petere videantur, quod tamen sub
hæc à Confœderatis Belgij Provinciis pro-
tectionem & suppetias, privatâ Legatione
sollicitent, nec aliud quam sententiæ exe-
cutionem remorari meditentur; orat, ut
simulatas preces Cæsar rejiciat, ac Civitati
seriò mandet, ex unito Belgio statim re-
vocet

1660.

vocet Ablegatos, & unà sibi Legiones aliquot auxiliares submittat, quarum præsidio imminentia quævis mala à Monasterienſi Principatu avertantur. Cæsar hæc non minùs à *Friquetio*, quam *Christophoro Bernardo* jam Doctus, incunte nunc anno à partu Virginis supra milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimo, die decimâ Januarij *mandatum ſinè clauſulâ* decernit, quo ſub pœna proſcriptionis publicæ (*Banni* vocant) ſeverè præcipit Civitati, ſuos *ut Ablegatos è Provinciis Belgii Confœderatis ſtatim revocent, quæcunq; etiam pacta & acta reſcindant atque irrita declarent, ſimulq; doceant, infra proximum bimeſtre hiſce juſſis paruiſſe, quódque ab iſtiuſmodi auſis ſe velint inpoſterùm continere.* Quò certiùs Urbs, imperata non faciens, ad obſequium ſtringeretur, triduo poſt mandat Equitum Chiliarchæ *Fabro*, patriâ Leodienſi, & Henrico Mauritio *Wolffraasdorffio*, Equiti Militenſi, peditum Tribuno, ut brumâ mediâ, ſuis ſinguli cum Legionibus, versùs Weſtphaliam moverent. Et hi quidem, quod præproperatis itineribus in Diœceſi Monaſterienſi, jam ante finem Januarij, ac ferè citiùs adeſſent, quam venire nunciarentur, juſſi ſunt in vicis átque oppidis Monaſterio finitimis conſidere. Princeps etiam convocatis extra ordinem ſtatim Patriæ

Et relationem Friquetij.

Cæſar mandat revocationem Ablegatorum.

Deſtinat Legiones in Weſtphaliã.

Hoſpitantur in locis Monaſterio vicinis.

1660. triæ Proceribus, explicatâ rei neceſſitate & Cæſaris Imperio. de ſtipendiis & annonâ, cum iis facilè convenit. Contrà verò Monaſterienſes quidem proteſtati ſunt atque omni pernegatâ neceſſitate, in tributum copiarum ſuſtentationi deſignatum nunquam ſe conſenſuros; Verum Ordines cæteri, quod causâ Monaſterienſium Legiones iſthuc Cæſar deſtinâſſet, non tantùm exiſtimabant obſequium hoc deberi Majeſtati ſuæ, ſed etiam ad hujus tributi onus Civitatem præ reliquis obligari. Nec ab unius Monaſterij arbitrio, decreta Comitiorum pendere; quæ cum placuerint Cathedrali Collegio, univerſæ Nobilitati & toti Collegio Civitatum, non poſſe, & ab uno quidem tertij tantùm Ordinis membro improbari.

Aluntur ſtipendiis Diœceſanis.

Proteſtante contra Monaſterio.

38. Néque Princeps eam Monaſterienſium contradictionem moratus, ut ex animis Batavorum ſiniſtri cujuſcúnq; ſuſpicionis notam expúngeret, Nonis Februarij, Heſſingio interprete, Reip. explicavit: *Conata Civitatis leges & ſuprema Imperii Dicaſteria ludentis, externáque adverſus eos implorantis auxilia neceſſitatem ſibi impoſuiſſe, Cæſarem veluti Judicem cauſæ & ſupremum caput adeundi, ab eo consilium & ſuppetias exorandi. Et hunc motum eſſe, ut in Diœceſin Monaſterienſem Legiones præmiſerit, malis, qua*

C. Bern. ad Batavos de adventu militis Cæſareani.

quæ exin Imperio Romano imminere visa sint, tempestivè propulsandis. Ne Confœderati Belgæ aut quisquiam alter variè id interpretentur, certos se velle, advenisse militem illum ad nullius offensionem, sed sui duntaxat Principatûs tutelam. Quâ in re eâ pariter moderatione se usurum, ut omnis etiam offensæ occasio & justioris querelæ causa procul foret. 1660.

Priusquam ita Legionum adventus Reip. significabatur, Nicolaus *Drachterus* die vigesimâ secundâ Januarij Monasterio digressus, tectúsque præsidio militis urbani, per Diœcesin ductus Hagam-Comitis intrârat. *Eitzeno* statim Monasterium redeunte & paulo post à Civibus exauthorato, ipse reprobatâ Collegæ sui importunitate & facti insolentiâ temperatiùs rem agit. Insinuatus faventiorum animis, necessitates Urbis exaggerat. De eâ invalescentibus quotidie malis & Cæsareano nunc etiam milite cingi cæptâ actum esse, si non tempori succurratur. Spem quidem, fiduciámque omnem in Batavis positam, & verò contra, si ab iis deseri Cives contingat, extremis hisce, quanquam invitos adactum iri, alia ut consilia capessant. Nonneminem Bremis subsistere *Steinigerum*, qui rebus Monasterienſium intentior, Sueci Regis nomine cum Civitate tractet, & *Coiëtium* apud Remp. hanc, Regis Legarum,

39. *Drachterus iterum Hagæ.*

Tractatus cum Suecia minatur.

1660. tum, ipsos etiam & iis quidem conditionibus invitare quibus abundè Civium saluti consultum putent; neque de pace Regem acturum unquam, nisi pactâ simul Civitatis incolumitate. Animos verò Civium in Remp. hanc magis, quam Regem propendere; at si constantes velit, necessum videri, ut tempestivè foveantur. Indicet, in re tamdiu deliberatâ haud ultrà moras necti oportere, sed maturato opus esse. Nihil tunc quidem poterat efficaciùs proferri, quo Batavorum mentes occuparet. Nec enim quidquam Resp. sic aversabatur, quam Regis eâ tempestate formidabilis potentiam, viciniámque, cui frangendæ classem integram & partem exercitûs, Regi Daniæ auxiliares in septentrionem jam pridem destinârant. Effecit ea Monasteriensium ostentata in Batavos propensio, & Batavorum à Suecis aversio, ut tantò se posthac proniorem Resp. probârit, quantò intensiùs Civitatem ab omni Suecorum commercio cupiebat alienam.

40. *Batavi Monasteriensibus pecuniam mutuantur.*

Tertio post die decernunt adeundum esse *Friquetium*, ut is authoritate Cæsaris dissidentes componat, monendúmque, non passuros unquam Ordines, ut armatâ manu Civitas infestetur, sed eo casu fore sollicitos, ut laborantibus vicinis opem ferant. Intereà verò oportere Provincias afflictis credere eam pecuniæ summam, quam

1660.

quam temporis, rerúmque succeſſus videbitur poſtulare, ita tamen, ut nec in fœdera cum aliis coëant, nec alterius cujusvis præſidium admittant, niſi Rep. conſentiente. Oblatam pecuniarum mutuationem Monaſterienſes amplectuntur, amicorum ſuaſu, qui ſicut à Suecis etiam abſtractos Cives volebant, ita eſſe explicabant quæſitæ protectionis exordium, nec magis Civitatem ad annui ſolutionem cenſûs, quam Remp. ad Studioſiùs cavendum, ne Civitas pereat, hac ratione obligatum iri.

Et quamvis Princeps re intellectâ interpoſitis ſtatim litteris obſiſteret, ne argentum fœnebre locaret Reſp. *Haud enim municipalem & ſubditam Civitatem poſſe ſine ſuo conſenſu fœnori pecuniam accipere; neq; ſe neq; ſucceſſores laturos unquam, ut cenſus ſolveretur:* nihilominus decies mille imperiales hac vice numerati ſunt, & promiſſa quot menſibus ſumma etiam auctior, ſi quidem res Civitatis id exigerent; è contra Cives & ſe, & ſua, Urbisque facultates omnes oppignorârunt, ſubjecerúntque cuiusvis loci foro, & nominatim executioni ipſius Reip. militari.

Reclamante Principe.

41.

Ordines verò Tubicinem expediunt cum epiſtola ad Principem, quâ *non ſine mœrore intelligere ſe teſtantur ingentem*

Batavorum ad C.B. litteræ.

1660. *tem istis locis belli apparatum, & peregrini etiam militis adventum; haud alio, ut apparet, fine, quam ut paulatim Monasterium obsideatur. Id non tantùm commerciis utrinq; incommodaturum, sed & illam copiarum in confinibus hospitationem Reip. suspectam esse. Adhæc Civitatem, si ope suâ destitui contingeret, desperato forsan animo exteros Reges imploraturam, quorum præsidio facilè incolumis servaretur. Eos esse posse; quorum vicinia, cumprimis hoc rerum statu, Provinciis Confœderatis periculosa foret. Et ne sedes belli figatur eo tractu, quo indubiè Resp. involvi debeat, securitatem Provinciarum imponere Ordinibus necessitatem sese interponendi, ut dissensiones eæ amicâ compositione terminentur. Rogare se Principem, hanc ut armis anteponat, & copias militum missas faciat, omniáq; in priorem statum reponat. Se tunc vel Hagæ Comitis, vel si visum fuerit, alibi Delegatorum operâ promptè collaturos, quæ ad promovendam æquam, honestámq; compositionem conducere videbuntur.* Id ipsum pariter communicant Civitati & Friquetio Cæsaris Ministro.

C. Bernardi responsoria. Responsionis, quam cum eodem baiulo Princeps actutum remisit, argumentum

mentum erat. *Curam Diœceſis poſt ſe ad Cæſarem & Imperium pertinere, ad quos etiam ſpectet corrigere, ſi quid ibi perperam agatur. Fruſtrà externos tangi ſollicitudine, quam ſibi impoſuerit & Cæſareani & proprij militis hoſpitatio. Eam ſolùm ſpectare ad Provinciæ ſibi creditæ defenſionem. Securum ſe, ne Reges exteri Monaſterienſibus ſubſidio ſint, aut ſi etiam velint, curaturum omninò, ut fruſtrentur. Eas enim, quæ DEI laus ſit, & ſibi & ſociis vires ſupereſſe. Cum autem adeò extollant Ordines, favorem commerciorum, mirari ſe cur necdum ſublata ſint eorum impedimenta, quæ ad Rhenum & Amaſin fluvios, unam belli contra Hiſpanos geſti, jam pridem ceſſantis neceſſitatem, iis impoſuiſſe obtendant. Sane ſuadere ſe, ne prætextu commerciorum abutantur ad invidiam, odiúmq; vicinarum omnium nationum. Diſſenſionem cum Civitate ſuâ Monaſterio, rem eſſe Confœderatis Ordinibus prorsùs alienam, cui conſidit non magis pro ſuâ prudentiâ ſe implicituros, quam ipſe nuper involverit ſe diſcordantibus mutuo Tranſiſalanis. Si interpoſitione opus ſit, Cæſarem, Imperium & Principes eſſe, ad hos curam hanc, non ad exteros pertinere.* 1660.

Bra-

1660. 42. *Brabeckius Hagam redux.*

Brabeckius Decanus, qui nonâ Januarij, equo generosiore, quem mitte florenis æstimabant, à Principe Auriaco Donatus in Westphaliam redierat, quamprimùm de mutuandâ Monasterienſibus pecuniâ mens Reip. Principi innotuit, in Hollandiam reverti jussus, hisce temporibus iterùm Hagæ præsens erat. Quotidiana illi conversatio cum *Friquetio* Cæsaris & *Weimanno* Cancellario Cliviæ. Brandenburgici Electoris Ministro, cum *Wittio* Hollandiæ, & *Grotio* Urbis Amstelodami Oratoribus, sub horum incude fervebat tentanda compositio. Eo fine conveniebant frequenter, & unà invitaverant Monasterienſium Ablegatos; sed hi defectum potestatis causati conventum studio declinabant. Cúmque in chartam conjectæ essent compositionis leges (*Projectum* vocitabant) authores persuadent *Flodorpio* Comiti quod apud populum Monasterienſem authoritate & gratiâ valere crederetur, Monasterium adeat; temperet Civium animos, ut ceu favorem amplectantur. Acturos etiam cum Brabeckio, ut & ipse emolliat mentem Principis, ne repudiet. Summa verò *Projecti* hæc fuit.

Cum aliis concordiæ projectã componit.

Eius Summa.

Esto præteritorum omnium oblivio & amnestia generalis. Hanc ceu gratiam agnoscat Civis. Principi sit semper devota Civitas, & is Civitati benignus.

nignus. Gerant se imposterum ut verè subditos decet, Præsul contrà, quâ inauguratus addixit fide. Quæstio super jure præsidii annos viginti quinq; neutrius partis damno suspenditor. Dilapso hoc statio, si necdum sopita fuerit, decisio ejus apud Tribunal Cæsaris sollicitator. Quidquid tunc decerni contigerit, stator æternum. Nunc Princeps imponat Urbi præsidium peditum quingentorum, Gubernatorem & militiæ præfectos ipse erect. Omnes hi Sacramentum patriæ dicant, ejusq; sumptu alantur. Ingruente vero majore periculo liceat Principi, conscio tamen Senatu, quadringentos pedites & equites centum superaddere. Inter hos prætoriani non numerentur. Si necdum secure satis eo sibi provisum arbitretur Civitas, possit assentiente Præsule ducentos, trecentos, aut quadringentos adscribere sumptu suo, ac nominare Præfectos, sed à Principe confirmandos, signisq; militaribus decorandos; quibus & simul imperet Princips in Urbe Gubernator. Sin minus id arrideat Civibus, lubeat Principi vicinis è paræciis aceire numerum, qui adversùs pericula sufficiat tuendæ Civitati. Hospitia Senatus, servitia Princeps ex Provinciali ærario, procuret. Arbitrarium sit

1660.

Præsuli

1660. *Præsuli vel mutare præsidiarios, vel transferre. Gubernator, Ejusq; Vicarius coram delegatis Ordinum Patriæ juramentum emittat: quoad cætera in ea contineatur, ne contra hanc transactionem agant. Civis, quibus videbitur locis necessum, excubias agere non prohibeatur. Istius autem Ordinatio, unáq; disciplina militaris esto penes Gubernatorem. Miles ab omni onere Civico sit immunis. Urbs exauthoret nunc militem suum. Ad quamlibet portam, turrim, vallum binæ fabricantor seræ, & binæ claves. Hæ Principi Urbem nunc primùm ingressuro, & post successoribus, dum inaugurantur, ante portas debitâ cum submissione offerantur. Medietatem sibi reservet Princeps, alteram ex gratia Senatui largiatur, spondeat, quod iis uti debeat ad Principis venerationem, & Patriæ, Urbisq; securitatem. Jus Tesseræ seu militaris symboli solius esto Principis. Urbs sine Principis & eorum consensu, quorum fundi ac jurisdictio tangitur, nec extendat nec contrahat, sed reparet munimenta. Clerus omnis & qui immunitates habitant, iisque ministri, quibus libertas jure debetur, nullum onus Civile sustineant, seu curribus impositum seu frumentis. Nec novi quid Urbs*

statuat

1660.

ſtatuat exteris oneroſum. Diſſidia Civitatis & Collegij Cathedralis componantur. Si quando gravari ſe putet Civitas, querentes benigne Princeps audiat, & ſi præter æquum tractari ſe judicent, jure agatur. Externa poſthac auxilia non imploret, ſed ſtatim renunciet Urbs cuicunq; fœderi cum alienis pacto. In Transactionis præſentis leges juret Senatus, quoties in annum eligitur, & Succeſſoribus, dum inaugurantur, & vacante ſede Collegio Cathedrali.

43. *A Flodorpio in Vrbem perfertur.*

Dum eo inſtructus *projecto* Monaſterium advenit Comes, averſos ſtatim offendit Civium animos: tantò quidem turbatiores, quò minùs expectatum erat. Poſſetne liber Civis, perſuaſuro reſpondebant, amplecti legem, quæ libertatem, juráque Civitatis omnia evertat? Dominium præſidij tribui ſoli Epiſcopo: clavium partitionem, ſerarum duplicationem, nec ſolùm ad portas, ſed & turres ac valla, inauditam eſſe, nec Cæſaris quidem ſententiâ contineri. Voluntati Epiſcopi, votóque Cleri delatum, quidquid optatum, gratúmque fuit; Civitati verò non modo indulgeri nihil, ſed tertio præterea in Comitiis ſuffragio, quin & proventibus & munimentis ſuis exui. Ipſos ſanè adverſarios nunquam auſos fuiſſe iſtarum ob-

Sed à Cive rejicitur.

1660. jectu conditionum liberam Urbem tentare. Nec Cives tam abjecto unquam, fractóq; animo futuros, qui acceptent. Glorioſius fore & privilegiis & ipſius vitæ uſurâ per fas, ſive nefas ſpoliari, quam non convictos, nec devictos, adeò turpiter, victas dare manus. Credere fœtum eſſe ſi non abortum, Aulæ Epiſcopalis. Profectò non convenire hæc cum ſollicitudine Ordinum Generalium de tuenda Civium libertate ac juribus toties conteſtatâ. Unico hoc partu Cives naſci ex liberis ſervos, ex inſontibus reos, lædique enormiùs, quos adeò læſos jam antè conſtet. Æternam ignaviæ, ignominiæque labem ſubituros, ita ſi poſteri omnes in tam miſerandum diſcrimen adducerentur. Malle cum *Numantinis* & ſua & ſeipſos pro aris & focis glorioſæ morti conſecrare, quam iſthac viâ ſubire legem perpetuæ ſervitutis. Nihil verò ſtatui etiam poſſe, priusquam *Drackterus* & *Clutius* è Belgio reduces coram audiantur.

Ex Auſtria & Hollandia Ablegati revertuntur.

44. Ita Comes è Weſtphaliâ in Hollandiam & eodem tempore *Knoeſtius*, *Temmingius ac Hollandius* ex Auſtriâ in Weſtphaliam, re utrobique infectâ ad ſuos revertunt. *Drachterus* verò & *Clutius* à Batavis dimiſſi, quod abſentibus iis in negotio concordiæ nihil ſtatuerent Cives, & ne poſſet objici, redire tutò pro-

prohibitos, quos revocari oportebat, nacti litteras à Principe liberi commeatûs, argentum fœnebre ineunte Majo salvi in Urbem asportârunt. Visus statim numerosior miles conscribi, comparari annona, uberior procurari supellex militaris, ex ære fundi tormenta, & *Sancti Servatii* propugnaculum, quanquam Princeps severè inhibuerat, & Collegium Cathedrale suam violari jurisdictionem, & Vestales *Nisingana* eripi sibi fundos querebantur, magnâ plurium quotidiè operarum festinatione maturari. 1660. *Nova Monasterienſium molimina.*

Jam dudum apud Imperatorem doluerat Princeps, ab intimatis Monasterienses Executorialibus militem præsidiarium non modò non exauthorâsse, sed contrà adscripsisse numerosiorem; imò tametsi à Tribunali Cæsareo-Aulico *restitutionem in integrum* identidem urgenter flagitârint, ad illudendum tamen sententiæ & executionem ejus interturbandam, operâ Delegatorum externæ Reip. auxilia etiam hodiedum, ausu periculoso sollicitari; quocirca orare se, ut in pœnam *Executorialibus* insertam reos incidisse declaret Cæsar. Imploratus toties Augustus tandem pronunciat decretum sequens. *Paritoriam* vocant. 45. *Cæsar duplicẽ paritoriam decernit.*

In causa executionis Domini Episcopi Monasterienſis ex unâ, contra *Primã, quoad*

1660. *executionem Sententiæ.*

Consules & Senatum Civitatis ejusdem ex alterâ partibus, quæcúnq; pro obtinenda revisione actorum, & restitutione in integrum ac sustinendâ prætensâ nullitate adversus sententiam Anno proximè lapso 1659. *die nonâ Julij pronunciatam, ex parte reorum producta sunt, tanquam informia & irrelevantia reiecimus, sed & ipsis reis spatium bimestre à Die insinuationis computandum, quo dictæ sententiæ, & emanatis ac reproductis Cæsareis Executorialibus obedienter vixisse & reapse satisfecisse sufficienter probent & doceant, per præsentes iterùm & peremptorie præfiximus, adhæc interminantes, si interim præsentibus ita non paruerint, ex tunc prout ex nunc, & ex nunc prout ex tunc in pœnam Executorialibus insertam declaratos, arctiora quóq; decreta & Actori ad expensas, super his causatas salva judiciali moderatione refundendas obligatos fore. Viennæ die 23 Maij* 1660.

Præterea ad geminatam Principis querelam, jussos quidem sub pœna proscriptionis publicæ die decimâ Januarij Monasterienses, suos ex unito Belgio Delegatos avocare, ac retractare quæcúnque forsan acta essent, verum posthabito Cæsaris imperio tractatus cum Batavorum Rep.

Rep. in hunc úsque diem continuari, altera prodit paritoria sub hoc tenore.

In causa Domini Episcopi Monaste-riensis Actoris ex unâ, contra Consules ac Senatum Civitatis ejusdem ex alterâ partibus, mandati sinè clausula de avocando & cassando sub pœna Banni &c. postulatam à Domino Rectore pœna & arctiorum declarationem adhucdum suspendimus, sed reis repudiatâ pratensà paritione ceu imperfectâ caterisq; adductis non attentis, spatium duorum mensium à tempore insinuationis computandorum peremptoriè præfigimus, iterùm mandantes, ut interea, emanato, reproductóq; Cæsareo mandato quoad revocationem, simúlq; cassationem quorumcúnq; in hunc úsq; diem actorum, quódq; inposterum ab iis se prorsus continere velint, decenter paruisse & satisfeciisse, verè probent ac doceant; ad hæc interminantes, si contumaces perseverârint, in pœnam mandato insertam tunc ut ex nunc, & nunc ut ex tunc horum serie declaratos, arctiora pariter decreta, & Actori ad expensas idcircò causatas salvâ moderatione refundendas obligatos fore. Viennæ 23. Maij 1660. Secundam, revocationem postulatam à Ablegatorum.

Ea erat Cæsaris, ceu Austriacis hæreditaria moderatio, ut quamvis vellet de- *Vicinis Imperii*

1660. *Statibus tentamẽ concordia committit.*

cretis, ſicut oportebat, parêre Civitatem, nollet tamen violentâ coactione adigi, ſi benigniore viâ induci poſſet. Igitur committit *Franciſco Guilielmo* Cardinali *Wartenbergio* Oſnabrugenſis & *Theodoro Adolpho* Paderbornenſis Eccleſiarum Epiſcopis ac *Joanni Orientali Friſiæ & Ritbergæ Comiti*, Ordinibus Imperij vicinis, ut ipſi Cæſareâ authoritate interponant ſe, probatâque ex inſperatâ ulteriore contumaciâ periculorum, malorúmque neceſſitate ſtudeant inflectere animos, ut haud gravatim Cæſareis Decretis Civitas obſecundet. Eo fine utramq; accludit *paritoriam*, quas antè vetat intimari, quam benigna videatur interpellatio locum non inveniſſe. Sed ea paulo poſt interciderunt impedimenta, quorum obſtaculo, & clementia Cæſaris, & promptitudo Delegatorum, facile fruſtrata fuit ſcopo tam ſalutari.

46. *Monaſterienſes à Comitiis excludentur.*

Poſtridie ſupplicationis (quam non unâ de causà, ex die ſecundâ Pentecoſtes in tertiam, hoc anno transferre viſum fuit) in agro Coesfeldienſi ſolenni pompâ & magno Procerum, hominúmque confluxu celebratæ, in arce D. Ludgeri Comitium agebatur. Cui pro more dum Monaſterienſes ſe ſiſtunt, dicturo propoſitionem Oratore, exeſſe juſſi, ac ſecedere, & relegere hoſpitia compelluntur.

Dele-

1660.

Dedecere enim, ajebat Princeps eos quorum protervitas & Cæsaris, & suam toties læsisset authoritatem, adesse & audire, quæ in publico hoc conventu aut propter se, aut sibi contraria dici oporteret. Sed & Ordines Patriæ defectum annonæ questi, quæ alendo militi Cæsareano nuper destinata erat, accusatâ Civium obstinatione, Principem urgebant, ut cum sola restaret portio Civitatis, Monasterienses tam diu morosi non minùs, quam cæteri Provinciales, executione tandem militari ad solvendum stringerentur. Cæsareanorum Equitum Legioni, Urbis debitum assignatum erat. Cúmque militi sæpiùs humanè solutionem exposcenti, identidem Cives negarent, à se quidquam solutum iri, quod in eam tributi speciem ac summam Civitas non consensisset; Equites, quidquid armenti in agro Monasterienſi pabulatum ibat, die vigesimâ secundâ Maij militariter abegerunt. Et eâdem luce, qui ex Urbanis ad Comitia Ablegati erant, sinè veniâ Principis, Coesfeldiâ exire prohibentur. Utriúsque facti insolentiam, indignabundi Monasterienses, amisso statim Tubicine, per litteras acriùs exprobrant, postulántque dimitti Concives suos. At verò Princeps arctiùs illos custodiri, nec antè laxari jubet, quam mandato Cæsaris ac suo Civitas obedien-

Et protestante tributo.

Miles Cæsareanus armenta abigit.

Utrumque factum exprobrat Civitas.

1660. ter vivat, & unà probet, eorum retractationem, quæ sub id Hagæ-Comitis acta sint, toties imperatam. Cumque reliquorum tandem Ordinum interventu parituros se pollicentur, tertiâ post septimanâ redire Monasterium permissi sunt. Nullo tamen effectu secuto; nec enim Societati cum Batavis pactæ renunciatum est, nec residua hucúsq; ex tantis tributi portio soluta, sed viæ circum Urbem redditæ infestiores, ac positó demùm calamores manu & ferro geri cæpta. Urbis præsidiarij non unum Principis equitem, peditémque viâ publicâ hostiliter invadunt, diverberant, exarmant, mortem minantur, capiunt, captósque in Urbem adducunt, prætextâ clarigatione id licere volebant Cives; abactum scil. pecus, nec restitutum.

Et incipit hostiliter agere.

47. *C. Bernardo Wolbecam tendente.*

Postridiè solennitatis, quæ magnò Baptistæ sacra est, Princeps pro more intererat supplicationi *Bilderbecanæ*. Hanc suâ quotannis præsentiâ celebriorem faciebat, ut Divum *Ludgerum*, quem eo in oppido mortuum annales habent, exemplo Præsulis incitatiores subditi, religiosiùs venerarentur. Postquam *Bilderbeci* pransi eramus, concessum est Wolbecam, ut indè *Strombergam* digressurus Princeps, sub insequentem Dominicum, Cruciphoriam eo loco tot sæculis famosam, præsens

1660.

præsens quóque decoraret. De viarum infestatione jam certus, jusserat cohortem equitum *Fabrianæ* Legionis ex municipio *Sendensi* prope *Albachtum* occurrere. Prætoriani pedites permissi ad sinistram divortium viæ facere, propiùs quidem Monasterium, rectiùs tamen *Wolbecam* contendebant, quò securiùs etiam tegerent prætervehendos. Incidunt in tres Urbis præsidiarios in agro, *Spiritum* vocant, excubantes, quos unà secum, quod transeuntes hostiliter inclamarent, captivos Wolbecam trahunt. Fatebantur ij, quingentos circiter ipsâ die portis effusos ac dispersos turmatim, haud procul indè vias observare. Id quanquam Princeps & plures insidias interpretati sunt; nunquam tamen ego, qui eâdem in Rhedâ præsenti cum Principe periculo exponebar, adduci potui, ut crederem ad eam Monasterienses dementiam adscendisse, qui in audito apud Germanos exemplo, viâ regiâ, sanguinem peterent, vitámque Principis ac Ministrorum.

Tres ex præsidio Urbico capiuntur.

At verò Cives intellectâ trium ex suis captivitate, alterâ statim luce ad vicina circum præsidia tympanotribam emittunt, qui vim armatam omnibus denunciat quotquot infra pilæ è tormentis jactum, propiùs Civitatem accedere ausi. Die autem undecimâ Julij, quæ erat Dominica, à

48. *Cives præsidiis vicinis vim denunciat.*

1660. continuato per id tempus Urbanæ pecudis abactu exasperatiores, centeni aliquot irruptione factâ, Cæsareanum militem, in vicis *Aldenberg* & *Nortwald*, securiùs hospitantem, sub tempus antelucanum opprimunt, Vigiliarum Magistro & altero equite trucidatis, plures spoliant, capiunt, & cum equis octodecim phaleratis, in Civitatem inducunt. Persimile biduo post in pago *Havickesbeck*, sed frustrà tentatum.

Et Militi Cæsareano inferunt.

49. Enimverò Princeps, quot facta, tot injurias interpretatus; clarigationem nulli adversus Dominantes subdito licitam; supra germanici milliaris ab urbe distantiam iter facientes molestari; de prætereuntibus agi prædas; sibi insidias strui; populabundum militem in Diœcesi sævire; in expectato latrocinio trucidari suos; & ipsum quidem opprimi Cæsaris militem; iis de mediis cæpit cogitare, quibus obtundi grassantium insolentia, & viarum posset securitas procurari. Emissariis statim manipulis palantes ruri terret, cohibétque; ac dato in vulgus libello latiùs exaggerat *Monasterienſium temeritatem. Qui iuri, iustitiaq; præferant arma, nec alium nunc, exemplo Corsus, inter DEOS, hominésq; Judicem velint, quam Martem. Necessitate quietis publicæ, & periclitantis patriæ salutis, rapi*

Princeps ad obsidionem separat.

Causas divulgat.

1660.

rapi se ad capessenda ea tandem consilia, quibus jura, authoritatemq; Principis non minùs ipse tueri, quam injurias omnes à cervicibus subditorum propulsare queat. Testatur insuper, *Commissioni Cæsareæ advérsum, nihil se meditari; nec in quoquam ei derogatum velle; sed initurum viam, quam contra hujusmodi graßatores, ceu tritam, ipsius Leges Imperij præmonstrarent.*

Ergo præmissis ad DEUM supplicationibus, votisque publicis (quæ rebus agendis pia sunt initia) obsidionem tertiam & ultimam decernit. Evocato è fortalitiis ac præsidiis milite, comprimendis pupulationibus vias primùm obsideri, copiis dein collectis die secunda & vigesima Julij, infra Urbem, in agro *Mariafeldensium*, castra metari facit. Isthic primam quóque stationem & Castellum Marianum ad alveum Alphæ designârat. Cui statim erigendo, dùm miles occupatur, postridiè è porta Judefeldianâ Urbani erumpunt, sed brevem post velitationem desideratis duodecim, nec pauciore numero vulneratis, Urbem relegere coacti. E Principis militiâ dissecti quatuor equi, & equitum uni pes sinister, glande tormentariâ ablatus, nec aliud continuis quinquaginta è vallo tormentorum ejaculationibus effectum.

Castra in agro suburbano locat.

A quo

1660. 50. *Tres à Belgij Provinciis Monasteriũ ablegantur.*

A quo tempore Monasterienſium Ablegati Comitis-Hagâ diſceſſerant, eorum Patronus *Aitzema* quotidiè flagitârat Ordines Provinciarum, ut Decretis ſuis conformiter, oppreſſæ Civitati ſuppetias ferrent, aut ſi *projectum* etiam admitti oportere videretur, ex Ordinum gremio nominarent aliquos, quorum prudentiâ ad amplectendum Cives perſuaderentur. Id tandem precibus detulerunt, ut *Balvereno* Gelro, *Schellingæ* Friſio, & *Tammingæ* Groningano, trium Provinciarum Ablegatis, poteſtatem fecerint Monaſterium adeundi, ac Cives, quibus poſſent rationibus diſponendi, ut communicatum nuper *projectum* acceptarent. Et quanquam inſtabat *Aitzema*, ut extensâ tantillum poteſtate Principem quóque ſalutarent, urgeréntque oblatam, menſe nuper Aprili, ipſis Ordinum litteris, interpoſitionem. Quod tamen Hollandia reluctaretur, cauſata Reip. contemptum, id quod apparebat, à Principe contingere; eam repudiari, nec ipſa voluit Delegatis ex ſuâ Provinciâ Collegam adjungere, nec ampliorem nominatis tribui characterem.

Excipiuntur in Caſtris.

Dies erat vigeſima ſexta Julij, quando tres ij Caduceatores, poſtquam Principi mentem Ordinum aperuerant, in Caſtra advenêre. *Chriſtophorus Bernardus* exercitui præfecerat Theodorum Philippum

pum *Wilichium* ex Probsting Generalem Vigiliarum Præfectum. Ab hoc & Chiliarcha *Nagelio* ad prandium humaniter invitati, & eâ & posterâ luce comiter, lautéque habiti sunt, ac dein sub vesperum postridianum in Civitatem abire permissi. Ubi non minore desiderio quam honore excepti, altero ab ingressu die, convocatis Senatui, Populóque Monasterienſi, quæ in mandatis habebant, palam in Curiâ proponunt. Potior ratio suasiva erat, authoritas, voluntasque committentium, quos ut saluti Civitatis intentos constaret, ita Consiliis eorum, dictisq; Civem opportere esse audientem. Sed neque tunc, neque postea tam efficax fuit unquam aut oratio aut animus Legatorum, ut vel potuerint, vel voluerint *projecti* illius acceptationem persuadere. Nunc verò, si quidem Reip. serium id esset, ab armistitio, ajebant Monasterienses, capi debere, tractatuum initia. Id tametsi Principem confestim orabant Legati, quod eâ tamen indulgentiâ sentiret spatium duntaxat quæri & colligendis Reip. auxiliis, & messi Civibus in horreandæ; mox abnuit, & majore quotidie curâ insistit obsidioni destinatæ.

Ingressi Civitatem.

Frustrà suadent projecti acceptationem.

Armistitium negat Princeps.

Perfecto jam Castello Mariano impositus est *Eisengardius* Tribunus, & Vicinæ Nobilium *Hardiorum* arci *Wilkinghega*

1660. *hega Meinereshagius* ſupremus Vigilarum Magiſter, milites veterani; cui poſtremo adjunxerant *Fiſcherum* Centurionem.

51. *Caſtra transferuntur.*

Optimè proviſis omnibus, quæ ad utriúſque propugnaculi munitionem ac robur faciebant, quod ita Civitas, quæ Aquilonem ſpectat, firmiter ſatis clauſa videretur, reliquus exercitus ſeptimo Idus Auguſti verſus plagam Urbis Auſtralem loco movit. In cujus tranſitu, advallis & templorum pinnacula, oppidanos catervatim traxit cupido prætereuntium agmina contuendi. Et quanquam è mœnibus tormenta octodecim in tranſeuntes continuè detonábant nec homini tamen, nec jumento nocitum fuit. Ad Vicum *Mecklenbecam* campi duo, caſtris prætoriis deſignati. In priore pedes, in poſteriori eques, tuguriola ſtatim ſua haud ſegniter extruxêre. Domus *Biſchopingiorum* zur Geiſt commiſſa eſt *Cadetis* Centurioni. Molendina, quæ extra Civitatem erant, ne poſſent ului eſſe, primâ nocte mutilata. Obſeſſis hac ſecundâ Caſtrorum metatione magè arctatis, in agrum Monaſterienſem, pabulator miles, audaciùs ſe effundebat. In hunc, altero poſt tranſitum die, inter leves ac velitares pugnas, emiſſi ſupra ſeptuaginta tormentorum ictus; ſed vanè; nam ſolo equite ab unâ duntaxat glande vulnerato, com-

1660.

commilitones reliqui, captis octo equis (qui devehendâ in Urbem segete occúpabantur) ac messoribus totidem abductis, androues suos salvi relegebant.

Nonâ Augusti Monasterienses excursione factâ currus binos, qui pane & cerevisiâ onusti, ad castra prætoria vehebantur, in sancti Mauritij ericeto interceperunt. Indè ausibus majores facti, novis satagunt manipulis fortunam experiri. In silva *Nevinckhoffianâ* abdunt se, ut hinc indè ultrò, citróque commeantibus, latentiores inter virgulta, insidias parent. Sed *Eisengardius* fortalitij Mariani præses, dolum subodoratus, delectum mox equitem, peditémque immittit, qui silvam perscrutati, insidiatores primos disturbant, & insecuti sparsos, palantésque ex iis cædunt viginti sex. Globus alter virorum quindecim, haud indè procul adhuc latitabat, qui compertâ suorum strage, è latebris prodeuntes, certi fuga salutem quærere, quâ poterant celeritate, vadum *Alphæ* petunt. Sed notatos *Eisengardius* discurrentes, submisso confestim novo milite, ex adversâ ripâ tamdiu remoratur, donec sub iisdem, quibus socij, mucronibus caderent. Cautiores ex eâ clade Obsessi majorem posteà Viatoribus securitatem reliquêre.

Eruptiones & velitationes.

52. *Baro Furstenà*

Ferdinando Baroni *Furstenbergio* Cubiculario suo jusserat *Alexander* septimus, ut

1660. *bergius Pontificis Ablegatus.*

ut *Francisco Guilielmo* Osnabrugensium Antistiti galerum Cardinalitium offeret. Ab eodem is Pontifice, ad Principem Ablegatus, per eos dies præsens erat. Ut supremam in eo Cathedram honoraret Præsul & curiosis postea Romanis, quæ Baro vidisset ipse, ceu oculatus testis narrare posset, pridiè Iduum Augusti ad Castra itum est. Eduxerat è stationibus copias *Wilichius* militiæ Imperator, ac dispositis armatorum centuriis, lætóque salutantium tormentorum fragore adventantes excepit. Indè lustratus miles, ac Castrorum situs; eorúmque conditio & forma explicata. Tum de aggere struendo, aquis sistendis, novo canali fodiendo, & quæ id genus plura erant, consultatum. At postquam convivalibus epulis, in viridario apud *Mecklenbecanos* recreati sunt, quâ fuerunt pompâ excepti, *Wolbecam* recessêre.

Castra lustrat.

53. *Agger Alphæ objicitur.*

Deliberatum tunc, statutúmque fuit, ut Alphæ alveus, à *Compmanni* villa; ad oræ citerioris jugum, interjecto aggere secaretur. Tum ut ita sisterent secundum flumen, simúlque ad incolarum molestiam, molas Civitatis aquarum beneficio denudarent. Tum ut aqúa, continuâ è montibus colluvione, immensum collecta, ubi quando intensiùs foret gelu, ad lubitum emissa, plana Urbis stagnaret, irrumpentibúsque ad mœnia viam sterneret favore glaciei.

glaciei. Vel si inexspectatior Civium obstinatio ita mereretur, laxato aggere, omnis aquarum vis, congregatim effusa, Monasterium magnam partem immergeret, objectóque in pratis suburbanis retinaculo sisteretur, quo majoribus medij Cives angustiis pressi, deditionem maturarent. 1660.

Isti nunc aggeri jaciendo, extollendóque festinis operis intendebat Bernardus *Spoëdæus* bellicarum machinationum Architectus. Nec ex vano industria omnis fuit. Nam consurgente paulatim in altum tumulo, turgescens quotidiè amnis, à vico *Mecklenbecano*, *Roxellã* pagum úsq; castra adeo firmavit ut inundationibus ceu mari septa, & hosti, & amico impervia, aditu omnes prohiberent. Persimili beneficio ut secus tractum potirentur, qui Orientem versùs Hiltropium respicit, novum ex *Alpha* alveum (qui & *Neo-Alpha* dictus) idem Machinator per campestria designavit: cujus excavatio bis mille rusticos mensem tenuit. Ejus ductu exuberantes ad aggerem undæ in torrentem Sonnenborn/ & is indè tumidior, perniciórque in *Wesam* fluvium exonerabatur. Ingenioso isthoc artificio *Alpha* sociatus *Amasi*, eam & stativis securitatem, & Urbi occlusionem attulit, ut numerosissimus etiam miles haud potuisset tutiùs exæquare. Ad prætoriam námque stationem unicus tantùm aditus patebat; quem

Spöedæo Architecto.

Et Neo-Alpha foditur.

Ad castrorum securitatem.

1660. quem & ſublicio ponte, *Neo-Alpha* impoſito, & munitione firmatum, provinciales militibus immixti, ita ſemper arcte tuebantur, ut vel ingredi, vel egredi nemini licuerit, niſi chartâ licentiæ præmonſtratâ. Idem erat, apud tranſitus ac pontes, **Zweyenhoven** & **Nobiskrug** vulgo nuncupatos, excubantium ardor & cura; ut profectò una riparenſium iſtorum vigilantia, & ab excurſionibus militum liberârit Diœceſin, & unà commeatu interclusem Civitatem.

Et arctiorem Urbis obſidionem.

Æſtus & Autumnus Civi ſterilis.

Cujus penuriâ Urbem quotidiè invalidiorem reddere, unus obſidentium labor erat: & hinc maturæ nunc æſtatis, nunc Autumni fructibus Civem privare, pabulationes impedire, pecora abigere. Quæ prout ab urbano milite tutelari diligentius ſubindè tegebantur, variarum ſæpè decertationum cauſa fuêre. Meſſe pluribus è locis Civi præreptâ, quidquid avehi, diſperdivè, aut tormentorum horror, aut tutantium vires, interdiu prohibebant, vindicante noctis beneficio flammâ conſumptum eſt. Quotidianâ ſic exercitatione nunc obſidentes, nunc obſeſſi, homines, jumentáque capiuntur, vulnerantur, occiduntur. Tanto in id pronjore quolibet, quantò majori utrobiíque gloriæ erat damno fuiſſe. Sed & ſtupendum ſemel accidit equiti *Meinershagiano*, cujus pilei

margi-

marginem pila tormenti pondo duodecim absorpsit, parte reliquâ & corpore illæsis. Nec importunum, quando visi ex agris in Urbem rejecti messores, reliquisse victoribus exuvias, cibaria, lagenásque, quibus se, & suos reficere, volupe fuit. 1660.

Hæc obsessorum incommoda ad octavam decimam Septembris cominùs, eminúsque viderant Legati Friso-Batavi. Quâ die relictis mœnibus, per Castra Coesfeldiam deductos, diali Princeps cæna, in arce S.Ludgeri excepit. Multa Præsul inter cænandum de causæ justitia & æquitate, de militis Cæsareani præsentia, de amicitiâ & favore Regum, de viribus Confœderatorum, facundè interserebat. Iis innexum fulcimentis sperare se, optatum brevi finem, sed nec timere, si quid adversi tentarent externi Magnates. Certè mixti epulis sermones, Herois magnanimitatem probabant. Inde Ablegati postridiè *Vredenam* profecti, vigesimâ quartâ Septembris Comitis-Hagam rediérunt. Ex quorum relatione statim innotuit; *nolle Civem induci, ut leges compositionis ad projecti formam paciscatur. Sed malle Reip. imperio vivere subjectum: Ideóq; venturo cuicunq; præsidio patere portas, & Reformatis libertatem exercendæ Religioni.* Hæc non secreta tantum instructione, sed duobus & diversis Tribuum

54. *Ablegati discedunt Monasterio.*

à Principe excepti.

In Hollandiam redeunt & referunt.

1660. ac Senatorum decretis firmabant. Prioris tenor hic erat.

Profe-runt Re-solutio-nem Tri-buum.

Anno M.DC.LX. die XIII. Septembris. Cum ad instantiam DD. Tribunorum plebis nonnulli è singulis Tribubus Deputati comparuerint, iisq; Ant- projectum tractatûs pacis, quod sua C- situdo creditur admissura, prælectum, sententia singulorum desuper rogata quod propter ingens & continuum mu- mur, nec intelligi nec audiri potuer- resolutio; omnibus retrocedere iussis gnificatum est. Quandoquidem insu- larentur Tribuni plebis, quasi præsen- bus Generalium statuum Legatis hu- multa satis offerrent, ut binis è grem- suo, videlicet Brochtorpio & Marlio a- *mum suum aperiant, quid igitur offer- quid præstari Ordinibus velint. Q- dein regressi palam testati sunt unan- mem omnium sententiam esse, Tract- tus cum Principe ut abrumpantur, claudantur portæ, ut cum solis Genera- libus statibus agatur. Malle omn- quæcunq; etiam Principis postulata, in- tegrum imò palmam tradere Ordinib- Belgij Confœderatis, quam Episcopo digiti articulum indulgere. Pro extr- ctu protocolli, è domo Tribunitiâ sign- vit. Hermannus Rovecamp.* Ex quo agendi ac scribendi modo, confusoque

resolu-

resolutionis sensu sagaciores Hollandi non obscurè conficiebant, apud Monasterienses tumultuariè rem omnem agi. Alterum verò sequens fuit Senatus consultum. 1660.

Cum ubiq; terrarum pateat, qualiter sua Celsitudo D. Episcopus Monasterien- sis, lite pendente, exclusâ & postpositâ juris ordinarij viâ, contra instrumentum pacis, juris civilis, gentium, & naturæ dictamen, Monasterium Urbem de novo hostilem in modum aggressus sit, Cives & incolas bonis exuere, jumentis frumentisq; spoliare, imò quadam more barbarorum flammis dare præsumpserit, & indies adhuc pergat ceu rebelles tractare, ac ferro & igne extremum persequi, nec ut spargit ipse, cessaturus sit, priusquam Civitatem sibi, átq; ità perpetuæ subjecerit servituti. Non potest vitio verti, si, quod jura permittunt & suprema necessitas imponit, ex novâ hac verè fractæ pacis publicæ causâ, ad ea se media convertat Civitas, quibus se suôsq; legitimè tueatur. Quocirca Cives omnes demisse orant, Præpotentes Ordines Generales dignentur vigore instrumenti pacis publicæ, juris naturalis & gentium, fœderis Hanseatici, vicinia, societatis, factarúmque firmissimarum appromissionum & assecurationum, in præsente ne- Et altera Sessionum.

1660. *ceſſitate & anguſtiâ, Urbem & incolam, licitâ defenſionis viâ, vel armis, copiis, auxiliaribus, vel quibuscunque viſum fuerit ſuppetiis, tam in, quam extra patriam ſalvare, protegere & conſervare. Urbs contra & Cives omnes, non ſolùm gratiam & beneficium hoc gratiſſimo ſemper animo agnoſcent, ac primis viribus demereri conabuntur, ſed & obligant ſe ac firmiter promittunt, poſt liberatam, ſalvatámque ita Civitatem, quidquid ratione juris præſidij in Antiprojecto continetur (ſalvis cæteris juribus, privilegiis & libertatibus) Reip. Batavorum ſe promptè tradituros. In cujus rei fidem ſigillum Civitatis hiſce ſubimpreſſum eſt. Monaſterij die XVI. Septembris M.DC.LX.*

55. *Sex Provinciæ armatâ Vrbis liberationem decernunt.*

Quibus cum plura admiſcerent præſentes Legati; extemplò *Gelri* Urbis liberationem decernunt. *Monaſterium* eſſe antemurale Provinciarum; offerri jus præſidij; plures adhuc favores poſſe tractatibus obtineri; & inprimis libertatem Reformatæ Religionis. Haud diutiùs cunctandum; armatâ, feſtinâque manu obſidione Civitatem ſolvi oportere. Idem *Friſij* ac *Groningani* ſentiebant. Nec diſconvenerat *Tranſiſalania* & *Ultrajectum*. Addebant *Zelandi*, fiduciâ Provinciarum in eas anguſtias dilapſos Monaſterienſes, ni tempe-

tempestivè succurratur, sanguinem eorum à Rep. aliquandò repostum iri. Ita Provinciis sex Monasterio suffragantibus, Hollandia, quæ omnem belli fomitem studiosè declinabat, sola fluctuabat; nec posse, ajebat, bellum decerni, nisi Provinciarum omnium conspiratione átque consensu.

Sola Hollandia declinat.

56.

Princeps eorum non ignarus, ut contra quemvis insultum muniret se, *fœdere ante biennium inito Francofurti*, quod hactenùs respectu Austriacorum protraxerat, ocyùs confirmato, & expeditis variè Legationibus Cæsaris, Regum, Principum, sed inprimis Superûm opem implorat. Partitione inter Diœcesanas Religiosorum familias institutâ, singulis quoquo mense diem destinat, quo virtutum officia, piásq; tunc actiones, intentioni suæ consecrent. *Coesfeldia, Bilderbecæ, Stromberga, Telgeti,* (quæ loca miraculis nobilitata, religiosiùs selegerat) diversi stipendia sacerdotibus largitur, qui sacris isthic quotidiè operentur; ac largas etiam eleemosynas in pauperes Diœcesanos clam profundit. Apud Imperatorem *Furstenbergius* morabatur. Lutetiam Parisiorum abeunt *Matthias Smisingius* ædis summæ Thesaurarius & Wernerus *Zur Muhlenus* Juris Consultus. In Angliam Ablegat Baronem *Wilichium* Winenthalij Dynastam *Cancellarium*. Ad Hispanum Belgij Gubernatorem *Vredenus* mittitur Pro-Tribunus. Cum Principum

Econtra munit se Princeps.

Fœderibus.

Precibus ad DEVM

Legationibus in Austriã, Gallias, Angliã, & alio.

ſociorum Legatis agebat *Fridericus Smiſingus* Eques Melitenſis Francofurti Commendator.

Et auxilia undequaq; prompta offeruntur.

Nec divina certè auxilia, nec humana defuêre. Adeo quippè nemo ſuas deſiderari partes voluit, ut ferè certatim omnes ſuppetias offerrent. Emicabat Cæſaris *Leopoldi* ſollicitudo, commiſſas *Friquetio* curas in Comitum-Haga, & Legionum ſuarum dia in obſidione continuantis. *Ludovicus quartus decimus* Franciæ Monarcha Archiſtratego *Fabro* jubet parari juſtum militem, & ſi res ita poſtulet, Præſuli Weſtphalo in auxilium properare. Magnæ Britanniæ Rex *Carolus ſecundus*, humanitas *Chriſtophori Bernardi* in ſe pronupe exulem laudatâ, aliquot offert ceu antidora Anglorum centurias, qui ad reliquos ur Monaſterium cingant, & ſi qui libidinos fortè liberatores velint occurrere, prima in acie locentur, ut irrupturis ſeſe objicerant; ac præter ſpem laceſſiti, ne nihil ſeriò agere videretur, ſentiant injuriarum vindicem Carolum Regem. *Confœderati Principes Rhenani*, uti viciniores, ita promptioribus auxiliis quæcúnque mala prævertere ſatagebant. *Maximilianus Henricus* Octovir Colonienſis Itelium Fridericum *Roeſtium de Weerſa* Tribunum, qui & Cæſaris-Inſulanorum Gubernator erat, feſtinatò ſubmiſit; & mox à *Philippo Guilielmus*

1660.

lielmo Neoburgico Duce Lotharius *Töllerus* peditum Chiliarchus, & *Matthias Nagelius de Gaul* equitatûs Instructor, cum insigni equitum, peditúmque manu subsidio destinati. Ac tempestivè aderant *Moguntini ac Trevirensis* Electorum copiæ auxiliares. Miles ita quotidie numerosior quaquaversùm per itinera circumfusus, & viarum anfractus, & vicinas arces *Lutkenbecam*, *Nevinckhovam*, *Wilckinghegam*, *Dycksburgum* ac plures domos, ceu propugnacula, munitas non minùs, quam Urbem arctiùs observabat.

57. *Loricâ propiore Urbs cingitur.*

Alterà dein loricâ, quam sexcentæ agrestium operæ brevi perficiunt, Civitatem Princeps arctate, ut sicut prior obsidentibus erat sepimento, ne palatum excurrerent, aut ab exteris forsan aggressoribus impeterentur; ita novo cinctos ambitu, liberiore posthac evagatione obsessos prohiberet. In pratis etiam suburbanis Fortalitium *Marianum* inter & *Nevinckhovam* (Nobilium *Kukelsheimiorum* arcem) novo aggere secatur, firmatúrque Alpha; ut laxatus supra Urbem amnis hoc loco retineretur, átque ita stagnantium intra mœnia aquarum inundatione, faciliùs domicilia mergerentur. Propiùs portam D. Ægidij suggestum erigunt, muniúntq; grandioribus aliquot machinis; non tam ut Civitati noceant, quam continuato per

Alter agger infra urbem Alphæ objectus.

1660. hiemem gelu, earum vibratione terreant oppidanos, ne concisâ stricti fluminis glacie, viam disturbent obsidentibus, aggressionem tentaturis.

58. *Eruptiones & Velitationes.*

Hunc ut everterent Monasterienses, ipsâ *Divo Victori* sacra die sub crepusculum matutinum improvisi magno numero erumpunt. Sed proditi mox ab excubitoribus, læsâque inter pugnandum Ductoris tibiâ (is paucis ante diebus à Principe desciverat) omnes cum eo terga vertunt, seséque intra hortorum latebras, sepésque abdunt. Cæsareani, quorum tunc excubiæ erant, auspiciis *Baronis Eltzij* fugientium turbam ultra molarios colles insectantur. Et equite per vias & campestria hostem inquirente, adeò ingens decertatio fuit, ut dato licet receptui signo, vix à pugná revocari potuerit incalescens miles. In objectas è mœnibus turmas continuè tormentis fulminatum est. Ea clade discerpti equus unus, & bini equites; tresque gregarij, & ex his duo, primâ aggressione læthaliter sauciati æquante penes obsessos cæsorum, læsorúmque numerum fortunâ.

Die verò secundâ Novembris infeliciùs pugnârunt Urbani. Dum enim in novum aggerem, stationémque *Nevinckhovianam* impetum meditantur, fortè fortunà supervenit *Wilichius* Castrorum Præfectus, & *Nagelius* Chiliarcha, operis progressum

1660.

gressum lustraturi. *Wilichius* mox pedes militem præit, dexterâque ensem tenens in hostem ducit, persequitúrque, donec in fugam actus relictis triginta bombardis ac tympano, quâ datâ viâ ad tutiora ponè Urbem se recepit. Cúmque *Wilichius* interim ac *Nagelius* immisso equitatu circumgredi terga fugientium jubent, magno ardore concursum est. Eorum tandem Ductor *Nubelius* sub-Centurio & facile viginti aut cecidêre aut gravi vulnere affecti sunt. Militia Principis septem numeravit sauciatos, & post enectos duos equites, Joannis Adriani *Reckij* nobilis, & magnæ spei adolescentis casum vehementer luxit.

59. *Vectores Legationis Batavæ intercepti.*

At jam antè, vectores ac vehicula, quibus impedimenta Legationis *Friso-Batavæ* Monasterio in Gelriam deportata erant, dum revertuntur, stationarij intercepêre. Quod fidem pro eorum securitate stipulati, ita inviolatam supramodum Legati dolerent, eorum interpellatione Uniti Belgarum Ordines, datis ad Principem litteris, dimitti captos postulabant. Verum Princeps, negatâ libertate vectores respondit baiulos fuisse chartarum, quas obstante interdicto in Civitatem perferre non licuerit; sed & præterea cognito annonæ defectu, optione liberâ, maluisse ruri saturos, quam famelicos intra mœnia hospitari.

Aitze-

1660. 60. *Epistolium Senatus Hagam missum.*

Aitzemanus interim Laconicas hasce Hagæ-Comitis accipit, jussu Senatûs ante diem quintum Idus Octobris Monasterij exaratas. *Quâ possumus contentione & studio rogamus, huc ut suppetiæ instarantur; laboret, instet, urgeat, ut statuatur Hollandia, & Civitas liberetur. Credita sunt Legatis, qui fuerunt hic arcana, quæ haud dubiè revelârint. Portæ patent. Quidquid spei sit, cum latore expectamus.* Is verò dum Monasterium reditat, novitate loricarum falsus cæpit deviare aliquantisper, ac dein notat infestis undique itineribus vix posse excubitorum manus declinari. Simulato igitur mercatu (nam ita quóque compositus erat) *Novinckhovianam* stationem rectâ petit, ac tabacum, gratam militi herbam nundinatur. Fraudem detexit pretij vilitas. *Nitzavius*, qui arci præerat, Hispanorum militiam annos complures secutus, nec rudis istarum artium, facilè veritatem extorquet. Fassus Tabellarium, Wolbecam capturus ducitur. Examinatus diu negavit quicquam sibi litterarum aut responsi creditum esse; nec minis adigi potuit, ut fateretur. Blanditiis tandem inductus *Wiedenbruck* noxæ condonationem, vitámque pollicentis, profert scedulam, quam secretiore parte corporis abdiderat. Quæ cum notis arithmeticis esset exarata, haud aliud prodidit

Lator capitur.

didit argumentum, quam ipse panderet lator, notâsse scilicet, Batavorum plures in auxilia Civitatis pronos, alios verò tardiores. Nihilominùs infensus Civi miles, suspendium urgebat; nos verò datam fidem causati, à Principe obtinuimus, ex protracto primùm leni carcere, veniæ occasionem ac vitæ posteà longioris. 1660. *Et vix à suspendio liberatur.*

Dum prior ita Tabellarius non revertit, exeunte Octobre alterum expediunt, qui Kalendis Novembribus Hagam ingressus has ad Aitzenianum litterulas pertulit. *In extremis constituti angustiis implora-mus & obtestamur, Celsos ac Præpotentes Confœderatarum Provinciarũ Ordines, ut sanctis toties promissis convenienter, reipsâ tandem liberent agonizantem nunc Civitatem. Ferant, rogamus iterum, sponsam opem, nec diutiùs moras nectant; hostis námque, in dies singulos mœnibus propior, arctius Urbem stringit, & nos cum inopiâ necessariarum rerum omnium conflictamur. Aderit indubiè Numen tam piis conatibus: applaudet universus Orbis: Ordines ipsi æternum sibi nomen comparabunt. Vim & injuriam patimur, lite scilicet pendente. Portæ patebunt. Obsecramus, laboret strenuè & nobis significet, quid sperare habeamus.* 61. *Altera Civitatis litteræ in Hollandiam missæ.*

Priusquam verò nuncius is in Hollandiam

1660. diam advenerat, longâ *Aitzemani* cunctatione, & Legatorum, qui Monasterij fuerant, adminiculo sollicitati Ordines, litteras ad Principem & Civitatem expediverant, quibus arma dehortantur & utrique parti compositionem suadent ad *projecti* normam; unáque Principem rogant, præsenti Tubicini liceat istius argumenti epistolam in Civitatem inferre. At Princeps, excussato mox Tubicinis transitu, quem negabat, armorum jure, posse concedi obsessis, multò ipse vehementiùs responsione sua Ordines dehortatur, ne se implicent rei prorsùs alienæ. Id novam Reip. despectionem interpretatus *Aitzema* in tempus magis opportunum reservat, nunc verò Tabellarium cum decreti apographo, quod antè diem tertium Kalendas Novembris in Ordinum consessu latum erat, Monasterium redire jussit. Sed miserrimus ille priori longè infelicior fuit. Nam redux à milite interceptus, nec semel subjectus quæstioni, è molari demùm trabe ante mœnia suspensus, laqueo vitam finivit.

Tabellarius is capitur & suspenditur.

62. *Tertius expeditur.*

Et hunc emansorem demirati Monasterienses (necdum enim illius captivitas innotuerat) omnem ferè nunc, de cognoscendâ Batavorum voluntate, certitudinem desperabant. Intereà verò crescente in diem penuriâ, crescebat etiam expectatio suppetiarum. Offert se tandem ultrò eques,

1660.

eques, ut apparebat non tantùm fortitudine & solertiâ, sed & peritiâ viarum reliquis major. Is certò addicit se litteras in Hollandiam perlaturum, redditurúmq; tutò intra breve tempus, quidquid responsi foret. Laudant operam, fidemq; ; ac lautè cœnatum quindecim, ni fallor, imperalium viatico, átque hoc instructum epistolio Hagam Comitis amandant.

Tertius nunc excurrit mensis, quo promissum tam religiosè præsidium frustrà expectamus, quod si propediem non adfuerit, de nobis actum erit. Nec usquam sanè, nec unquam Confœderati Ordines factum excusare poterunt, ita nos eorum culpâ si pereamus. Facili quippè negotio servare nos possunt; & citra ullam Cæsaris vel Imperii offensionem, imò cum gloriâ Provinciarum immortali. Urgeat salutem nostram, quemadmodum extrema necessitas, data fides, amor proximi, & ipsa id ratio exposcit. Nec enim antè Episcopus cessabit nos persequi, quam vel fame enecârit, vel vi suppressit. Quapropter curet quam potest diligentissimè, ut certiores reddamur, quid porro nobis de eo sperare liceat, quod nuper Ordinum Legati tam sanctè coram stipulati sunt. Ex tribus Tabellariis ad vos missis rediit nemo. Impossibile est, ut Resp. nos de-

Cum nova epistola.

se-

1660. *rat ábsq; ignominiâ sui, aut fidem non servet subsq; exitio nostri. Agat quæ solet fide & industriâ, ut præsentia tandem mala terminentur.*

63. *Hanc Principi prodit.* Eques ille ante menses circiter duos in Castris militârat; útque specimen daret fidei, fortitudinisque, clam locutus cum *Nagelio*, postulârat occasionem. Is confestim homini author fuit, ut simulata defectione Civitatem ingrederetur, adjungerétque se equitatui urbano, traderetque *Perannium*, istis diebus perfidè prodigum, inter irruptiones, vel captum vel neci. Eâ hactenus opportunitate frustratus, ut primùm nunc Urbe egressus est, *Nagelium* convenit. Indè ad Principem Castra tunc casu lustrantem illicò ducto epistolium, è fistula sclopi minoris (quam abdiderat) dextrè exertum demisse offert. Princeps, laudatâ fide, ac duplicato statim triginta imperialium viatico donatum, sponsóque redeunti præmio multò auctiore, in Hollandiam dimittit. Tertio Idus Novembris creditam sibi chartulam *Arzemano* Hagæ tradit. Et quanquam omnem is lapidem movebat, ut aurum Batavorum aucuparetur, Monasterienſibus faventiorem, cum tamen id nullo posset ingenio obtinere, decretum Reip. Equum reddit vigesimâ nonâ Octobris sub hac formâ latum.

Ea-

1660.

Expensis precibus favore Monasterienſium ab Aitzema Patrono toties iteratis, decretum eſt, nihil ſpei ab hac Rep. Monaſterio ſupereſſe, niſi projectum amplectatur.

Et privatâ ipſus pagellâ Monaſterienſibus ſuadet projecti acceptationem, ſi quidem ab Ordinibus opis aliquid exoptent. Id ipſum ſentire; & ita conſulere fautorem Civitatis Principem Naſſovium Friſiæ Gubernatorem. Præſtet námq; aliquam habere Remp. quam nullam. *Vti & reſponſoriam.*

Eques iſtâ papyro oneratus præproperato itinere Weſtphaliam relegit, ac denuò Principi ſe ſiſtit præſentem. Cui inprimis gratum fuit Ordinum decreto, hactenùs arcano eruditi. Sed ut dolum faceret Monaſterienſibus, fortè non inutilem, acceptâ forfice poſtremam decreti lineolam (quæ verba hæc, *niſi projectum amplectatur*, ſpeciatim continebat) tantâ reſecat dexteritate, ut nihil fraudis notari poſſet, nec ex reliquâ decreti ſummâ Civis aliud conficere, quam deſperatum nunc eſſe omne ab Hollandis auxilium. Pagellam *Aitzemani*, quod ignotis characteribus exarata eſſet, Ordinum ſententiâ contentus, intactam reliquit; & equitem liberaliùs donatum, amplisque lactatum promiſſis, ſi parem inpoſterùm conſtantiam probaret, in Civitatem liberum dimiſit. *Quam Dexterè reſectã.*

Cives avidè redeuntem excipiunt, inque

1660. *In Urbem perfert.*

domum Senatoriam è vestigio ductum, tantò benigniùs, lautiúsque habent, quantò ... mulata viarum difficultas, vitæ periculum perpessum frigus, perduransque adhuc lassitudo, hominis figmenta, majorem promereri humanitatem videbantur. Circumitæ passim, & ut quisque cupidus erat rerum Batavicarum, Equitem variè demulcet. Ipse verò continuatâ secreti simulatione quamvis non obscurè indigitaret fausta, quamdiu multorum cupidinem sustentat donec è minoris sclopi fistulâ, creditæ papyrum operosè profert. Displicuit illico Ordinum mens; nec minùs, post explicatos characteres, consilia *Aitzemani* amplexum *projecti* denuó suadentis.

64. *Civium consternatio.*

Erant in Urbe non pauci, quibus ea cum Batavis amicitia tractatúsque jam pridem improbabantur; rati consultiùs futurum, si quæsitâ popularium interventu concordiâ, Principis gratiam præhaberent. Sed alij, qui desperatâ reconciliatione sibi metuebant, nunc Principis sævitiam, nunc Provinciarum benevolentiam extollendo, tractis eâ susurratione in partem animis plurimorum, facilius prævaluerunt. Ex iis autem novis, quæ nunc è Belgio adferebantur, nata consternatio, Civitatem diu aliquot suspensam habuit. Verùm ut in spem pronæ sunt periclitantium mentes, fiduciâ Batavorum subindè erigebantur.

Fortè

Fortè fortunâ per eos dies dabatur opportunitas Weſaliam ſcribendi. Nonnemo *Marlius* Jurisperitus iſthic habitabat. Huic committunt, ut ipſus Comitum-Hagam properet, exorétque cum *Aitzemano* ab Ordinibus opem, & duobus, tribuſve ex Ordine Senatorio diploma procuret liberi commeatûs, ut liceat concordiam in Hollandiâ tractare; ſimul ac epiſtolam credunt ad *Aitzemam* proferendam: cujus hæc ipſa verba erant. 1660.

Marlius jurisperitus.

Accepimus & tum ſummâ triſtitiâ legimus extractum decreti vigeſimâ nonâ Octobris lati. Quia verò præcipuè tuæ & ſtatuum Generalium litteræ ab Epiſcopo Hagam interceptæ ſunt, nec nobis poſſibile, quenquam è gremio noſtro emittere, Doctori Marle *vicino commiſimus, ut Te humaniſſimè ſalutet, & de ſtatu noſtro inquirat, rogantes fidelem, conſtantémq; operam nobis impertiri dignetur ulteriùs; quippè duriſſimum, iniquiſſimum, & ſanguineis lachrimis deplorandum cenſemus, ſi hæc Civitas, pace & bello famoſa, tot avitis privilegiis clara, per* projectum *nobis in auditis conceptum, quod certè nec pactum, nec mutuus contractus haberi, minùs effectui dari poteſt, facto Ordinum Generalium, in turpiſſimam & perpetuam ſervitutem redigi debet. Epiſcopus non ſemel dixiſſe fertur. Ordines vel me, vel Vrbem*

Litteras Civitatis novas ſtatuum Hagam infert.

1660. *decipient. In Nos, pro dolor! sors illa cecidit. Vox populi est. Et sane, quod absq; gravi & injustissima injuria denegari non potuit, audiri debuimus, nec innocentes nec inauditi, uno* projecto *condemnari. At verò, si necdum arctiora à Cæsare mandata advenerint, nec propinqua spes eorum affulgeat, utprimùm de eo certiores facti fuerimus, mentem nostram super* projecto *finaliter & sinè mora aperiemus petentes ut, si fieri possit, salvus conductus pro uno, alterove ex Ordine Nostro ad vos deputando ad tractandum & transigendum super* projecti *contentis, per Ordines vel Residentem Cæsaris, ab Episcopo obtineatur. Interim via ad tractum aperta ibidem conservetur; nec noceat, si forsan hic cum Episcopo nos tractare spargeretur. Optaremus quóq; scire tenorem litterarum Ordinum, aliarúmq; interceptarum. Valeat & faveat constanter. Decimâ tertiâ Decembris. Signavit Hollandius P.S. Scribatur quóq; Viennam, ut urgeatur apud Cæsarem.*

65. *Ejus & Aitzemani sollicitatio.*

Has *Marlius* Hagam ipsus perfert, & impigrè unà sollicitat effectum argumenti. Nec passus suas Patroni partes desiderari *Aitzema*, cum fasce litterarum Monasterienſium compita pererrans, singulos Provinciarum, & inprimis Hollandiæ Proceres salutat. Quæ pridem ab Urbe beneficia Reip. oblata

1660.

oblata erant, largè repetit, & secretioris etiam instructionis potestate liberalior, complura superaddit. Nunc objicit *Urbis calamitatem, & eo quidem angustiarum unius Reip. fiduciâ devenisse. Considerent per DEVM promissa, publicâ fide, toties tam religiosè confirmata. Moveat privata Statûs, & communis ratio commerciorum: aut certè ingens Provinciarum jactura, quam imminens post se trahet Monasterienſium servitus, myriadem, credit, nummorum, quanta damna! uni Amstelodamo.* Indè conversus ad Christophorum Bernardum, *attollit Reip. despectum ex repudiatâ non semel interpositione, contrâ morem Principum, Regúmq; ; pernegato Tubicini transitu ; modicâ præsentium nuper Legatorum veneratione; continuâ litterarum acrimoniâ ;* & quæ id genus plura erant, execrationis, odiique in Principem struendi adjumenta. *Profectò non debere potentem adeò Remp. ista pati. Generosam fuisse Ordinum mentem Anno nuper quinquagesimo septimo, quando obsessam tunc Urbem cum Orbis applausu armata liberârit. Hanc innovari, & festinatò quidem oportere. Unam hodie præsto esse Reformatis opportunitatem, & fines Regionis, & Religionis dilatandi; cujus neglecta, foret aliquandò, ut Remp. seriùs pœniteret.* Ipsa plebs

submurmurare visa, deseri sociam Urbem & eam præteriri occasionem, qualis vix unquam esset reditura, communi causæ patrocinabatur.

66. *Brabeckius.* At verò *Brabeckius*, ut erat ab ingenio & arte promptus, *Aitzemani* conata facilis explodebat. Et qui Francofurti agebant Confœderatorum Regum ac Principum Legati, minaciter Remp. conjunctim dehortabantur, rei solum ad Imperium pertinenti ne se involveret, nisi Reges ac Principes suos, Monasteriensis Episcopi socios, ultores mallet, arctâ fœderis lege ad id obligatos. *Weimannus.* *Weimannus* Cliviæ Cancellarius, Electoris Brandenburgici Ablegatus, & divertendis ipse Ordinibus dexter, inter duo extrema aut liberandæ Urbis, aut deserendæ, posterius ceu tutius non unâ de causâ præsuadebat. *Thuanus.* Jacobus Augustus *Thuanus*, Meslæi Comes Christianissimi Regis ad Batavos Orator, nunc Westphali quóq; Præsulis, ceu Regis sui causam, jure societatis, mirificê tuebatur. Et opportunè *Borelius*, Batavorum in Francia Legatus, litteris idem confirmabat, imò & *Fabrum* Polemarchum à Rege jussum esse, qui cum auxiliaribus in Westphaliam properaret. Nec minùs callidè Parisiis nunciabatur per eos dies dixisse Rex, neminem mirari velle, si forsan exercitui Principis Monasteriensis præeuntem brevi viderent Franciæ Mareschallum. Ita

Et conspiratio Fœdera-

Regum

1660.

Regum ac Principum conspiratio, & ipsius *Christophori Bernardi* solerter id componentis, inque singulos dies coacto sub manu milite potentioris excrescens authoritas, distraxit animos Batavorum, ut Provinciæ omnes, quantumcúnque in armatam Monasterij liberationem anteà proclives, mutatâ mente, vix aliud concluserint, quam epistolâ velle hortari Cives, ut *projectum* amplectantur, ac simul rogare Friquetium, ipse ut *Christophorum Bernardum* humaniter flectat, ne Tubicinem, designatum ad Urbem Reip. Tabellarium, denuò remoretur.

torum Principis.

Batavos divertunt.

Apud Westphalos interim die octavâ decimâ Decembris repentina tempestas, quâ vix unquam alia violentior hisce locis visa est, non modicam Diœcesi stragem inflixit. Immensas extirpabat arbores, lacerabat tecta, sternebat domos, & aliquot turres molasque evertit. Indè ad prætoria Castra Æolo, Neptunóque certantibus, superior agger vitium passus est. Retinendis namq; aquis impar, ventorum, fluctuúmq; vehementiâ, partem ruptus, multis undis elabendi viam fecit. Et nisi fatiscenti alveo sexcentis operis noctem, diemq; se objecisset, reparassétque *Wilichius* Castrorum Præfectus, fracto quaquaversùm aggere, tota facilè moles Civitatem hausisset. Ut profectò sæpè posteà fassus sit *Christophorus Bernardus*

67.

Tempestas in Westphalia.

Nutans agger.

Operâ Wilichij conservatur.

dus, plurimùm debere *Wilichiorum* fami-
liæ Monasterienses, quod unius *Wilichi*
vigilantiâ ab interitu, certè ab irreparabili
damno fuerint tunc præservati. Jamque
Alpha nullo infra Urbem reperto flumi-
aut exitu, paulatim stagnans in tantam Mo-
nasterij altitudinem excreverat, ut cella
locáque subterranea, & humiliore situ, C
vium ædes tumidus permearet, ac vici, pla
teæque lintrium usu navigarentur.

68. *Pressa Civitas.*

Civitas jam dudum à penuriâ, & nunc a
ipsis elementis, ac desperatis aliundè suppe
tiis quotidiè angustior, ineunte jam anno
supra millesimum sexcentesimum sexage-
simo primo saniora cæpit consilia agitare.
Ad Kalendas Januarij *Coesfeldiam* emi-
tuntur Joannes *Wichartius* Divi Lamberti
Curio, & Leonardus *Helmius* è Franciscana
strictioris observantiæ familiâ, Provinciæ
sanctæ Crucis in Saxoniâ moderator. In
Castris à *Wilichio* excepti, custode equi-
tatu (nec enim loqui cum aliis permissi
sunt) *Ludgeriburgum* deducuntur. Isthic
tametsi Principem non vidêre, in conclavi
námque privato à consortio reliquorum se-
juncti erant, internunciis tamen actum; &
quas flagitarunt liberi commeatûs tabulas,
tam amplè obtinuerunt, ut quotquot Urbis
nominare vellet de pace tractaturos, iisdem
inferendi concessa sit facultas. Quò verò
opportuniùs utrinq; agi posset, diem Prin-

Duos ad Principem emittit.

ceps

1661.

ceps dixit & locum, vicinam Monasterio Wolbecam.

Sub hæc Batavi expediverant Tubicinem, qui proximiori conformem Decreto, Reip. epistolam, ad Monasterienses perferret. Jam tum advenerat is Coesfeldiam; sed Princeps injectâ dies aliquot remorâ, dum Hagam remittit, eodem commodè usus est, quocum felix anni auspicium Reip. precatus, simul ac Monasterienſium postulata significârit, ac ptæterea superfluum esse, istiusmodi post hac expedire Tabellarios, aut involvere se rebus, quæ non eò pertinerent. *Tubicen Batavus remittitur.*

Helmio & *Wichartio* regressis Monasterium, quâ cingendus esset ovali ex merito coronâ *Wilichius* in horas expectabatur. At præmatura mors expectationem frustrata est. Nam cum lentâ diu tabe conflictatus, exhaustus tandem, pridie Idus Januarias, ipsis in Castris, & honoris thalamo, diem extremum clausit. Heros erat ex illustri & avitâ stirpe Baronum istius gentis per Cliviam, vicinásq; ditiones famosæ; in Martis scholâ sub præceptoribus *Auriaco* & *Melandro* educatus. Pridem Chiliarchus; à *Christophoro Bernardo* frequenter ad Batavos & aliò Ablegatus; dein Generalis Vigiliarum Magister, ac militiæ Præses creatus est. Muniis istis semper præclarè functus; tam constanter gratus Principi, quam militibus charus fuit, qui continuè ceu Patrem

69. *Mors Wilichij.*

Ejus luus.

1661. trem colebant. Vir ad cæteras virtutes beneficus & prudens, militiam non virtute minùs, quam ratione gubernabat. Nil dixisses præter orthodoxam Religionem defuisse. Magno luctu obitum prosecuti stipendiarij omnes. Funus in æde arcis *Diersfurti* propè Wesaliam Atavorum sepulchris illatum.

Surrogatur Pleurenius. Defuncto in supremâ Belli Præfectura suffectus Oswaldus *Pleurenius* expertæ virtutis miles. Cujus operam fidemque in expeditionibus quondam Gallo-Belgicis non semel probavit *Leopoldus* Archidux. Is ex invictâ Urbe Gelriâ, cui ceu Vicarius præerat, à Principe nunc evocatus propridie Calendarum Februarij Castrorum & militiæ Monasterienſis curam suscepit.

Monasterienſium tractatus cum Principe. 70. Monasterienſibus interea Wolbecam primùm, indè Coesfeldiam ultrò citròque multùm commeantibus, instat, urgétque Princeps, ut tractatuum finem faciant, & quas indulsit conditiones haud gravatim amplectantur, adeò quidem, ut si clementiæ suæ, pacisque cupientes sint, haud præsumant redire, nisi Senatûs, Populiq; consensu acceptas probent. In via erant Justus Maximilianus Comes *Bronckhorstius*, *Gronsveldius* & *Friquetius* Augusti ad Batavos Ablegatus. His Imperator in mandatis dederat, ut ipsi cum Principe Monasterienses componerent, Cæsaris authoritate.

Legatio Cæsarea.

1661.

tate. Quorum antè adventum, *Christophorus Bernardus* negotium Monasterienſe perfectum volebat. Dies erat quartâ decima Februarij, quâ Princeps cum magnifico comitatu *Coesfeldiâ* egreſſus in via obvios perhonorificè excepit. Horâ & paulò ante Civitatis Delegati juſſi poſtremùm in Urbem redire, *Coesfeldiam* reliquerant; jamq; conſcenſo montis jugo, qui *Baembergus* dicitur, auditâ, quando Cæſarei *Ludgeriburgum* ingrediebantur, tormentorum laxatione, ducentes Prætorianos, quid id ſigni ſit, è rhedâ rogant. In proximo fuiſſe, ajunt, Regis Franciæ Legatum, qui ingentem auri ſummam in auxilium Principi deferat; illùm dubio procul intrâſſe nunc Coesfeldiam, exceptúmque eſſe. Ea quòque reſponſio conſternationem auxit; dúmque Civitas in ſui pariter exitium Franciæ vires conſpirare obſtupeſcit, unà cuneus fuit maturatæ aſſenſionis.

A Principe exceptâ.

Poſt triduum, nec enim ſpatium majus indulſerat Præſul, redeuntibus Coesfeldiam Monaſterienſium Delegatis, *Nottelenæ* (pagus eſt medio in itinere) juſſu Principis *Wiedenbruckius* & *Ravius* Conſiliarij occurrunt, ut ſi necdum poſtulatis ſuis plenè ſatisfeciſſet Civitas, rejecti Monaſterium, redire Coesfeldiam prohiberentur. Nam hactenùs Legationis Cæſareæ ignarus Civis erat, & eâ Præſul dexteritate ſuſtentabat animos

71. *Civitas Principi ſe dedit.*

1661. animos Legatorum, ut nec ipsi factæ potestatis copiam facerent Civitati. Sed rebus ex Principis voto succedentibus postero die venire Coesfeldiam permissi sunt. In ejus enim postulata ferè omnia descensum fuit; de modo tantùm & amnestiâ adhuc laborabatur. Sed continuatis per dies sequentes tractatibus, interpositione Legatorum in hæc præcipuè capita conventum est.

Deditionis capita. *Principi submittantur claves portarum. Ejus arbitrio præsidium excipiat Civitas, cujus stipendia ex publico Patriæ ærario, hospitia verò Civitatis sumptu curentur. Medietas collectæ molariæ* (Multerstewr vocant) *sit Principis; hanc autem convento pretio redimere liberum olim Civitati. Judicatus sendena* (jus istic dicere sueverant Monasterienses) *Principi transcribatur; & loco centies mille dalerorum Imperialium exsolvat Civitas quadragies quinquies mille: ita quidem, ut triginta septem millia expeditis chirographis, octies verò mille præsente pecuniâ numerentur. Paritio fiat juxta exemplar Principis jussu conceptum. Amnestia, seu potius, abolitio sit quidem generalis, sed pauci excipiantur, horum inprimis tumultuum auctores, quibus nulla tamen capitis pœna, sed spectatâ delicti qualitate multatio extra ordinem irrogetur.* Quæ porrò de politico regimine, de privi-

privilegiorum usu, déque antiquandis fœderibus sancita sunt, instrumenta duo, quorum alterum Princeps, alterum Civitas, quâ sequitur formâ linguâ tamen vernaculâ, confecit, satiùs testabuntur. 1661.

72. *Instrumentum Submissionis.*

Nos Consules, ac Senatores, nec non Tribuni-Plebis, tribuum Magistri, & universus populus Monasteriensis per præsentes notum facimus & attestamur. Cum gravem Celsissimi & Reverendissimi Principis ac Domini Domini Christophori Bernardi *Episcopi Monasteriensis, S. R. Imperij Principis, Burggravij Strombergensis & Dynastæ in Borculo, clementissimi Principis & Heri nostri offensionem incurrimus; quod exterorum Magnatum & speciatim Confœderatarum Belgij Provinciarum, protectionem & opem, prætextu Hanseaticæ societatis, tum litteris tum Legationibus sollicitare, iisq; arctiori fœderis nexu obligare nos moliti, ac plurium insuper erratorum incusati simus: Et eapropter Celsitudo sua tam suis, quam auxiliaribus sacræ Cæsareæ Majestatis, aliorumq; Electorum ac Principum copiis, Civitatem & Nos in nonum usq; mensem ita angustè cinxit, strinxitq;, ut viam delegerimus, vero submissionis obsequio, in Celsitudinis suæ ceu Principis & superioris nostri gratiam redeundi. Et quoniam ex continuatis hucusq; tractatibus,*

1661. bus, & obmotarum inprimis ab Illustrissimis Legatis Cæsareis Domino Justo Maximiliano Comite de Gronsvelt, Bronckhorst, & Rimborg, Sacræ Cæsareæ Majestati à Consiliis Bellicis, ac Campi Marschallo, & Domino Joanne Friquetio S. Cæsareæ Majestatis Consiliario & in Comitum-Haga Residente, gravissimarum rationum pondere facili negotio colligere licuit, non posse nos pristinæ benevolentiæ restitui, si non omnes ante ac singulatum in Provinciis, tum in ipsa Hagâ sollicitatas pactiones, oblationes & obligationes nostras, qualescunq; & cujuscunq; nominis fuerint, non solùm in optimâ formâ revocemus, retractemus, irritemus & annullemus, sed etiam de futuro nos obligemus ac stipulemur, neq; nos, néq; posteros nostros perpetuis futuris temporibus exterorum hujusmodi, aut vicinorum auxilia vel societatem unquam sollicituros, néq; permissuros, ut alij nostro nomine sollicitent, multò minus acceptaturos; verum legibus Imperij & patriis convenienter & uti fidos, obedientésq; subditos decet, posthac victuros esse. Idcirco Nos usitato more in Curia ad hoc convocati & congregati, animo bene deliberato, motu proprio, & quâ potest fieri efficacissimâ juris viâ, omnia & singula præmemorata, & quæcunq; sivè Hagæ Comi-

1661.

Comitis, sive in aliqua Provinciarum, aut domi aut foris, à nobis acta & gesta decreta, vel statuta sunt, per præsentes ceu invalida, irrita & nulla revocamus, retractamus, annullamus & renunciamus, ac nos, posterosq; nostros obligando promittimus, neq; à nobis, nêq; ab iis, nec ab alio quopiam vice nostrâ, ulla posthac vel auxilia, vel fœdera, sollicitatum, multò minùs admissum, aut istiusmodi conata porrò tentatum iri. Quem in finem revocamus etiam omne mandatum, votestatémq; Leoni ab Aitzema nostro Hagæ-Comitis Procuratori alias concessam, ac promittimus persimilibus in posterũ mandatis supersedere. Atq; hæc non modo sub hypotheca bonorum & fortunarum nostrarum, sed & sub pœnâ amissionis jurium ac privilegiorum omnium, ita quidem, ut in casum contraventionis viâ executivâ æquè contra nos procedi possit, ac si paritoria, quæ nuper à Cæsare sub pœnâ banni adversa Nobis, decreta est, reapsè publicata & effectui data esset. Pari modo nos obligamus ac promittimus, non tantùm prænarrata, sed & quidquid Celsitudo sua in expedito, sub dato eodem, abolitionis ac remissionis diplomate, quod humillima cum gratiarum actione obedienter acceptavimus, publicâ fide & in vim corporalis juramenti, quoties Celsitudinì

1660. tudini suæ, ejúsq; Successoribus visum fu-
rit etiam innovandi, quâ subjectos de-
fide devotione & obedientia integre-
servaturos. In quorum fidem sigillum n-
strum præsentibus subimpressum est. An-
Salvatoris nostri millesimo, sexcente-
sexagesimo primo, die verò vigesimâ
Martij, quæ erat divo Ludgero sacr-
Ex mandato. Bernardus Hollandius Se-

Diploma verò abolitionis, cujus priores l-
teræ jam meminerunt, sequens fuit.

73. Diploma abolitionis. *Nos* Christophorus Bernardus DE gratia Episcopus Monasterienſis, S. R. I-
perij Princeps, Burggravius Strombe-
genſis, Dynasta in Borculo &c. tenor
præsentium ad universorum notitiam de-
ducimus. Etsi Consules ac Senatus, n-
non Tribuni-Plebis, Tribuum Magis-
& universus populus Civitatis nostræ Mo-
nasterienſis, tam contra sacras Imper-
leges, & diversa Concilij Imperialis e-
lici decreta, rescriptáq; inhibitoria, ad-
eóq; in ipsius sacræ Cæsareæ Majestat-
contemptum, sollicitatis inexcusabilib-
suppetiis exterorum, quam variis in Nu-
ceu Legitimum Principem ac superiorem
suum modis adeò graviter deliquerint, u-
severius equidem in ipsos animadverter-
possemus. Quia verò per Delegatos su-
sufficiens ad hoc mandatum habentes hu-
millimè noxam deprecati, simúlq; pro se

1661.

ac posteris suis sanctè stipulati sunt, in fide, devotione & obedientia inposterùm perpetuò se constantes fore, ac præterea renunciârunt, & annullârunt, quidquid occasione hujusmodi sollicitationis & implorata opis externæ actum, factumq; fuerit, uti ipsæ retractationis litteræ sigillo Civitatis munitæ ac Nobis extraditæ latiùs testantur; Hinc Nos inducti tandem sumus, ut animo verè paterno, clementiam rigori anteponamus, átq; idcirco pro Nobis ac Successoribus nostris Episcopis Monasterienſibus clementer ac benignè declaremus, quod prædictos Consules ac Senatum, nec non Tribunos Plebis, Tribuum Magistros, totumq; populum ac militares etiam personas, conjunctim ac divisim (paucis duntaxat exceptis, qui posteà nominabuntur, & ob specialia delicta non quidem capitis, sed postquam legitimè convicti fuerint, aliam pœnam luent) in gratiam recipere, omnibúsq; ac singulis præmemoratis, quidquid erratî commissum est, clementer ac paternè remittere velimus, prout eosdem hisce reipsâ in gratiam recipimus, & omnem omninò offensam ac pœnam remittimus & condonamus. Quem in finem dictis etiam Consulibus, Senatui ac Consortibus ex gratia restituimus ac respectivè confirmamus, communia Civitatis & privata

1661. *singulorum, rite obtenta, & quietè hactenus possessa, non controversa, nec cum sententiâ super jure præsidii definitivè pronunciatâ, connexionem aut dependentiam habentia, néq; perspecialem alia cessionem renunciata, jura & privilegia fortunas ac facultates omnes, in quibus Nos veluti Princeps eosdem tuebimur ac defendemus, ita tamen, ut & ipsi & Successores seu eorum posteri discrete utantur; néq; Clerum nostrum Primarium & Secundarium, in suis respectivis immunitatibus, libertatibus & exemptionibus, seu Ecclesiasticis ac civilibus juribus & Jurisdictionibus, aut quemcunq; alium seu in- seu extra Civitatem turbent aut lædant; Nobis etiam, & Successoribus nostris fideles, obedientes ac devotos se constanter probent, & debitam omnem venerationem, submissionem ac reverentiam perpetuò præstent. Reservamus nihilominùs expreßè Nobis quodcúnq; jus Principis, Regalia, jura & jurisdictiones & eorum intuitu omnem superioris inspectionem & curam Civitatis, præsertim in casibus quietis ac securitatis publicæ; & si quando contingeret inter Magistratum ac Domum Tribunitiam non benè convenire; aut ipsa etiam conjunctim vel seorsim animis discrepare: aut factionibus distrahi Ci-*

ves;

1661.

ves; sivè antiquam aliquando repetere silvam, & tumultibus, seditionibus, proditionibus, seu quibuscunq; aliis periculosis hujusmodi machinationibus ansam præbere; Vel Nobis aut successoribus nostris seu facto seu verbo injuriam inferre. Deniq; expresse etiam Nobis ac Successoribus nostris reservamus potestatem adscito Magistratu, politici Regiminis & justitiæ administros ordinandi, & quacúnq; ab aliquo jam tempore irrepsêre novitates, defectus, ac vitia corrigendi, curandiq; ut ad præcipua Civitatis munia, viri honoratiores, vere Catholici & Nobis ceu Principi sincerè devoti admoveantur; & è contra turbulentiores & inquieti, ac Nobis seu nostris successoribus infidi, vel contrarij, ab iis rejiciantur; demùm sollicitè caveatur, ne præsentia posthac incommoda aut pristinas calamitates denuô experiamur. In testimonium veritatis has abolitionis & gratiæ litteras dedimus manu & sigillo propriis roboratas. In Residentia Nostra & arce S. Ludgeri. Anno millesimo sexcentesimò sexagesimo primo, die verò vigesimâ sextâ Martij, quæ erat Divo Ludgero solennis. Christophorus Bernardus.

Hanc Divo huic venerationem Princeps debebat, ut ejus ceu Proto-mystæ honori Civitatis submissio adscriberetur. Ergo pactis

74. *Civitas tradita tur.*

1661. ita conditionibus alterò ſtatim die unà cum Legatis Cæſareis *Coesfeldia Wolbecum* properavit. Poſtridiè verò, quæ erat vigeſima octava Martij, omnem è caſtris, munitionibus, præſidiis militem in campum eduxit. Diſpoſitis longo ordine legionibus, *Hiltropium* pagum inter & Monaſterium, ac ſtetit. Numerati *undecies mille quingenti pedites*, *equites* verò *bis mille ſexcenti*. Præſidiariis ex Urbe dimiſſis ac dearmatis tormenta non caſtrenſia tantùm, ſed & mœnibus omnia læto fragore Victori applausêre. Dein *Pleurenius* Caſtrorum Præfectus & *Nagelius* Chiliarcha bis mille pedites & equites ducentos ceu neo-præſidiarios, per Divi quóque Ludgeri portam, in Urbem introducunt. Princeps interim in prædio ſuburbano Patrum Societatis JESU, *Inſulas* vocant, epulo lautiore Legatos excepit. Sub tempus promeridianum *Brabeckius* Decanus, *Twickelius* Rheino-Bevergernanus Satrapa, & *Wiedenbruckius* Auiici Tribunalis Præſes ac Conſiliarius intimior Civitatem ſubingreſſi in Epiſcopali prælatio ſe ſtiterunt, iiſq; ceu Principis vices gerentibus portarum ac turrium claves, tam cara pignora! à viris Conſularibus oblatæ. Ab his iterum creditæ *Pleurenio* unà cum præſidij & Urbis Præfecturâ. Et hæc eſt illa fatalis ac prima dies, quæ Principis imperium, authoritatémque ſtabilivit, Cathedra-

Robur exercitus.

Delegatis Principis offeruntur claves.

kam

lem evexit Senatum, patriam extulit Nobilitatem; Ordinem verò Civicum depressit, paucorum insaniâ, luctu plurimorum. 1661.

Hunc denique finem habuit octo mensium ac totidem dierum obsidio; in qua ex bis mille tormentorum ictibus quinque tantum prostrati. Nam equi novem, qui vel ita pariter rupti sunt, historiam non merentur, hominum duntaxat, non jumentorum fatis dicatam. Inter velitandum è primoribus tres, gregarij verò tum equites, tum pedites viginti cecidêre. Et quanquam solito mitior ac nimbosa fuerit hyems, madénsque inter lubrica passim æther, ea tamen fuit DEI benignitas & medentium cura, ut supra triginta non extinxerit valetudo. Cæteri suis clausi tuguriis firmare se noverant contra aeris injurias. Et ne quid deesset, supremam commeatûs curam Princeps habuit. Panis, cerevisia, avena, stramen quotidianæ necessitati abundè suppeditata. Viciniores pagi certo numero ligna advehebant coquinæ, fornacibus, clibanisque instruendis centuriatim distributa. Prædium Feldthauß / quod *Osthoviorum* est, penuario destinatum. Ex eo Joannes *Wettendorffius* Cameræ Secretarius, vir integer ac diligens, ceu annonæ Curator, demensum quotidie diribebat. Ita prohibitus miles, ne specie conquirendi alimenta Diœcesi molestus esset. Nec enim minùs sollicitè providit

75. *Finis obsidionis.*

Numerus sanctiorum & casorum.

Cura Principis.

1661. Princeps, ut circumvallatione duplici. tam stipendiarios à pernicioso excursu, quam Civitatem aut hostem quemcúnque ab aggressione stativorum contineret. Sanè plures demirati sunt, qui Collectores exactionum per Diœcesin, per Castra, per agmina viderunt palam asportare pecunias, nec unquam passos vel unius bessis jacturam.

76. *Observationes curiosæ.* Observatum est à curiosis, quâ tempestate *Leidanus*, *Knipperdollingus* assectæ seculo ab hinc obsidebantur, duce *Nagelio* Tribunos ac totidem è *Wolffransdorffiis* fratres, Civitatem oppugnasse. Eorum nunc Abnepotes, hac in obsidione, pari quóque numero, avitarum fuisse virtutum æmulatores. E *Nageliorum* quidem gente *Theodorum Hermannum* Chiliarchum, Satrapam Strombergæ, ac *Matthiam* equitatûs Palatino-Neoburgici Præfectum. Ex *Wolffransdorffijs* verò *Henricum Mauritium* Equitem Melitensem, Cæsareanorum Tribunum, ejúsque Germanum *Henricum Reinerum* Ejusdem Legionis Instructorem, supremum vocant Vigiliarum Magistrum. Qui in hoc Monasterienſi theatro Principis causam, eodem Zelo æmulati, non rarò generositatis suæ specimen probârunt. Sed & Cæsareanus Equitum Chiliarcha *Fabri*, quod in gloriam gentis Leodiensis haud omitti debet, non pauca etiam suæ reliquit virtutis monumenta.

Laus militum.

Ad

1661.

Ad hæc plura obſervatu digna interciderunt. Dudum prædixerat Vates quiſpiam *Tecklenburgicus*, aut bubulus, aut opilio, Monaſterium quandóque obſidendum, ac deditum ingreſſuros tandem Victores, quorum pilei floribus ceraſorum redimiti forent. Id decennio antè mihi narratum; & uti ſparſim manifeſtum fuit Diœceſanis, ita & ante eam ætatem innotuerat *Haſſis* ac *Lunæburgicis*, qui vel propterea in ſpem erecti, frondente ceraſo, cæperant olim ſed fruſtrà Civitatem obſidere. Nunc quóque per hyemen delatis in hypocauſta arbuſculis, naturali caloris artificio, ceraſorum floſculos creârant maturatæ deditionis cupientiores, quos ipſus ego ſeu poſſibilitatis vaticinij, ſeu vicinæ veritatis teſtes, ab amicis ſubmiſſos, Kalendis Januariis *Chriſtophoro Bernardo* præſentavi. At verò hac ipsâ Martij vigeſimâ octavâ ita paſſim viruerant ceraſi, ut abundans frondium, florúmque copia proſtaret. *Wiedenbruckius* & ipſe ſtudioſus rerum obſervator, dum manè ex arce Wolbecâ Monaſterium cogitat, obvius Principi frondem offert, *Ut adimpleantur*, inquit, *ſcripturæ*. Et ipſe, & militum plerique, quaquaversùm in ceraſos effuſi, gloriæ duxerunt, ſi frondibus earum, floribúſque coronati Urbem ingrederẽtur. Notatũ exin quantumcúnq; hyemes annis poſterioribus mites fuerint, nunquam tamen viſas ad diem illum ceraſos ita

Vaticinia.

viruisse, ut hiante gemmâ flores protulerint.

Prævisiones. Nec illud prætereundum. Objectum pridem antè Civibus phantasma, quasi dimicantis *Hiltropium* inter & *Monasterium* aciei, ac post tormentorum, scloporúmque fragorem, qui mœnia primi subintrarent *Auriaca* (sunt citrei coloris) signa Civitati illaturos. Id perrumpentis isthàc Barvici exercitûs, salvantisque Urbem, ceu bonum omen, hactenus Monasterienses expectârant. Verùm improvisè secùs accidit. Nam Legioni Baronis *Walpotij*, quæ paucis antè septimanis cum *Spiegelbergiâ*, authoramento Ducis *Neoburgici*, in Diœcesin postremùm venerat, hospitia *Warendorpij* destinata erant; dum è campo, viâ transversâ *Telgetum* movet, ut isthic eo citiùs sub vesperum hospitetur; *Elverfeldius* jussus sua cum Legione Monasterium primus insidere, rectâ Civitatem petens, vult *Walpotium* quiescere, donec ipse cum suis mœnia subintrârit. Id sibi, ceu seniori Tribuno deberi, & securitati Urbis possidendæ. Contrà *Walpotius* nolle se, aut Legionem suam sisti, sed cœptum jam iter Telgetanum continuare. Certantibus ita Tribunis, vix à duello & mutuo Legionum congressu abfuit. *Pleurenius* injectâ utrique manu, utriusque simul Legionis motum sistit, donec aliud Principis jussu statuatur. Indè ad

pran-

prandentem in *Insulis Christophorum Bernardum* præproperante equo accurrit, petitque festinus, ut liceat *Walpotio* ceu propiori, præ *Elverveldio* ingredi Civitatem: Id dum Princeps subterfugit; non posse affirmat *Pleurenius* sine Legionum collisione contrarium permitti. Tandem persuasus Princeps, si cautum satis arbitretur, ne sub primum in urbem ingressum tyro miles insoleſcat, concedit, mandátque, ut *Walpotius* sua cum Legione Monasterium progrediatur. Qui dum portam à Divo *Ludgero* nuncupatam primi intrant, sua pariter signa, mediam partem citrei coloris explicata inferunt, probántq; ipso statim obtutu, lusos in phantasmate Monasterienses, inani spe liberandæ Urbis, armatâ manu Batavorum. 1661.

77. *C. Bernardus deditionem variis significat.*

At verò *Christophorus Bernardus* occupatâ nunc Civitate expeditis illicò nunciis, litterisque Pontifici, Cæsari, Regibus, ac Principibus Confœderatis deditionem significat, simúlque pro impensâ ope gratias agit. Vicissim omnes ij submissionem refragantium subditorum sine cæde, & sanguine tam feliciter partam Victori gratulantur. Quas verò dedit *Alexander* isto nomine *Papa septimus*, ipsas lubet hic subnectere velut exemplar reliquarum.

Responsoriæ Pontificis.

Venerabilis Frater salutem & Apostolicam benedictionem. Ex litteris Fraternitatis Tuæ die primâ mensis hujus datis

datis non sinè magno animi nostri gaudio cognovimus, insigni zelo & virtute Tua perfectum esse, ut Civitas Monasteriensis, ejurato fœdere Hollandorum, præsidium Tuum liberâ & sinè ullâ conditione receperit, Commissariis Tuis portarum, turriúmq; claves tradiderit, ac uti par fuit obedientiam & fidelitatẽ Tibi & Eccles. isti legitimè præstiterit, etiam expressè reservatâ Tibi melioris politici Regiminis omnimodâ constitutione. Rem adeò feliciter gestam Nos ubiq;, post actas divinæ clementiæ gratias, Tibi ex animo gratulamur: hoc enim modo, nedum ipsius Civitatis quieti & securitati, verùmq; Ecclesiæ Tuæ defensioni, verùm etiam Catholicæ Religionis in istis Regionibus incolumitati, non minùs piè, quam providenter consuluisti. Porrò autem, ut consilium tam salutare magis adhuc stabiliri, & fortunari benedicente Domino contingat, non dubitamus, quin ipse curas & vires omnes impensurus eximias, eámq; potissimùm Reip. formam instituturus, quæ vim & authoritatem Regiminis melioribus & honestioribus Civibus asserat, nec apud infimæ plebis fœcem esse permittat; nam in hujusmodi repræteritis temporibus valdè peccatum esse, non sinè admiratione ac displicentiâ, dum isthic fuimus, ipsi planè vidimus. Præ-

tereà

1661.

tereà quamvis pro certo habeamus, Eidem Civitatis istius & fidei Sanctæ publico bono, carissimum in Christo Filium Nostrum Imperatorem Electum, authoritatem & opem sponte suâ collaturum esse, in re tam gravi Nostra penes eum officia desiderari noluimus, uti distinctè & explicatè magis ex dilecto filio Ferdinando Barone de Furstenberg Cubiculario nostro intimo, qui litteras Tuas reddidit, ac totius rei gestæ seriem disertè prosecutus est, intelligere planè poteris, Fraternitatis Tuæ piis conatibus usq; propitium & retributorem DEUM enixè precamur, Apostolicámq; benedictionem ex omni paterno corde sanè profectam elargimur. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo Piscatoris, die XXVII. Aprilis M.DC.LXI. Pontificatus nostri anno septimo. Subscripserat. *Florentin.* Et inscriptæ erant. *Venerabili Fratri Christophoro Bernardo Episcopo Monasterienſi.*

78. *Princeps Cæsari auxiliares submittit.*

Hac ipsa die advenerat Legatus Augusti *Lucas Spicus*, qui *Wolffransdorffiam* inprimis & *Fabrianam* Cæsaris Legiones, plurésque Principis auxiliares, in Hungariam abduceret contra Turcam. Has enim veluti tesseram gratitudinis, devotionisque *Christophorus Bernardus* transcripserat Imperatori. Sub idem tempus Comitium is Saſſenbergæ

senbergæ agebat. Copiæ omnes è præsidiis evocatæ in Ericeto, *Warendorpium* Civitatem inter & *Sassenbergam* arcem mediæ (Langewiesche quasi oblonga pascua compellant) septimo Idus Maij convenêre, & postquam congiaria primores, ac donativum milites accepissent, è Diœcesi postridiè migrârunt, ductore *Spico* in Austriam traductæ.

Arcis Monasterio imponendæ necessitatem probat.

Distrahebat intereà Principem securitatis ac quietis publicæ, priùatæque sollicitudo. Ex rerum námque gestarum monumentis liquebat, singulis propè seculis seditiosos fuisse, suisque adversatos Principibus Monasterienses. Accusabant non pauci Prædecessorum incuriam, qui subjugatâ sæpiùs Civitate, præsentibus vixerant contenti sinè curâ posteritatis. Néque clam arguebatur Franciscí ex Comitibus de *Waldeck* Episcopi Monasterienſis indulgentia, quod post sedatos furores Anabaptistarum, arcem domandis inposterum turbis à se extructam demoliri posteà, Urbemque Civibus restitui jussisset, unâ, uti volunt, Cathedralis Collegij adversitate lacessitus. *Christophorus Bernardus*, qui Prædecessorum incommoda ex annalibus, & ipsus experimento sua didicerat, ut hujusmodi posthac difficultatibus liberaret Successores, tutam iis, tranquillámque sedem firmare meditabatur. Arcis igitur structuram decernit ipsius etiam volun-

Structuram decernit.

tate

1661.

tate Capituli Cathedralis ita seriò firmatam, ut si absolutâ necdum mole præmori *Christophorum Bernardum* contingeret, ad continuandum, perficiendúmq; opus Successorem obligaret. Tam enim quieti necessariam, quàm utilem Principatui unanimes sentiebant. Præstare námque tumultuantium aliquando forsan animorum cohiberi pruritus, & intra honesti, rectíque limites civem contineri unius arcis beneficio, tolerabili paucorum centenorum præsidio munitæ, quam millenis continuò militibus conservari Civitatem, & eorum sustentatione immensùm gravari Diœcesin.

Præmissâ cum Cathed. Collegio conventione.

Intra ipsas ferè portas hactenùs claudebatur Urbis Jurisdictio; quodq; suam mœnibus propè conterminam, possideret Collegium Cathedrale, non infrequens olim nec unius altercationis causa fuit. Hanc ut tempestivè Princeps è medio tolleret, isto præsertim tractu Castri fabricam moliturus, transactione conventum est, ut statis intra palos finibus jurisdictio circum Civitatem extensa, Principi, & contrà Collegio Cathedrali transcriptus sit Judicatus *Sendenæ*.

Locum designat.

Rebus ita compositis arci locum designat aream, inter Judefeldianam & Beatæ Virginis portas, eversis isthìc ad asperum úsque collem mœnibus, vallisque Civitatis, aptè complanatam. Ante diem decimum quintum Kalendas Junij Castellum extrui cæptum;

1661. cæptum ; Et illud fossis, vallis, collibus propugnaculis, parmulis, triangulis collaralibus & ipso situ Coesfeldiensi haud dissimile. Formis solùm differre visa, quæ tetragona Coesfeldiæ, Monasterij pentagoni. A Divo Paulo Urbis & Diœceseos Tutelaudire voluit *Pauli-Burgum*. Et quidem initia surrexit opus celeritate mirabili: paucarumq; hebdomadarum spatio ita excrevit ut quo tempore Princeps Urbem ingrediebatur, arcem repræsentârit, & ex eâ in muros ductus sit perquam decoro apparatu.

Arcis forma.

79. Hactenùs enim intrare Civitatem impersedit. Id námque reservabat Divorum Tutelarium honori ; ut quorum ipse patrocinio devictam, reductámque Urbem, & conservatam patriæ salutem non parùm tribuebat, nollet subingressurus mœnia triumphum agere absque honorifico lypsanorum eorundem comitatu. Festivi ergo introitus diem statuit decimam Julij ; útque solennior esset & gratiarum actio, & veneratio Sanctorum ; patriam utriúsque sexus Nobilitatem & Clerum extraneum (sunt viri Ordinis Ecclesiastici extra Urbis muros Diœcesin habitantes) ut frequentes interessent, hoc ipso, quod meritò hic inferimus, diplomate invitavit.

Diem statuit ingressui Urbis & sanctorum honori solennẽ.

Promulgat. *Justum arbitramur, ut cultus & devotio Christiana erga omnes omninò sanctos in nobis jugiter vigeat & constanter per-

perseveret; vel maximè tamen erga illos, quorum sacris Reliquiis ac lipsanis Diœcesis hæc nostra splendore mirifico condecoratur. Neq; enim fas est dubitare, quin ipse sanctus sanctorum DEVS, in istis nostris Concivibus, sicut virtutis exemplum, sic necessitatis præsidium à Nobis singulariter voluerit, velitq; collocari. Sanè laudatissimos Prædecessores Nostros eum in finem collimâsse credimus, dum festum Sanctarum Reliquiarum semel in anno, & quidem die Dominico, solenni ritu, propriâq; quâdam animorum exultatione celebrandum, Episcopali providentiâ indixerunt. Vestigiis itáq; Prædecessorum insistere, ac meritam Sanctis, pro impetratâ â DEO subditorum ad debitam obedientiam reductione, hostilium conatuum irritatione, avitæ & Catholicæ Religionis per Civitatem & Diœcesin conservatione, gratitudinem pro posse contestari volentes, in prædicta SS. Reliquiarum festivitate, quæ hoc anno in decimum mensis Julij incidit, cum Reliquiis S. Pauli Apostoli & Patroni, S. Ludgeri Proto-Episcopi, aliisq; (corpus S. Maximi Martyris ab Innocentio beatissimæ memoriæ Papa Decimo Româ ad Nos transmißum, condecente pompâ & solenni processione, ex novo quod apud Civi- 1661.

1661. *Civitatem noſtram Monaſterienſem mo-*
limur, Caſtro, ad Eccleſiam Cathedra-
lem, comitante univerſo Clero, congre-
gatiſq; Patriæ Statibus, de aſſenſu Ven-
rabilis Capituli Noſtri Cathedralis duxi-
mus & ordinavimus deportandum, u-
earum, quas ſeculo abhinc rabies Ana-
baptiſtica concremavit, locum ruri-
impleant, & in ſanctorum honorib-
honoretur DEVS, à quo omnia, in q-
omnia, per quem omnia. Et quidq-
ſicut Nos, intentiones, actioneſq; diſp-
cillimas ſuperiorum annorum, ad unic-
DEI gloriam & ſubditorum commod-
bonũ ſemper direximus, ſic felicem eve-
tum, quem divina bonitas etiam ſupra
ſpem, ſopitis turbulentis motibus, libe-
raliſſimè conceſſit, non tam ad Nos,
quam ad omnes nobis commiſſos volumus
pertinere. Eoſdem cum hoc in Domino
Subditos *cohortantes & reſpectivè mandantes, ut*
invitat. *qui commodè, & ſine cultûs & offici*
divini detrimento vacare poſſunt, ad
conſtitutam celebritatem frequentes huc
conveniant. Cæteri verò, tam ſecula-
res, quam Religioſi de Clero & Popul-
in ſuis quiq; Eccleſiis, eodem die &
SS. Reliquiarum Feſto, proceſſioni cum
delatione Sanctiſſimi Sacramenti, &
Litaniarum de omnibus Sanctis decan-
tatione, per cæmiterium inſtituenda,
Miſſæq;

Missaq; Sacrificio, quod Hymno Ambrosiano concludetur, diligenter & devotè interfint. Recurrente insuper saepedicto SS. Reliquiarum festo, annis subsequentibus, eodem modo, eademq; ratione, gratiarum actionem hanc publicam, communi omnium gaudio, debitâq; devotione, ac festivo campanarum compulsu pridie Festi & in ipsa die faciendo continuaturi. Quem in finem clementissimè volumus praesens hoc nostrum rescriptum, ceu indicium enixae nostrae voluntatis, non tantùm idiomate patrio publicari, sed ad posteritatis memoriam, in Templo aut Sacristiâ affixum, per Superiores aut Pastores reverenter & obedienter conservari, de paritione vestrâ clementissimè confidentes. Dabamus Wilckinckhegae. XXIV. Junij M. DC. LXI. Per id temporis intervallum his in aedibus, quae olim Nobilium *Steveningiorum*, nunc *Hardiorum* sunt, potissimè morabatur, ut & arcis structurae & rebus quotidiè Monasterienfibus propior adesset. 1661.

80. *Confluxus populi.*

Divulgato sic laeti ingressûs die, verbis exequi non est, quam multi mortalium è Westphaliâ, Belgio, finitimisque locis Monasterium confluerent. Certè patria *Nobilitas* invitata, ut triumpho subintrantis Urbem Victoris interesset, rhedis, equis,

1661. veſtibus præter morem comptior, freque
aderat, non minùs naſcenti jam ſuæ, qua
partæ Principis felicitati applauſura. E
ceſcente ipsâ nunc die ſuis quisque lo
partitus ſtabat miles. Duæ peditum p
langes mille circiter armatorum, *Prlaci*
Diſpoſitio. *Amſterodio* Ducibus, Caſtri planitiem o
cupabant. Duobus è colliculis enſineb
Meinardus Hagius & *Goſaus* cum eq
tatus parte. *Plettenbergius* & *Keins* a
miterium Tranſaquenſe ac forum frume
tarium cum centuriis ſuis inſidebant. P
torium obſervabat *Slumpij* cura cum t
bus peditum cohortibus. In area temp
Cathedralis aciem ſuam explicârat Leg
Baronis *Walpotij de Konigsfeldt.* A
ſingula platearum divortia excubabant a
mati manipulatim. Omnibus iis intenſ
bat *Plurenius* militiæ & Urbi Præfectus.

Equitatus Ductore *Nagelio* Chiliarch
in campo ante *Wilckinckhegam* Princip
Ingreſſus Principis in rentorium. egreſſum præſtolabatur. Quem interea
temporis cum aulâ adventantem, ac rhed
phaleratis ſex albentibus equis vectum, ad
arcem úſq; novam præceſſit. Ubi à Gu
bernatore & Nobilitate exceptum longo
ordine in Tentorium deducunt; indè
numeroſo, jam iſthic conſiſtente Clero, hu
Iſthic Sacris operatur. mili veneratione ſalutatur. Hic pacis ara,
& thronus Epiſcopalis erectus erat: ſub quo
Pontificiali indutus, incinctúsque ornatu,

rem

rem divinam ardentissimis precibus inflammabat; átque suavissimam inter vocum & instrumentorum symphoniam grates persolvit *Protectori suo, in quo speraverat, quod populum sibi suum subdidisset.* 1661.

Dexterum tentorij latus Equestris ordo, sinistrum Senatus, Populúsque Monasterienſis, medium Canonici Cathedrales & primores Cleri tenebant. Peracto missæ Sacrificio, carbasis sinistrorsum ad úsque terram demissis, Princeps mitrâ, pedóque armatus, & Pontificali amictus paludamento, extructum ibi pegma scandit, & versus ad Monasterienses, omnibus se conspicuum sistit. Proximus sed gradu inferior adstabat *Batzius* Orator. Is factâ Præsuli reverentiâ, quæ in mandatis acceperat, ad Senatum, Populúmque Monasterienſem proloquitur. Cúmque deprædicaret Principis ceu Patris in Cives animum, tot argumentis probatum, perspectúmque; istud *Josephi* Ægyptij, Geneseos quinquagesimo, *Vos cogitastis de me malum, sed DEVS vertit illud in bonum*, ceu thema orationi suæ accommodat, & qua valebat dicendi facultate, clementiam Principis mirificè extollit, qui manſuetudinem Josephi æmulatus, non fratribus tantùm noxam remitteret, sed beneficiis insuper cumularet. Adhæc subjunxit, cum mense nuper *Batzij Oratio.*

1661. *Senatûs, P. Q. M. Juramẽtum.*

Aprili fidem Principi Senatus, Populúsq scripto addidixerit, quando luberet, ju mento firmandam; visum hoc tem *Christophoro Bernardo* opportunum, hanc ipsam hodie promissionem publ fidelitatis, reverentiæ & obedientiæ sa mento constabilirent. Exinde præle jurisjurandi formulam, Senatus, Popul erectis in altum digitis, & voce aliqua elatiore, conceptis verbis repetivit.

81. *Captivi Cives.*

Quinque ab hinc diebus, è civi numero seni, qui tumultuum, turbarum vel authores, vel incentores habiti, mil manu in custodiam rapti erant. Et qu quam capitis quidem pœnâ liberos, tamen extra ordinem multandos ex pact ne nuperâ haud ignorarent, constans q rosque metus consternârat, ne sub hu Principis ingressum, conspectui omniu in propatulo expositi, infami æternæ notâ aspergerentur. Senatores de Conc vibus anxiè solliciti exoraverant pridiè Ca thedrale Collegium, ut pro reis esset apu Principem interceſſor.

Intercedente Capitulo.

Dicto igitur Sacramento, Alberti *Boickhorstius* Canonicorum Cathedralium Orator, ad pegmatis pedem venerabundus accedit, ac Collegii nomine benignitatem Præsulis implorat, ut cujus nutui civem ac Civitatem divina bonitas subjecisset, clementiam paucorum adhuc reservatione ob

ſcuratam, ſeu radios Sol, in omnes explicaret, reúmque civem gratiosâ erratorum condonatione in gratiam reciperet, aut ſaltem uxoribus, liberíſque reſtitutum cuſtodiâ liberaret. Id exigere communem hodie lætitiam, & ipſo favente cælo ſolennis hujus diei ſerenitatem.

E cuſtodiâ dimittuntur.

Quem cum perbenignè Princeps audiiſſet, oratione & interceſſione commotus, per *Batzium* reſpondet, eatenùs liberationem decerni, ut ſufficiente vadimonio, ſui in Urbe moram ſontes adſtruant, donec cum Fiſco de multâ, quam forſan exacturus veniret, anteà conventum ſit. Dein *Plurenio*, ut detentos actutum è cuſtodia dimittat. Viſa ad hanc Principis indulgentiam circumſtantium pectora liquefieri, & multorum oculi erumpentes præ gaudio lacrumas ſtillare.

Acclamatio Juventutis.

Adoleſcentes è nobili Gymnaſij Societatis JESU juventute mox quatuor ſe pandunt, qui carminibus ab ipſo, credi-derim, Apolline dictatis, Chriſtophorum Bernardum, *Virtute Principem, Clementiâ Victorem* ſalutant, portáſq;, muroſq; promunt, & Urbis tecta ad ingreſſum invitare, imò ipſam ſuis, ſi natura pateretur, Urbem ſedibus exituram, oblaturámq; lauros, & myrteas, muraléſque Ovanti coronas.

Decantatis his verſibus in ordinem

1661. 82. *Ordo supplicationis.*

disponitur supplicatio. Jam enim *Catecheses*, in suam quásque paræciam, reducebant è *Societate JESV Religiosi*. Monachos anteibat eximij *Prædicatoris Dominici* familia. Hanc sequebatur humilis *Capucinorum* ordo. Cui insistebant magni *Francisci* sequaces, qui à *Stricture Observantia* nomen mutuantur. Dein Minores ejusdem Patriarchæ, quos *Conventuales* appellant, Religiosorum hac in Urbe seniores. Quorum vestigia legebat sacer *Ecclesiasticorum cætus*, quotquot præsentes erant Sacellani, Vicarij, Curiones. Post hos usitato more gradiebantur *Canonicorum* in Urbe Collegia. Primò *Sanctissimæ Trinitatis ad Fontem salientem* pluvialibus albi coloris amicti; & his à Dominicanis præferebatur argentea Divi *Josephi* Nutritij Salvatoris statua. Proximè iis, numerosiores quidem reliquis, sed fundatione juniores, *Divi Martini Collegæ* pluvialibus damascenis candidi coloris ornati; ante quos deportabant *Capucini* ejusdem Præsulis ac Patroni cum sacris lipsanis ex argento simulacrum. Tum *Ludgerianos* polymitis pluvialibus vestitos decorabat pretiosior Divi *Ludgeri* tumba ab *Observantibus* gestata. Hanc cum *Mauritianis*, quos holoserica pluvialia rubri coloris decorabant, iterum excepit argentea, humeris *Conventualium* imposita

1661.

impoſita permagni valoris tumba, vehiculum Sacri corporis & Divi *Maximi* Martyris lipſanorum. Quam ſectabantur Canonici *Veteris ædis* cum ſtatua *S. Swiberti*, pluvialibus argento intertexto nitentes. *Cathedralitii* dein *Proceres*, pluvialibus partim acu non indoctâ pictis, partim auro, argentóque gravibus decori præcedebant Divum *Paulum* ex puro, ſolidóque argento emicantem. Horum omnium veſtigiis pedem ſubintulit *Chriſtophorus Bernardus* Pontificali ornamento conſpicuus. Quem ſtipabant quatuor Canonici aſſiſtentes, átque ego, ceu *Vicarius Generalis* & qui tum ſacro Tribunali præerat, *Petrus Hulsmannus*, cum reliquis aulæ Sacellânis. Sacrum agmen claudebat Guilielmus Baro *Furſtenbergius* veluti Sub-Cuſtos. Tum *Nobiles* utriúſq; ſexus; *Conſiliarii* item, & familiares Principis: ac ſacri, civiliſque Tribunalis Adminiſtri: Denique Senatus, Populúſque Monaſterienſis ſequebantur.

83. *Pompa ingreſſus in Vrbem.*

Tali ſeptus comitatu, refertis infinitâ hominum multitudine intra, extráque Urbem viis, tectiſque, Princeps inceſſit; & læto ſtatim fragore, ſubeuntis mœnia, viginti quatuor machinæ campeſtres, è novi Caſtri propugnaculis, adventum denunciant, majoreſque quinquaginta, è turribus, vallis, mœnibus horribili bombo in

1661. subjectos latè campos detonant, auſpica teſtes triumphi. Ad portam Deiparæ (hanc enim feſtivo ingreſſui ſelegerat) juventus Studioſa fauſtis iterum acclamationibus Ovans gratulatur. In ipſâ Civitate fores, frontes teſque ædificiorum, aulæis, imaginibus frondibúſque exornatæ: plateæ viren floræ muneribus conſperſæ viſebantur. Diverſis ædibus audita ſuavis concinentium Muſicorum & juvenum fauſta compreca tium harmonia. Erectæ non uno in loc arcuum moles *Christophoro Bernardo Antistiti solemniter ovanti* & plura ejuſcemodi publicæ gratulationis argumenta.

In ædem Cathedralem. Dum Principem ædem ſubintrant, poſt iteratum Studioſæ juventutis applauſum, dato laxationibus tormentorum è turri Tranſaquenſi ſigno, confeſtim è propugnaculis, vallis, mœnibus horrendùm denuò fulminatum eſt. Hæc inter ſingulí præſentes, tam de ſeculari utriúſq; ſexus Nobilitate, quam viri omnes ſacris initiati, recentis typi monetâ, ex auro, argentóque, liberali manu donantur. Nummûm aureorum valor, ducatos ſex, item duodecim, adæquabat; qui ex argento cuſi, aut duos, aut unum dalerum imperialem nec minoris valebant. Impreſſa nummo, ex uno latere, Principis inſignia; quibus in margine appictum illud ex ode

Præſentes novâ monetâ donantur.

Davi-

Davidis centesimâ quadragesimâ tertiâ, *Protector meus & in ipso speravi, qui subdit populum meum sub me.* Latus alterum effigiem repræsentabat Divi *Pauli* Monasterienſium Patroni, expressam isthic Civitatem obumbrantis, cum hac inscriptione: *Monasterium Westphaliæ ad obedientiam reductum* (& in ambitu) *à Celsissimo & Reverendissimo D. D. Christophoro Bernardo Episcopo Monasterienſi, Burggravio Strombergenſi, S. R. I. Principe, Domino in Borculo.* 1661.

Porrò in æde, sacris iterùm solenni ritu operatum; ac dein Ambrosianum gratiarum carmen, alternantibus versùm Tubicinibus, totâ basilicâ insonuit. Quo finito inter repetitas machinarum omnium ac militarium scloporum displosiones, lætos tubarum, tympanorúmque clangores, & compulsatum Urbe totâ æs campanum, in palatium Episcopale secessum est. Isthic Summates ac Nobiles viros supra centum regali Princeps prandio excepit, in serum úsque vesperum protracto. *Epulæ.*

Sed & musæ gratantium turbis immistæ eo die concertabant. Albertus *Watringa* in ordine Seraphico *Observans*, & Ernestus *Woltermannus* è familia *Conventualium* ab oratione tum ligatâ, tum solutâ commendabantur. Verùm illatis ad mensas bellariis, offerebat *Societas JESU*, in 84. *Musæ congratulantes.*

1661. pacis ac lætitiæ symbolum, syncharmata duodecim, binarum Olivarum sub Iride è sacris Divorum lipsanis pullulantium, titulo & icone exornata. Cujus elegantis scripti nucleum dedicationi incluserunt; quam omittere hoc loco religioni visum fuit.

Reverendissime & Celsissime Princeps, Domine clementißime.

Olivam Tuæ sistimus Celsitudini, mitem, pinguem ac fœcundißimam arborem. Arborem symbolum pacis, ubertatis indicium, victoriæ signum & insigne Victorum coronamentum. Geminam autem Olivam sub Iride de Sanctorum Lipsanis pullulantem facimus, ut firmam ac fœcundam hanc fore pacem ominemur. Nam & gemelli partus fœcunditatis sunt argumentum; & Iris præterquam quod pacis & concordiæ sit divinitus datum mnemosynon, etiam aspectu suo Aspalathum, aliásq; plantas, & latiùs provenire, & copiosiùs fructificare facit. Ossa item Sanctorum sunt & erunt.

Æternaturæ cælestia pignora pacis. Pignora nunquam interitura, juxta Psalten: Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur: *nunquam virorem suum positura, juxta Ecclesiasticum:* quorum non est corruptum cor, ossa eorum pullulent de loco suo.

Quid

1661.

Quid verò pullulent, nisi Olivam pacis, quorum corpora in pace sepulta sunt, *& tanquam* Olivæ assistunt Dominatori universæ terræ? *Ad eandem Olivam pacis, bonâ Tuâ pace, appendimus arma gentilitia clara & antiqua Tuæ Nobilitatis, & Episcopalia Celsissimæ Tuæ Dignitatis, quibus subjecta vides Urbis Tuæ Monasterienſis insignia, unà cum copiæ cornu, ex pedo, mitra & gladio, per circumludentes, sibiq; invicem innexos oleæ ramos pendentia; quo devotorum Tibi pectorum votum repræsentamus, hoc unum precantium, ut sicut olim apud Megarenses è Coræbi sepulchro Oleaster quispiam, suspensa ad se diu arma, tandem suum intra corticem admisit, clausitq;; ita & intra mitem hanc almæ pacis Olivam subditorum Tibi populorum animi cum Tua mente concorditer concrescant, seq; & fortunam suam, ab utráq; Principis sui potestate, quà spirituali, quà temporali pendere agnoscant.*

Nemo proindè extra hanc oleam saltet, nemo sanctum ejus corticem incidat, aut rumpat: ne uti ex inciso Megarensi Oleastro, galeæ indè átq; ocreæ erumpant. Emergat inde potius publico omnium bono plenum copiæ cornu; experiantúrq; re ipsâ omnes, & olivam pacis, ex adductis sanctorum ossium pignoribus

pullu-

1661. *pullulâſſe, & talia pignora Urbi intu-liſſe, nihil fuiſſe aliud, quam Pontifici boni Paſtoris voce omnibus acclamaſſe.*

PAX VOBIS.

Cum ſuos Orbi radios Titan ſubduxiſſet, cæpit Vulcanus ſucceſſor è vaſis piceis, & verſatiles rotæ, lucernis graves, ex editorum turrium faſtigiis in gyro corulcare.

85. *Annua poſtridie ſupplicatio.*

Poſterus dies annuæ majori Theophoriæ ſacer erat. Hanc de veteri more adornatam, præſentiâ ſuâ, & nobilium comitatu, Princeps illuſtravit. Ordo ferè idem, qui heſternus; in eo tantùm mutatus, quod abſque faſtuoſo pluvialium amictu devotior Clerus incederet, & qui pridie numeroſus extra muros excubabat miles, condenſatis hodie ordinibus, ſolam occuparet Civitatem. Cathedralis areæ latus dextrum *Plurenius*, ſiniſtrum *Walpotius* cum Legionibus ſuis ita inſidebant, ut inter utrumque ſupplicantium cætui tranſitus liber pateret. Exeuntes, redeuntéſq; duodecim baſiliſcorum (quod tunc genus tormenti iſthic compoſitum erat) & concordi bombardarum exploſione venerabantur. Finitâ ſupplicatione & peractis in Baſilicâ divinis, reditum eſt ad majus Aulæ triclinium, ubi convivales epulæ, priore magnificentiâ inſtauratæ, convivas expectabant. Appetente veſpero viſa iterùm ex vaſis, & turribus, ignium hilaria.

Tertia

Tertio die sub duodecimam pomeridianam *Societatis JESU* Collegium adivêre, Danielem ilthic & Evilmerodach Regem, in theatro spectaturi. *Benthemicus*, *Tecklenburgicus* ac *Steinfurtensis* Comites in areâ Gymnasij subsistentes, advenienti *Christophoro Bernardo* gratulabantur. Ad finem Comediæ, quam præsenti rerum statui *Societas*, fœcunda ingeniorum nutrix, dexterè accommodârat, Princeps cum suo comitatu, rhedis facilè quadraginta, in novum Castrum vectus est. Ingens ibi tentorium sexcentos pedes longum erexerant, lineo panno tectum, & amœnis ex utróque latere ramalibus inumbratum. Apparatus cœnæ & bellariorum pro convivarum magnificentiâ erat. Trecentos circiter pedes Præsul cum Optimatibus, centum phonascorum grex; reliquum nobilium matronarum cœtus occupabat. Tormenta in arcis medio collocata, sicut adventantes fulminantia consalutârant, ita quoties *Leopoldi* Imperatoris, *Ludovici* Galliarum Monarchæ, Confœderatorum Principum, vicinorúmq; Magnatum saluti, crateribus litatum fuit, terna laxabantur; adeò ut priusquam ad unam Principis mensam in orbem biberetur, tormentorum octuaginta resonarent.

1661. 86. *Tertio die Comœdia.* *Cœna in novo Castro.* *Fulmina tormentorum.*

In seram ita noctem cœnatum est; nec minùs

minùs jucunda ignium ſpectacula, quam lautitiæ epularum, moræ faſtidio conſervantes exemerunt. Cernebant inter alia initialibus his litteris C.B.E.M.B.S.D.B *Chriſtophori Bernardi Epiſcopi Monaſterienſis, Burggravii Strombergenſis, Dynaſtæ Borculoenſis* titulum artificioſis ignibus rutilare. Jucundo hinc ſchemate ſulphuratas acontias, flexuoſis ſpiris per cælum ludentes, illinc nitratas Xiphias in mucrones, lanceáſque faſtigiatas, ocyſſimo volatu videre erat. Bolides etiam ignitæ inſtar crepitantium globorum, errantiúmque cometarum, aerem, terram, aquas vario diſcrimine pererrabant: Non ſecus ac ſi ex compoſito tam elementa cætera, quam homines ad gaudia, gratiáſque ignis provocâſſet. Mars decedentes è Caſtro bombardarum applauſu proſequebatur. Hunc undíque geminabant baſiliſci altius detonantes. Turres, ædes, plateæ facibus, tædiſque collucentes, redeuntibus domum vias monſtrabant. Ignes intra, extráque Urbem in locis eminentioribus accenſos, Sol etiam oriens flammantes invenit, atq; ita præſentem terminavit *Chriſtophori Bernardi* Ovantis triumphum.

Ignes artificioſi.

Et publici.

87. Qui poſt plauſus & jubila componendis Monaſterij rebus intendebat. Ne quid enim tentaretur in Succeſſores ſuos, quod in Deceſſores ex annalibus, & in ſe molitos fuiſſe

C. B. novũ creat Magiſtratum.

1661.

fuisse Monasterienses, experimento didicerat, haud solâ contentus arce, mœnibus licet impositâ, innovando cumprimis Magistratu, securitati consulendum duxit. Et quanquam hactenùs veterem continuârat eâ potissimùm de causâ, ut quæ ab inducto in Urbem præsidio, sub initium inusitata quotidiè emergebant onera, ipsi sentirent authores: paulatim tamen ordinationem & munia Civitatis ad se traxit, remotisque qui de fide ac quiete dubij erant, novos tandem Magistratus Urbi dedit. Bernardo *Brummero* Legum perito, qui & Principi à consiliis erat, viro integro, Judicatum Urbis commendavit, voluitq;, ut post hac Judex ceu omnium inspector actionum, Senatui præsideret. *Romerum* & *Bissingium* Jurisperitos, illum Consulem, hunc verò ab eloquentiâ, variisq; Legationibus & inprimis fide probatum, Urbis Oratorem designavit, ut qui frequenter à Syndicis toxicum hauserant Cives, objectâ virorum integritate, velut antidoto, adversus istiusmodi fraudes inposterùm præservarentur. Joannem *Timmerscheidium* Virum complures annos Consularem & ipsum à Religione, candore ac prudentiâ commendatum, tametsi manere Consulem noluit, haud tamen voluit immunem esse; quem in aulico statim Tribunali elegit Assessorem. Bernardum

1661. nardum *Hollandium*, qui ab epistol
Urbi fuerat, ceu Secretarium suum ad
optavit. In-novatis ita non solùm ma-
niis, sed & legibus securitatem, quietem
publicam firmare laborabat.

Et Tribuum potestatem tollit.

Domos publicas uti Tribunitiam
Institoriam, Sutoriam, Fabrilem, ce
malorum sæpè consiliorum officinas, i
armamentaria & granaria, in Martis
Bellonæ, in pyrobolorum ac pyreum
tum laboratoria convertit. Tacitæ hu
Tribunorum Plebis, Tribuúmque a
thoritatis abdicationi, nonnemo inge-
niosè allusit, qui *Plinianum* illud
ne *sVtor* VL*tra* Crep1Da M, scribi
adscripsit ædium Tribunitiarum, conatu
eâ parœmiâ & extollere prudentiam ab
dicantis, & annum exprimere potestatis
abdicatæ. Atque ita *Christophorus Ber-
nardus*, suarum omnium superior turba-
rum, reducendo, componendóque Mo-
nasterio, annum seculi hujus sexagesimum
primum, & alterum Principatûs sui
lustrum gloriosè coronavit.

FINIS LIBRI QUARTI.

JOANNIS ALPENI
PRAEPOSITI SANTENSIS
DE
VITA ET REBUS GESTIS
CHRISTOPHORI BERNARDI
EPISCOPI ET PRINCIPIS MONASTERIENSIS
LIBER QVINTVS.

ARGUMENTUM.

1. CHRISTOPHORUS BERNARDUS *fundat festos dies, Conversionis S. Pauli. S. Josephi. S. Ludgeri.*
2. *Festum SS. Reliquiarum. Et anniversariam sui memoriam.*
3. *Postulatur Abbas Corbeiensis. Confirmatur à Pontifice. Corbeiensem exemptionem vindicat.*
4. *A Cæsare Regalia obtinet. Et confirmationem jurium Corbeiensium.*
5. *Ad Tassij querelam. De violato jure Postarum. Cæsaris mandatum exequitur.*
6. *De eo conqueruntur Hamburgenses. Saxonia inferior. Amstelodamum. Et Ordines Belgij fœderati.*

7. *Princeps respondet.*
8. *Primarium locat lapidem Sacelli arcis Monasterii*
9. *Excipitur Corbeiæ.*
10. *Cum vicinis isthic Principibus agit. Ingemiscens r*
nis. Multa restaurat.
11. *Huxariam visitat. Ecclesiam Catholicis attribuit. I*
ducit Franciscanos.
12. *Electorem Colonienſem. Excipit Monasterij.*
Coesveldiæ.
13. *Fundat Camerariatum hæreditarium. Primum p*
ſeſſorem nominat Franciſcum Guilielmum Barcu
de Galen.
14. *Prorogatio fœderis Rhenani.*
15. C. *Bernardus recuperandæ Borculoæ intentus. Cu*
rante Rege Chriſtianiſſimo. Brabeckij *Legati or*
Cauſa ad Commiſſarios remiſſa.
16. *C. Bernardus tribus Sacellis primarium lapidem p*
nit. Epigraphe.
17. *Contra Turcam. Suppetias mittit. Preces imperat.*
18. *Origo litis Friſio-Liechtenſteinianæ. Et Stirpis Friſio-*
Ritbergicæ. *Ex venditione maternæ hæreditatis. La*
ſus Liechtenſteinius. *Contra Friſium, lite victum*
executionem urget.
19. C. *Bernardus compoſitionem ſuadet. Et aſſequitur.*
20. *Contra Friſones moroſos. Juſſa Cæſaris executurus.*
Caſtellum Dilerianum *occupat, & munit. Id agriſ*
runt Batavi.
21. *Comitia Imperij. Quâ de cauſâ.*
22. *C. Bern. Ratisbonam venit. Cuditur Rituale Princi-*
pum. Acta Comitij.
23. *Batavi immiſcent ſe cauſæ Liechtenſteinianæ.*

24. C.

24. C. Bern. repetit Borculoam. Id urget Hagæ Brabeckius.
25. Coadiuvat Franciæ Legatus. Remora Gelrorum.
26. Sintzendorffius Cæsaris Legatus ad Batavos. Tradit litteras potestatis suæ.
27. Ejusdem propositio.
28. Cum deputatis negotiatio. Status Belli Hungarici. Motiva suppetiarum.
29. Cur negent auxilia Batavi. Eorundem resolutio. Et responsoriæ ad Cæsarem.
30. Mallingcrotius moritur Ottensteinæ. Sepelitur Vredenæ.
31. C. Bern. Director armorum Imperij.
32. Super causâ Liechtensteinianâ transigit Ratisbonæ. In VVestphaliam revertitur.
33. Batavi Castello Dileriano vim parant. Quam Friquetius sistere conatur. Sed frustrà.
34. Batavi expugnationem decernunt. Eorum ad C. Bern. epistola.
35. Responsio Principis.
36. Brabeckius Hagæ cum Frisiis de novo contrahit. C. Bernardus mox approbat.
37. Quid in eo mutent Batavi. Dumque desuper Principibus scribunt. Castellum oppugnatur.
38. Indignatio & protestatio Ministri Cæsarei.
39. Continuat obsidionem Nassovius. Sub certâ instructione.
40. Monasteriensis desperat liberationem. De variis dolet. Præmittit Legatos in Frisiam.
41. Nassovius Castellum capit. Conditiones deditionis.
42. Frisij pactam pecuniam non solvunt.

43. Exercitus Batavus in Provincias reducitur. M 62.
Principis Nassovij.
44. Batavorum ad Cæsarem epistola. In Christ. Bern 63.
dum invectiva.
45. Multis improbatur. Friquetius in eam invect 64.
46. Christ. Bern. dissimulat. Post ordinatum statum l
cesis. In Hungariam tendit. 65.
47. Batavorum ad ipsum litteræ. 66.
48. Suppetiæ Confœderatorum in Hungariâ. Exped
Serinij & Hohenloi. Obsidio Canisiæ solvitur. 67.
49. Castra Christianorum & Turcarum. Pugna 68.
S. Gotthardum. 69.
50. Directorum Principum sollicitudo. Progressus Cr
stianorum. 70.
51. Desiderium prælij pax explet. Pax Romano-Tu
cica. 71.
52. Multis ingrata. Cur à Cæsare acceptata. 72.
53. Controversia Erphordiensis. 73.
54. Moguntinus & Monasterienses, quanti amici. 74.
55. Erphordia subjugatur. Joannis Philippi Electoris 75.
Mogvntini laus.
56. C. Bernardus à Cæsare donatus. Viennâ discedit. Ex- 76.
cipitur Erphordiæ. In Patriam redit.
57. Cometa visus. 77.
58. C. Bern. intendit securitati patriæ.
59. Laborat de redintegratione Circuli. Ejusque dire 78.
ctorio. Felici successu.
60. Circuli VVestphalici mutilatio. Principibus calcar
vindicationis. Contra Batavos. 79.
61. Fluctuat C. Bernardus. Rationes quæ dissuadent. Quæ
persuadent. 80.

62. Com-

62. Consulto Capitulo Cathedrali decernitur, &
63. Operâ Vredeni pangitur. Fœdus Anglico-Monasterienſe.
64. Chriſtoph. Bern. conſcribit exercitum. Varius de eo ſermo.
65. Ad querelam Batavorum. Prohibentur in Belgio Hiſpanico delectus.
66. Batavorum ad Cæſarem epiſtola.
67. Implorant hi Regem Galliarum.
68. C. Bern. varios ablegat. Fruſtrà ſollicitat Waldeckium. Et Bournovil'ium.
69. Creat Archiſtrategum. Principem Haſſo-Homburgenſem.
70. Rex Galliæ adverſatur. Succurrit Batavis. Multa ſuſpecta habet. Pacem ſuadet.
71. Quâ deſperatâ C. Bernardus bellum proſequitur.
72. Cauſas evulgat.
73. Easdem ſignificat Cæſari.
74. Luſtrat exercitum. Legiones. Equeſtres. Pedeſtres.
75. Caſtra movet. Tubantiam invadit. Varias Civitates & arces occupat.
76. Obſidionem plurium locorum. Diſſuadet Senatus militaris.
77. Exercitus ducitur in Ommen. Batavorum reſponſio ad cauſas belli.
78. C. Bernardus partem exercitûs in Embslandiam ducit. Partem immittit in Drenthiam & agrum Gröningenſem.
79. Iſthic ſeptis. Per paludes Bourtangæ. Ingentem pontem ſternit.
80. Conſternatio Batavorum. Eorum fœdus cum Luneburgicis.

81. *Suppetiæ ex Galliâ. Tardiùs progrediuntur, & au-liantur.*

82. *Gallorum tergiversatio. Molesti sunt Provinciis.*

83. *Obsidetur Lochemum. Et occupatur.*

84. *Miles Monasteriensis, in hostico septus. Miri p[illegible] beneficio. Feliciter evadit. In hostem movet.*

85. *Batavi deliberant. De obsidendâ* Bucholdiâ, Pr[illegible]lio *dissuadente. In hybernâ secedunt.*

86. *Neutralitas* Cliviæ. *Jesuitæ pelluntur Embricâ.*

87. *Batavi neglectis Lunæburgicis. Prensant fœdus [illegible] Brandenburgico.*

88. *Belligerantium utrinque industria pro suppetiis.*

89. *Suecia à Batavis aversa.*

90. *Monasteriensium ausus in Brabantiâ. Et Tractu M[illegible]sano.*

91. *Feliciores in Transisalaniâ.* Cæso *multis locis ho[illegible]* Grietzilæ *insidiantur.*

92. *Batavorum criminationes. Molestiæ à suppe[illegible] Gallicis.*

93. *Tota ferè Europa de pace sollicita. Urgente cum pr[illegible]mis Brandenburgico. Et Rege Galliarum.*

94. C. *Bernardus eo fine suos ablegat.* Clivo-polim. *Q[illegible] causas docent. Et justitiam præsentis belli.*

95. *Partium utrinque obstinatio. Multa stimulant C. Bernardum. Tandem variorum legatione. Pax persuadetur.*

96. *Legatus Anglicus Monasterij, cum pompâ exceptus. Prosecutionem belli urget. Aureis promissis.*

97. *Fluctuante* C. *Bernardo. Pax conclusa. Quantum vis ingrata.*

98. *Pax Batavo-Monasteriensis.*

99. Con-

99. *Controversiæ Brunsuico-Monasterienses. Ad amicam concordiam rejiciuntur.*
100. *Pacis ratificatio. Dimissio militum.*
101. *Conventio* Northornana.
102. *Discursus de hoc bello & pace.*
103. *Pestis Monasterij. Sollicitudo Principis. Qui Corbejam abit. Et imperitè creditus est Anti-Christus.*

FErdinandus *Bavarus*, Monasterienſis Antiſtes, quando ſub annum ætatis hujus trigeſimum quintum ipsâ *Conversionis Divi Pauli* feſtâ luce, *Rheinam* oppidum ex hoſtium manibus recuperârat, hunc deinceps Converſionis diem, ceu Dominicum, in foro & choro, per totam diœceſin, feſtum agi voluit. Solennitas ea, ab ipſius etiam exordio naſcentis Eccleſiæ, Patrum concionibus illuſtrata, paulatim abierat in deſuetudinem. *Chriſtophorus Bernardus* beneficiorum memor, quæ tempeſtate præteritâ, in ſe à DEO largè collata, Divorum inprimis Tutelarium patrocinio unà adſcribebat, edictum Prædeceſſoris innovat, confirmatque; nec contentus ſolennitatem hanc, ex mente *Ferdinandi*, totâ patriâ celebrari duntaxat feſtivam; ſtatuit, ut ad jugem gratiarum memoriam, honorémque Patroni, in Civitate Monaſterienſi, & nunc, & ſubſecuturâ deinceps annorum ſerie, quantâ fieri poteſt, ſolenniſſimâ devotione peragatur: Ut in Divi hujus Baſilicâ univerſus Eccleſiaſtico-

1662. I. *Chriſt. Bernardus funcitat feſtos dies.*

Converſionis D. Pauli.

1662. rum cœtus, sub octavam matutinam congregetur; ut deportandis in supplicatione sacri Reliquiis piè interfit; ut solenni missæ sacrificio devotus adsistat. Et quò facilior, promptiórque sit omnium concursus, annuum assignat liberale stipendium, quod inter præsentes ad manum distribuatur.

S. Josephi. Parem Sanctis *Josepho* & *Ludgero* decernit cultum. Opportunè hoc anno in Dominicam quadragenarij jejunij quartam, *Lætare* dicitur, incidebat celebritas *Josephina*. Divum hunc quod in extremo agone piorum opitulatorem testaretur communis fidelium confessus; & ipse agnosceret ejusdem meritis plurimum deberi reductæ nupor, firmatæque pacis fructum; post Sponsam ejus Deiparam ac reliquos, uti suum delegerat, ita & Monasterienſi Ecclesiæ destinaverat Patronum. Ne verò populus festorum dierum numero gravaretur, vel suo sic opifices aut operararii privarentur quæstu, ex Diœcesano multorum seculorum usu, authoritate Pontificali edicit, ut hac ipsâ inposterùm Dominicâ, Festivitas *S. Josephi* eodem, quo Paulinam ante ordinaverat, ritu ac liberalitate, eâdemque in Basilicâ celebraretur.

De S. Ludgeri. Ut autem obsoletam propemodùm Divi *Ludgeri* memoriam, venerationémque animis subditorum rursús instillaret, annuam *Bilderbecæ* supplicationem non instituerat modò, sed & suo quotannis exemplo hactenùs, ipse præ-

præsens, reddiderat celebriorem. Comparaverat ejus honori tumbam ex argento, millenorum aliquot pretio æstimatam. Ipse *Verdenam* profectus haud existimavit lædi S. Præsulis voluntatem (qui tametsi in Diœcesi suâ Monasterienſi & oppido *Bilderbecâ*, Anno salutis DCCCIX. die XXVI. Martij, ex hac vitâ emigrâverat, illo tamen loco & quiescere voluit & resurgere) si majoris venerationis causâ ex sacro corpore partem secum asportaret, quam thecæ includeret adeò pretiosæ. Alterâ à resurgente Christo Dominicâ, Boni Pastoris officium Ecclesiæ proponit sacer Evangelij textus. Non potuit opportunior inveniri dies, meritis, vitæque tanti Pontificis & Apostoli deprædicandæ. In hanc igitur ejus transtulit festivitatem, quæ octavo Kalendas Maji hucúsque celebrari consueverat; & sicut Paulinam ac Josephinam, ita pari munificentia ac methodo Ludgerianam fundavit, dotavitque. 1662.

Quibus autem de causis, & quo modo anniversariam triumphalis in Urbem nuper ingressûs, & sui post obitum memoriam eodem hoc tempore instituerit, ex ipso, quod sequitur, fundationis diplomate penitiùs cognoscet Lector.

CHRISTOPHORUS BERNARDUS DEI & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Monasterienſis, &c. Venerabili Capitulo, & universo 2. Festum SS. Reli-

1662. *quiarum & anniversariam sui memoriam.*

verso hujus Diœcesis Monasterienſis Clero, aliisq; hoc noſtrum diploma viſuris, lecturis ſeu legi audituris ſalutem in Domino. Bonarum intentionum & operum authorem eſſe DEUM, ſicut humana fragilitas, propriam conſideratu inſufficientiam, debet agnoſcere; ſic dignum eſt, humili ſemper, & gratâ animi teſtificatione deprædicare, eundem eſſe DEUM, qui, quorum incitat mentes, eorum etiam adjuvat ſtudia, & læto ſucceſſu coronat actiones. Non quod divina Majeſtas bonorum noſtrorum, humanæque laudis videatur indiga, ſed ut gratiarum actiones & beneficia conſerventur accepta, & alia, atq; alia acceptis adjiciantur. Sanè cum ad memoriam, non ſuperiorum ſæculorum motus, nec furores Anabaptiſticos, ſed annorum proximè lapſorum nubila & periculoſa conſilia, quæ ſub ductu maléferiatorum & turbulentorum capitum, ex Civibus Civitatis noſtræ Monaſterienſis ſtatum totius hujus patriæ non tantùm politicum, ſed & ipſam religionem Catholicam, apicem omnis, quæ à DEO expectari poteſt, dignitatis, in ſummum diſcrimen adducere, atq; indignâ capitis & membrorum ſeparatione, aut procuratâ eorundem colliſione mutuâ, formam Regiminis à piiſſimo Imperatore S. Carolo, divino conſilio impoſitam evertere, & obſtetricantibus ſuſurronum popismis, novum Dominum, vero & vetere diſcuſſo, parturiebant. Tandem verò bono DEO nubem ſerenante, ſedatis motibus, Civitate etiam Monaſterienſi, ad obe-

obedientiam & submissionem debitam armis reductâ, eum finem sortita sunt, ut vulgare illud, malum consilium consultori pessimum, etiam in hoc passu deinceps quadrare possit, nullâ ratione committendum videbatur, ut grati animi testimonium, & accepti à DEO, Patronorum Cœlestium potenti interventu, beneficii memoria, à nobis desideraretur. Huc spectavit grata mentis Nostræ intentio, quando anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo, ipso SS. Reliquiarum festo, ingressuri Civitatem Monasterienſem, magnificaturi DEUM in donis suis, & Patronis nostris, cum processionem solennem toti Patriæ indiximus, vicinis etiam à fide verâ, & Ecclesia Romano-Catholicâ alienis spectandum dedimus; ad quam tum conspirante studio, tum devoto animo obedientis Cleri, Statuum & Subditorum Nostrorum plenitudo confluxit, ut etsi ex unâ quasi parte faciem lætantis S. Ecclesiæ Monasteriensis videre non licuisset, ipse tamen confluxus & congregatæ multitudinis densitas, uno ore testaretur, illuxisse diem totius Patriæ gaudio, maximè autem gratiis Divinæ Bonitati agendis, & tunc & deinceps, recurrente SS. Reliquiarum annuâ solennitate, futuris temporibus ad perpetuam rei memoriam destinandum & consecrandum. Volentes itaque communi desiderio satisfacere & memoriæ posteritatis consulere, de consilio Venerabilis Capituli Nostri Cathedralis, diem Dominicum antè festum S. Margaritæ, Reliquiis sanctorum jam ab immemoriali tempore in Diœcesi Nostrâ consecratum, anniversariæ beneficiorum à DEO, uti præfatum est, acceptorum recordationi, & solenni ac votivæ gratiarum actioni destinamus, & subsecuturis temporibus, eo ritu & solennitate per Civitatem & Diœcesin hanc Nostram celebrandam decernimus, prout Anno superiore sub dato

XXIV.

XXIV. mensis Junij, diplomate impresso & publicato latiùs continetur; dictum diploma cum hoc innovantes & confirmantes; eo excepto, quod Curatos & Cleri extranei Canonicos ac Vicarios ad assistendum processioni in Civitate nostrâ Monasteriensi instituendæ non ducamus cum præjudicio cultûs divini in posterùm obligandos. Quemadmodum autem pietas Christiana laudat & admiratur in ea câ gentilitate, quod in gaudiis & festivis conventionibus producto ad mensam cranio supremi illius fati, cui universitas humanæ vitæ obnoxia est, memoriam repræsentârit. Sic & Nos in novitèr hac fundatâ solennitate ac festivitate fati hujus, â quo ad æternitatem tendimus, non immemores esse decuit. Quare volumus & ordinamus, ut prima hujus solennitatis, durante Vitâ Nostrâ, pro animabus Prædecessorum Nostrorum, post Nostrum verò ex hac vitâ DEO evocante discessum, pro animæ nostræ refrigerio, ad summum altare in Ecclesia Cathedrali, perpetuis in futurum temporibus, missa junctis ex ritu Christiano suffragiis decantetur.

Ut autem apud Ecclesiam Cathedralem, & Civitatem Monasteriensem tam in dictâ processione, quam modo memoratâ memoriâ, devotiùs ac decentiùs omnia peraganzur, frequentiorq; sit Cleri utriusq; Nobilium Ordinis Equestris, Consulum & Senatûs intranei præsentia & concursus, distributionem certam, & aptam inter præsentes dividendam, ex paratâ pecuniâ in singulos annos ministrandam fundavimus, donavimus & assignavimus, prout fundamus, donamus & assignamus ex reditibus sive proventibus Civitatis Nostræ Monasteriensis accisiæ molendinariæ (vulgo Mullensteiver) pro meditate in pœnam & satisfactionem nobis acquisitæ. Quod si autem per Civitatem

Nostram

Nostram Monasterienſem dictarum modò accisiarum reluitio fieret, attento quod eidem jus reluendi reſeruatum ſit, eo caſu volumus & ordinamus, ut ſumma ex reluitione reſultans & â Nobis acquiſita Cameræ Provinciali erga legale intereſſe concredatur, atq; ex penſionibus indè annuatim percipiendis fundationi huic omnimode ſatisfiat. Ordinamus autem cum hoc, ut dictos reditus pecuniarios taliter uti dictum eſt, aſſignatos & ad ſtipendii annui diſtributionem â nobis deputatos, Executores perpetui, & Principatûs Noſtri Monaſterienſis Camerarius Hereditarius familiæ de Galen, per ſpecialem ad hoc deputatum Receptorem exigi, exactosq; â nobis typo, ad hunc actum ſpecialiter ordinato, atq; iisdem & Camerario ad hunc finem tradito, in auro & argento monetam novam cudi, & ad manus infra nominatorum, in proceſſione comparentium, per ſe, vel per alium diſtribui faciant, juxta ordinationem noſtram ſubſequentem. Fiet autem diſtributio honorariæ iſtius fundationis modo ſequenti. Dabuntur qui in memoria, pridie Proceſſionis in feſto SS. Reliquiarum celebrandæ, præſentes fuerint. Reverentiſſ. & Illuſtriſſ. pro tempore Epiſcopo & Principi Monaſterienſi Imperiales centum, Decano Eccleſiæ Monaſterienſis viginti quatuor Imperiales, Prælatis & Canonicis dictæ Eccleſiæ ſingulis duodecim Imperiales, Prælatis Collegiatarum Eccleſiarum unus Imperialis; Canonicis ſingulis dimidius Imperialis, Vicariis quarumcunque Eccleſiarum ſingulis quadrans, Cameralibus verò, Cuſtodibus, Choralibus ſingulis octava pars Imperialis. Qui verò in Proceſſione SS. Reliquiarum præſentes fuerint, iis dabuntur & quidem Reverentiſſ. & Illuſtriſſ. pro tempore Epiſcopis Principibus Monaſterienſibus, Dominis noſtris Succeſſoribus, centum Imperia-

ibus;

les; Decano Cathedralis Ecclesiæ viginti quatuor Imperiales; Prælatis & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis singulis duodecim Imperiales: Prælatis Collegiatarum Ecclesiarum unus Imperialis, & Canonicis singulis medius Imperialis: Vicariis quarumcunq; Ecclesiarum singulis quadrans; Secretario pro tempore Capituli sex Imperiales; Stipiferis, unicuique duo Imperiales; Campanario summi templi quatuor Imperiales; Camèralibus verò, Custodibus, Choralibus, Ludimagistris octava pars Imperialis; prout & Judici Nostro Civitatis Nostræ Monasteriensis & duobus ejusdem Consulibus, singulis bini Imperiales, singulis verò Senatoribus singuli.

Et quia deindè in Nostris pro communi salute assiduis Consiliis, ex Ministris Nostris sæcularibus, inprimis fidam & utilem operam, Validi, Honorabilium & Doctissimorum Virorum, & Nobis sincerè dilectorum, Bernardi de VVydenbruck, & Alberti Boickhorst, in jure graduatorum, Nostri Consiliarij secretioris ac etiam Capituli Nostri Cathedralis Syndici, experti sumus, ideoq; unicuiq; eorum in hoc actu præsenti quoad vixerint, viginti quatuor Imperiales, post mortem verò dabuntur eorum filio primo genito, sive illo non existente, illorum Nepoti, etiam ex filiabus nato, earumq; paterno nomine dicto similiter abnepoti, & illis, eorumq; masculis deficientibus, uni fratri & abnepoti, quoad illæ familiæ durabunt. Quæ omnia juxta tenorem & mentem dispositionis Nostræ super officio Camerarii Hæreditarii factæ distribui & dari jubemus. Quod si tamen quocunq; casu Executores, & Camerarius Noster Hæreditarius destinatos ut supra pro præsentiis reditus, ex accisiâ Molendinariâ, vel post eorum redemptionem, pensiones ex Camerâ Provinciali, omni datâ operâ, percipere non posset,

posset, iidem aut nostri, vel eorundem Hæredes ulteriùs quam ex dictis reditibus accisiæ Molendinariæ, aut pensionibus perceptum sit, nullatenùs erunt obligati; & ex aliis mediis seu bonis suis dictas præsentias solvere, adeoq; de aliquâ evictione non tenebuntur. Et quia vel hinc intentionem Nostram satis patére existimamus, reliquum est, ut fructum, quem speramus & optamus, communis omnium oratio apud Misericordem DEUM satagat impetrare: Ut tum in diebus nostris, tum Successorum Nostrorum ille DEUS expugnet impugnantes Nos, muniat fidem, evertat subdola insidiantium consilia, multiplicet veram devotionem, augeat pacem, cujus honori votivum & festivum gratiis agendis diem toto cordis affectu duximus adscribendum. In cujus rei fidem hasce sigillo Nostro cum manus Nostræ subscriptione munitas dedimus. Quemadmodum & Venerabile Capitulum Nostrum supra insertum tenorem non solum laudavit & approbavit, sed etiam sigillo suo roborari fecit.

Hæc dum Monasterij agebantur, moritur ad Visurgim *Arnoldus*, è nobili *VValdoisiorum* gente, Abbas & Princeps *Corbejensis*. Religiosi suo jam viduati capite, de novo Præsule sollicíti erant. Et quanquam non defuêre, qui honorificentiùs fore censebant, si quem è gremio Fratrum ipsi eligerent Abbatem; præpotuit tamen eorum sententia, qui propriæ conscii tenuitatis, nec potentiæ incallidi vicinorum, utilitatem, securitatémque Asceterij præhabebant, suadebantque nonnemi-nem ex potentioribus orthodoxis Germaniæ Principibus postulandum. Conversi igitur pru- 1662. 3. *Postulatur Abbas Corbejensis.*

1662. prudentiorum oculi in *Christophorum Bernardum*, cæteros facilè omnes in partes suas attraxêre. Afflictis ille rebus *Arnoldi*, non semel præstò fuerat, & subacto nuper tantis viribus *Monasterio*, uti potentior, formidabiliorque, ita certantibus plurimorum animis ambiebatur, Hunc igitur unanimi omnes consensu Abbatem postulârunt, ut quo Westphalia gauderet circularis sui Tractûs Directore, Corbeja posthac Principem haberet ac Protectorem. *Alexander Pontifex* re ad se delatâ, comprobatâque Postulatum, ceu perpetuum *Corbejensis* Abbatiæ Commendatorium, è repente confirmat, jubetque Joanni Guilielmo Baroni *de Sintzig* Præposito Paderbornensi, ipse ut â Confirmato excipiat fidei professionem, & quâ ex Urbe mittebatur formâ, jurisjurandi. Aderat is, eo fine evocatus, ante diem decimum tertium Kalendas Maij in arce *Sassenbergâ*. Jamque dicturus sacramentum *Christophorus Bernardus*, quod in ejus tenore *Corbejensis* Abbatia asserebatur Diœcesis esse *Paderbornensis*, præsentem Apostolicum Tabellionem, testesque interpellat, errore scribentium irrepsisse; id credere se ait, ac nolle protestatur fraudi esse liberæ istius Abbatiæ exemptioni, quæ post Pontificem & Cæsarem, neminem in Orbe agnoscat Superiorem; id tabulis inseri velle præfatus, juxta submissum exemplar prosequitur ritu consueto juramentum. Indè à Cæsa-

Confirmatur à Pontifice

Corbeiæ exemptionem vindicat.

Cæsareâ Majestate Regalibus pariter donato prima cura fuit, ut Abbatiæ jura, privilegiaque, eâdem simul authoritate confirmarentur: id quòd latiùs docet subnexum diploma. 1662. 4.

A Cæsare Regalia obtinet.

LEOPOLDUS divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ &c.

Et confirmationem Jurium Corbeiensium.

Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis. Quod cum nihil magis tùm ad Augustalem amplitudinem, quà conservandam, quà extollendam atq; illustrandam, tùm ad æternæ salutis ac cœlestium gaudiorum præmia promerenda conducere firmiter credamus, quam cum Ecclesiasticarum ac DEO dicatarum, divinisq; obsequiis jugiter deditarum personarum commodis benigni volentes intendimus, ac Cæsarei iisdem favoris subsidia liberaliter & prolixè indulgemus. Sanè Nobis Venerabilis Christophorus Bernardus *Episcopus Monasterienſis, Princeps devotus Nobis dilectus, submissè exponendum curavit â Divo quondam* Ferdinando III. *Romanorum Imperatore, Domino Genitore ac Prædecessore Nostro colendissimo, augustissimæ memoriæ &c. Venerabilem* Arnoldum *Monasterij Corbejensis Ordinis S. Benedicti Abbatẽ jam defunctum, privilegiorum dicto Monasterio Corbeiensi, â Divis olim Romanorum Imperatoribus ac Regibus Antecessoribus Nostris concessorum, ultima*

timâ die Martij Anni milleſimi, ſexcenteſimi trigeſi-
noni expeditam confirmationem obtinuiſſe. Et quia Ni
porrò ſuppliciter rogavit, ut cum prædictus Abbas Arnol-
dus jam vitâ functus ſit, & ipſe in locum ipſius, omnium
Capitularium ejusdem Monaſterij Religioſorum ſuffra-
giis poſtulatus, atq; â ſanctâ Sede Apoſtolicâ approbatus
confirmatusq; fuerit Abbas, ſibi ac memorato Monaſterio
curæ ſuæ commiſſo, aliisq; eidem annexis, videlicet Mep-
penſi, Hervordienſi, Montis-Martenſi, Groningen-
Visbecenſi, Kemnadenſi, Scakenſi & Weſenſi, privi-
gia, libertates, honores, exemptiones, jura, indulta, immu-
nitates, beneficia, ac gratias, uſus, laudabiles conſuetudines
ac conceſſiones, iisdem conjunctim, vel cuilibet eorum ſeor-
ſim, per ſacratiſſimæ recordationis Anteceſſores Noſtros
Auguſtos Romanos Imperatores ac Reges, nominatim vero
Ludovicum Pium Caroli Magni filium, fundatorem,
Conradum I. Conradum II. Henricum III. Henri-
cum IV. Ottones, Rudolphum I. Fridericos V. &
nonnullos alios Principes ſæculares & Dominos, conceſſos &
conceſſa, & noviſſimè per auguſtiſſimæ memoriæ Dnum
Rudolphum II. Matthiam, Ferdinandum II. & III.
Imperatores, Dominos Agnatos, Avum, Genitorem, &
Prædeceſſores Noſtros colendiſſimos, prædicto quondam
Arnoldo defuncto Abbati confirmatos & confirmata, ac
& munus ac titulum Advocati & Cuſtodis perpetui ſacra-
rum S. Viti Lipſanorum, quo â Conrado II. olim Abbas
Wiboldus per aureum donationis Cæſareæ annulum in-
gnitus fuit, ex innata Imperiali beneficentia itidem laudā-
re, approbare, confirmare, innovare & quatenus opus ſit,
de novo atq; integro, & quod ſæpedictum Monaſterium
Corbeienſe omnium bonorum ſuorum, jurium & juriſdi-
ctionum

ctionum in Oppidis, Castris, Villis, præsertim Hûxer, cum libertate domorum, & monetæ, & omnium juriumibidem, Beverensis, Haddebergensis, Holtzmunden, Amelu-xen, cum terminis, circumstantiis, & circumjacentibus, Voltzen, Kottenberga & aliis Castris, Villis, Nemoribus, atq; aliis rebus, bonisq; ubicunq; locorum existentibus, ad sæpe memoratum Monasterium spectantibus ac pertinentibus in decimis, novalibus, venationibus, & in nemore quoque, quod dicitur Solinge usum venandi (quod vernaculâ Wildtbahn vocatur) cum cæteris ibidem dicti Monasterij juribus, piscationibus in Wesera, Netha & cæteris fluminibus in Beveren, Solbeka, Tresburg & Volckmarsen, cum judiciis occultis sivè vetitis, atq; aliis juribus & jurisdictionibus, altâ, mediâ, infimâ, auri & argenti fluentis. nec-non super libertate & exemptione Telonij de bonis Monasterij Corbeiensis dandi, facultatem & potestatem redimendi, libereq; impignoratis, ac redemptis utendi, fruendi & possidendi, concedere & ex speciali gratiâ ipsum Monasterium Corbeiense cum prædictis ei commissis & annexis, in Nostram & Sacri Romani Imperij protectionem & defensionem clementer suscipere dignaremur.

Nos igitur precibus præfati Episcopi Monasteriensis, uti postulati Abbatis Corbeiensis, utpotè rationi consonis, benignè inclinati, & nullo inducti errore, sed scientes, prudentes atq; animo benè deliberato, sano ac maturo capto consilio, deq; Cæsareæ nostræ potestatis plenitudine, omnia & singula, privilegia, libertates & exemptiones, jura & indulta, gratias, immunitates, usus, laudabiles consuetudines, & concessiones quascunq; tam per præfatos Romanos Imperatores & Reges, quam alios quoscunq; sæpe-mentionato

nato Monasterio Corbeiensi & suis annexis, ut supra, co-
cessa & concessas, indulta & indultas, prout hæc omnia ru-
processerunt, & hactenùs introducta sunt, tenta & posse-
& in præsenti tenentur & possidentur, prout in suis capi-
bus, articulis, clausulis, sententiis, verborum expressio-
bus & punctis pleniùs designantur, ac si præsentibus no-
natim ac de verbo ad verbum forent expressa & expri-
clementer laudavimus, approbavimus, confirmavim-
ratificavimus, corroboravimus atq; innovavimus, pr-
tenore præsentium laudamus, approbamus, confirma-
ratificamus, corroboramus, atq; innovamus & quate-
opus est, de novo atq; integro concedimus & elargim-
nec-non eidem postulato Abbati Christophoro Bernard-
ejusq; Successoribus, in quantum de jure possumus ac va-
lemus, damus, impertimur ac concedimus facultatem
potestatem quacunq; oppignorata & distracta, pertinen-
& spectantia ad ipsum Monasterium redimendi, ac rec-
perandi, illisq; & illorum usibus (ut præmissum est)
utendi, fruendi & potiendi; Porrò quo præfatus Abbas
Nostrâ Cæsareâ sublimitate uberiore beneficentiæ cumulo fr-
sentiat muneratum, scientia & authoritate, quibus supr-
eundem postulatum Abbatem Christophorum Bernar-
dum, ejusq; Conventus ac Monasteria annexa, singulos
Patres & personas, nec-non subditos cum eorum bonis, p-
ribus corporalibus, sive incorporalibus, & jurisdictionibus
altâ, mediâ & Imâ seu bassâ, præsentibus & futuris, in
Nostram & Sacri Imperij tuitionem, salvamguardiam,
defensionem & protectionem assumimus per præsentes:
Mandantes universis & singulis Electoribus, aliisq; Sacri
Romani Imperij Principibus, Ecclesiasticis & secularibus,
Archi-Episcopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Co-
mitibus,

mitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Clientibus, Balivis, Capitaneis, Vice-Dominis, Præfectis, Capellanis, Universitatibus, Communitatibus, Locum tenentibus, Officialibus, Burgi-Magistris, Judicibus, Consulibus, Civibus et generatim omnibus & singulis Nostris & Sacri Romani Imperij subditis ac fidelibus dilectis, cujuscunq; statûs, gradûs, ordinis, dignitatis, præeminentiæ & conditionis fuerint, districtè præcipiendo, ne præfatum Episcopum Monasterienſem, uti postulatum Abbatem Corbeienſem, ejusq; Conventum & Monasteria, eorumq; subditos in confirmatis per Nos privilegiis, juribus, gratiis, libertatibus, immunitatibus, concessionibus & indultis, eorumq; omnium usu ac fructu impediant, molestent, perturbéntve, aut impedientibus vel impedire volentibus, auxilium, consilium, aut favorem præstent directè vel indirectè, quovis quæsito colore aut prætextu. Nostris tamen et Sacri Imperij juribus in præmissis semper salvis.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc Nostræ Augustalis laudationis, approbationis, confirmationis, ratificationis, corroborationis, innovationis ac redintegratæ concessionis paginam infringere, aut violare, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem secus faxit, is præter quod gravissimam Nostram indignationem incurret, duscentarum Marcarum auri puri, puti, probissimi, ex semisse Imperiali Nostro Ærario, sivè Fisco, ex altero verò semisse injuriam passorum usibus, totiens, quotiens, contraventum fuerit, omni remissionis ac veniæ abscissa spe, pendendarum mulctam dare jam nunc damnatus esto, harum testimonio litterarum manus Nostræ subscriptione et Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Quæ dabantur in Civitate Nostrâ Vienna, die septimâ mensis

1662. *Junij Anno MDCLXII. Regnorum nostrorum Romani quarto, Hungarici septimo, Bohemici sexto.* Subscriptio erat. *Leopoldus.* Et inferiùs. *Vidit Wildericus Baro de VValdendorff. Ad mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium Joannes Walderode.*

Pontificiâ & Cæsaris authoritate confirmatus ita Præsul, quanquam jure poterat dici Abbas, maluit tamen audire solùm & nuncupari inposterùm Corbeiensis *Administrator.*

5. *Ad Tassij querelam.*

Tassiorum genti, qui Comites olim, nunc Principes appellantur, non parùm hodie Nos, posteriq́e omnes (ut *Famiani Stradæ* verbis utar) hoc nomine debemus, quod aucto per eos, firmatoq́ue transmittendarum commercio litterarum, dispositis certa per intervalla, tabellariorum, cursorumq́ue Stationibus publicum fecerint, obviumq́ue commodum, quod anteà rarum ac tantummodò potentiorum non sine magnis impensis proprium fuit. Ut meritò ipsi à Cæsaribus, atq́ue à Regibus Hispanis, jure, potestateq́ue in perpetuarios hosce nuncios acceptâ, amplissimam tabellariorum Præfecturam, soli per Austriacas Provincias & magnam Germaniæ partem administrent. Quas hactenùs litteras Britannis destinatas *Antverpiam* priùs miserant Batavi, mutatâ per hos dies viâ, novo cujusdam Directoris ingenio, relictis Antverpiæ mœnibus, rectà *Slusam* & indè *Londinum*

De violato jure Postarum.

num perferri curant Amstelodamenses. Suæ id Præfecturæ damnum, fraudemque interpretatus Tassius, quò vicissim *Amstelodamo* Urbi obesset, querelâ usurpati juris apud Cæsarem instituta obtinuit, ut *jure Postarum*, liberalitate Cæsarea in *Tassios* collato, non litterarum tantùm, sed & itinerantium, merciumque vecturam contineri decreverit Imperator; Ejusque effectum commiserit *Gronsveldio* Comiti. Is igitur Legatus profectus Monasterium, Principem interpellat, ut Amstelodamensium Cursores, è Belgio litteras *Hamburgum* & contrà perferentes, transitu prohiberet, scorteique viduli, dum solum Monasterienſe tangerent, prærepti statim crederentur nunciis, quos *Tassius* jure suo nominasset. Ut Cæsaris voluntati morem gerat *Christophorus Bernardus*, actutum mandat, ut properantes *Amstelodamo Hamburgum* & vice versa *Hamburgo Amstelodamum* Cursores, in via sistantur, & sarcinis eorum, bulgisque onerentur tabellarij à *Tassio* designati. Ita Tassiani nunc Cursores hinc *Amstelodamum*, inde *Hamburgum* pari festinatione excurrunt. Quod dum in Principatu Monasterienſi feliciter initio succedit, *Ernestus Guilielmus* Comes *Benthemicus*, non minore erga Cæsarem reverentia, suo in Comitatu fieri idem permittit. Factum mirabundi execrantur utrobique Mercatores. Hamburgi dum *Frintzius* Tabellariorum *Tassij*

1662.

Cæsaris mandatum.

Exequitur Christoph. Bernardus.

1662. Sub-Præfectus idipsum molitur, & litteras, mercesque seu *Lubecam* seu *Bremam* solus destinare satagit, orto inter Plebem tumultu, vix à vitæ periculo abfuit; debuitque securitati suæ exorare protectionem Magistratus. A Cursoribus namque & aurigis, vecturæ lucro, quæ potior alimoniæ pats erat, præter spem frustratis, non parùm augebatur cæpta jam execratio plurimorum. *Hamburgenses* instituta ad Principem Legatione, frustrà rogaverant semoto qualicunque impedimento pristinam tabellariis libertatem. Indè Principes implorant, Ordinesque *Saxoniæ inferioris*, qui propterea in *Lunæburgo* congregati, apud Cæsarem *expostulant contra Principum jura pugnantis facti insolentiam. Id Ordini cuique Imperij competere, observantiâ hactenùs intemerata, ut in terris suis ordinent ipsi, litterarum, merciumq; vecturam. Nolle se quidem cum Tassio in altercationem descendere, sed nec permittere ut is in dubium vocet Ordinum jura, tot sæculorum possessione & Cæsarum toties explicatione firmata.* Urbs Amstelodamum, *monuisse litteris suis*, Principi scribit, *Comitem Gronsveldium, esse è vicinis, qui jura Præfecturæ Tabellariorum Imperij præsumerent usurpare, ac propterea ab eodem requisitus se, ne per suos ipsi nuncios id moliri velint. Respondisse, abesse tantùm ab Amstelodamo, ut qui conentur istiusmodi jura ampliare ac tueri, ne remota quidem cogitatio mentem subierit usur-*

6. *De eo queruntur Hamburgenses.*

Saxonia inferior.

Amstelodamũ.

usurpationis. Quando verò certiores fiunt in terra Monasterienſi ſpoliatos bulgis ac litteris Curſores ſuos, tam parùm comprehendi potuiſſe, turbationem hanc voluiſſe denunciare Comitem Gronſveldium, quam Provincias, Urbesq; liberas, jure ſuo, tanto jam tempore, ipſorum etiam Cæſarum indulgentiâ hactenùs uſas, hujuscemodi criminis debere inſimulari. Indè fiduciâ erectos ſe, malum illud ſponte ſua facilè ſublatum iri. Quà tamen, excontinuatis in eum diem querelis, cum non ſinè animi ſenſu fruſtratos ſe ſentiant, neceſſitate compulſos, gravemhac de turbatione querimoniam deponendi ad aures Principis, cujus generoſa indoles, innataq; prudentia zelum hunc facilè excuſatura ſit, unius conſideratione damni, ex mutatis iſta novatione Curſoribus, (quam non poſſint non inviti tolerare) ſolis commerciis inferendi. Irritos eſſe eorum labores, qui Celſitudinem ſuam mente adverſâ induere machinentur, ſolâ Cæſarei alicujus privilegij mentione. Quanquam enim obſoletum id ſit, conſtare tamen ab ætate Rudolphi Iuperatoris, quâ emanaſſe id velint, in ea quam in ipſis Imperij terris ſinè moleſtia exercuerint ſemper, ordinatione Tabellariorum nihil unquam innovatum fuiſſe. Nec eſſe mentem Cæſaris, inveteratam vicinorum poſſeſſionem turbare; Sed tantùm protegere jura Præfecturæ contra eos, qui vel in Imperio violare vel inferre ei damnum meditentur. Id nec ſe, nec facere Curſores ſuos, qui nullis in terris Im- 1662.

1662. *perij vel admittant, vel destinent litteras, sed privatas tantummodo incolarum Urbis sua perferant bono commerciorum. Idcirco rogant*

Et Ordines Belgij Fœderati. *se, rejiciat oggestam fortè quamcunq; novam ac sinistram privilegij aut mandati alicujus Cæsarei interpretationem, permittatq;, ut per Monasterienſem Principatum nuncij Amſtelodamenſes imperturbato, ſicut hactenùs, officio fungantur.* Alias ejusdem ferè argumenti ſuperaddunt Ordines Provinciarum.

7. *Princeps respondet.* Utrisque respondet Princeps, nihilò ſeminùs velut Imperij Principem decuiſſe, quam juſſis ſui Cæſaris reverenter obſequi, & eo quidem promptiùs, quod pari feſtinatione translaturum ſe ad quemvis locum deſtinanda, *Taſſius* recepiſſet. Quia verò præcuperet bonæ viciniæ, amicitiæque jura cum Batavis continuare, paratum ſe retractare juſſa ſua, ſin ita jubeat Imperator. Quod dum incaſſum procurare Batavi nituntur, emanente ſub id hujusmodi Cæſaris reſcripto, continuatâ Curſores moleſtiâ coacti ſunt viam legere hucusque inuſitatam, & Amſtelodamenſes, per *Friſiam* & *Oldenburgi Comitatum*, tabellarios cum litteris, ſarcinisque *Bremas* & indè *Hamburgum* amandare. Quam exindè viam tenuerunt, donec pacti poſt quadriennium *Clivenſi pace* tranſire, ut antea, permiſſi ſunt Monaſterienſem Principatum.

Inter

Inter hæc recurrebat Sanctarum Reliquiarum & triumphalis superioris anni in Urbem introitûs anniversaria festivitas. Ut igitur iustitutæ per eos dies perpetuæ liberalitatis & gratiarum actionis exemplum posteris daret *Christophorus Bernardus*, votivam hanc celebritatem, ad normam fundationis, quam solenniſſimè peregit. Ac dein congregatis de Collegio Cathedrali, deque Nobilium Ordine primoribus, Sacello in arce Monasterienſi designato, solenni ritu, primarium lapidem ponit cum hac laminæ ex argento inscriptâ epigraphe. 1662. 8. *Primarium lapidem Sacelli arcis Monasterienſis.*

DEO OPT. MAX.

DEIPARÆ VIRGINIS

Omniumq; Cælitum
honori.
ac præcipuè

S. PAVLI APOSTOLI

Gentium Doctoris,
ſicut Diœceſis totius,
ſic hujus etiam Caſtri
ac fortalitij
Electi ſingulariter Patroni.

Cel-

Celsissimus ac Reverendiss. Princeps ac Dominus

D. CHRISTOPHORVS BERNARDVS

DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ
Episcopus Monasterienſis,
Administrator Corbejenſis,
Burggravius Strombergenſis,
S. R. I. Princeps
ac Dominus in Borculo.

Primarium hunc Lapidem

ſolenni ritu ac cæremoniis,
Propriis manibus locavit,
In fundamentum ſacelli,
ſub honore & titulo S. PAULI Apoſtoli,
ſuperſtruendi,
Hoc unum habens in votis,
Ut ad fidei Catholicæ conſervationem
Ac Patriæ Tutelam
Sancto Patrocinante Apoſtolo,
Totum cedat.
Quod operosâ munitione,
Et hujus Sacelli ſtructurâ,
Applaudentibus tam iis, qui de Clero,
Quam aliis Patriæ Statibus,
Ad hunc actum obedienter congregati erant,
Piè intenditur.
Acta ſunt hæc Anno à partu Virginis MDCLXII.
Die Menſis Julij XVII.

Per-

Peractis ita solenniis, aditurus Abbatiæ Corbeiensis possessionem ad iter se parat. Rebus igitur in Diœcesi Monasterienſi compositis, cum insigni profectum comitatu sub Autumnum *Visurgis* excepit. Ante diem tertium Idus Octobris solenni pompâ *Corbeiæ* inaugurato obedientiam (homagium Jurisperiti vocant) subditi præstitêre. Applausus Musarum à variis oblati, & hoc, cæteros inter brevitate gratius epigramma, à Commissario militari *Steingens*, patriâ Juliacensi, viro docto modesto & integro concinnatum. 1662. 9. *Excipitur Corbeia.*

ERgo novum sparsit Bernardi nardus odorem,
Corbeiæque graves imbuit ille viros?
Non stitit ad modicos Tua Princeps gloria rivos,
Corripiunt Nomen flumina magna Tuum.
Alpha triumphalis nuper fuit Αλφα *trophæi,*
Primum post Alpham Βητα *Visurgis erit.*
Vi-fama-surgis, Tua cum præconia volvunt,
Et Padus, & Thamasis, Rhodanus, Ister, Iber.
Miratura Tuum referent per sæcula nomen,
Statq; Tibi æternum â Posteritate decus.
Quando Monasterio devicto electus es Abbas,
Rètè Monasterij diceris esse caput.
Vive Monasteriis Corvinos gratus in annos:
Corbia præsagit, VVestphala terra vovet.

Dum

1662.

Dum isthic moratur *Christophorus Bernardus*, quanquam more Principum Germanorum cum *Augusto Guelphobutano-Brunsvicens* Duce, ejusque filiis Principibus, ultrò citroque, nunc epulatum, nunc venatum est, haud tamen ideò prætermisit ea exequi, quæ non muneris impositi obligatio. Quoties ingemuit ruinosæ, si non dirutæ ædi, & obsoletis passim sacris! *Kemnadensem* & *Groningensem* Præposituras, post ampla terrarum spatia à Principibus vicinis possideri! Monasteria *Hervordiense, Schackense, Verbense, Vubecense*, quæ *Corbeiensium* Antistitum curæ, majorum pietas crediderat, è religiosis primum Asceteriis in liberarum Collegia Canonicarum, an incuriâ Prædecessorum, malè transformata, repudiato nunc non ordine solùm, sed & religione, ad alios transiisse! Interea eam moræ arctitudinem multa in æde, in Monasterio restaurat; novam Basilicæ structuram designat; Abbatiali potestate inculcat regularis observantiam disciplinæ; Ordinatoque sacro ac Civili Magistratu redire Monasterium festinat.

10. *Cum vicinis Principibus agit.*

Ingemiscens ruinis.

Multa restaurat.

11. *Huxariam visitat.*

Quo die sub una celebritate Cœlites omnes Ecclesia veneratur, *Huxariam* intrat, comitatu longo & Prætorianorum cohorte sæpatus; consultò templa visit; ita tametsi suis Evangelici

gelici sacris in iis operentur, Principem, ait, addecere, cujus uti regio, ita & Evangelicorum sensu, Religio sit. Eâ sic authoritate lacera hîc tecta, perforatas alibi fenestras reparari jubet, ac monet seriò præsentes Consules, Ædilesqur, ut sarta tecta conservent. Ædem â Divo *Nicolao* appellatam postremùm subit, eâque inspectâ, quandónam, inquirit, frequnentetur. Extra dies, respondent, Apostolis dicatos ejus usum non esse. *Oppor-tuniùs ergò*, inquit Princeps, *serviet usui Catholicorum, qui ex aulâ & ministris meis Civitatem habitant; tam enim incongruum censeri hanc otiosam esse, quam sacrorum illos commoditate defraudari.* Sacerdos interim aram parat, & sacrificio Princeps, cæteriqúe religiosè interfunt. Peractâ re divinâ, ædisque ac sacrorum curâ, Patribus *Franciscanis* commendatâ, Monasterium revertit. Hi ex ordine Minorum, quos *Conventuales* dicunt, ab *Huxarienſibus* olim ejecti, hucusque exulârant, donec *Christophorus Bernardus*, ære suo conductâ etiam, traditâque jam domo, speratæ tam diu reductionis hac viâ poneret fundamentum.

1662. *Ecclesiam Catholicis attribuit*

Reducit Franciscanos.

Causa verò maturati reditûs fuit, quod *Maximilianus Henricus Colonienſis Octovir*, qui post lustratum Belgium, Bremam, Hamburgum per id temporis *Hildesij* morabatur, jamque Coloniam revisurus, Monasterium cogitaret. Ut igitur hunc ceu Archi-Præ-

12. *Electorem Colonienſem.*

sulem

1662. sulem suum ac multis nominibus devinctum quâ decebat veneratione ac magnificentia ciperet, accelerati itineris necessitatem impo suit cura tanti apparatûs. Is sexto Idus No vembris à *Christophoro Bernardo* in Mona rienſem Civitatem magnificè introductus Postero die in Basilica Divi Pauli solenni cro interfunt, indè novam arcem ingred centum & decem tormentorum explosio militariter honorantur. Inspecta ac lustra

Excipit Monasterij

ta circum arce, ejusque munimentis & ci cinis ad triclinium veteris aulæ digressus mensa regali præparatione instrata, & Prin cipes & Comitatum expectahat. Interpo las, continuata machinarum isthic campe strium laxatione, saluti Magnatum Europæ crateribus assiduè litatum est. Decimâ No vembris die, *Christophorus Bernardus* qua ce

& Coesveldiæ.

ceptum magnificentia *Coesveldiam* dedux Ab armatorum isthic bis mille, & tormen octuaginta salutatus, postquam in *Ludgerburgo* pari cum splendore & honore habitus est, ipsâ *D. Martini* Præsulis festâ luce mo minori pompa, ducente, supra semimilliare spatium, *Christophoro Bernardo*, *Maximi nus Henricus* Durstenam, *Vestæ* Coloniensis oppidum discessit.

13. *Fundat Camerariatum.*

Quando nuper, uti narravimus, dies quæ dam festos perpetua largitione dotavit Prin ceps, etsi tunc *hæreditarium*, pariter cre *Camerariatum* Principis ac Principatûs Mo

nasterienſis; nunc tamen ab Hoſpitis Sereniſſimi diſceſſu priùs confecit. Habent ferè cæteri Germaniæ Principes ſtabilita Curiarum munia, potiſſimùm quatuor, nonnulli plura, & etiam pauciora; Uti ſunt Aulæ Præfecti, Cubicularij, Mareſchalli, Dapiferi, Pocillatoris, hæreditaria ſucceſſione, illuſtribus plerumque familiis innexa. Et quanquam *Dapiferatus* in hac Diœceſi Baronibus *Viſcheringo-Droſtius, Mareſchallatus* verò *Morrienis* ad id usque tempus adſcribebatur; quod tamen poſterius Equeſtrem magis Ordinem, quam Principis obſequium ſpectaret, & in aula quoque cæteri ſolâ Præſulum optione adſciſcerentur, nullum præter duo jam memorata honorarium munus, ad poſteros tranſibat hæreditate. Id ſub initium electionis, notaverat *Chriſtophorus Bernardus*, ideoque reſervarat libertati ſuæ novam *Hæreditarij Camerariatûs* inſtitutionem, ceu manifeſti, in tam eminente Principatu, defectûs ſupplementum. Hoc igitur nunc ut effectui daret, non minore augmento ſervitii ac ſplendoris aulæ Principum Monaſterienſium, quam ut ſuam *Galeniorum* gentem in orthodoxa fide ac religione erga DEUM, in obſequio ac devotione erga Succeſſores, inque illuſtri veræ Nobilitatis ſtatu firmaret, cœptam nuper inſtitutionem hoc tempore abſolvit, & *Cubicularij officium* ſeu *Camerariatum* in familia ſua perpetuò duraturum, non tantùm erexit, ſed & amplâ ſimul bonorum, annuique ſtipendii deſignatione liberaliter dotavit. Atque ita naſcentem jam annum, à nato Servatore tertium & Sexageſimum ſeculi decimi ſeptimi feliciter auſpicatus eſt, dum & ipſe, & Cathedrale Collegium, non minùs

1663. Calendas Januarias, quam perfectum nunc erectionis diploma subscriptionibus ac sigillis suis unà decoraverunt.

Primus Possessor. Primus autem istius honorarii muneris possessor declaratus est *Franciscus Guilielmus Liber Baro de Galen* Christophori Bernardi ex Fratre Nepos. Is tunc adolescens, ab ingenij præstantia, judicii maturitate, indole generosâ, suavitate morum, aliisque pluribus naturæ ac virtutum ornamentis mirificè commendatus; post absoluta humaniorum literarum studia, Coloniæ per id tempus Philosophiæ operam dabat, quam & universam propositis publicè thesibus cum applausu defendit. Ad severiores deinde disciplinas admotus, *Duaci* Belgarum & aliis in Academiis egregia Jurisprudentiæ, politices & historiarum fundamenta jecit. Quibus demùm imbutus, postquam Gallias & plures exteras regiones peragravit, à Patruo revocatus, exceptusque peramanter, cum Eodem, in aula aliquandiu vixit, seseque in functionibus ac negotiis publicis quotidie magis excoluit; donec *Ursulam Helenam* ex Baronibus de *Plettenberg, Ferdinandi* Principis Paderbornensis, tunc etiam Coadjutoris Monasteriensis, ex Sorore Neptem, matrimonio sibi sociavit, simulque post ultroneam Parentis dimissionem Vechtensis Præfecturæ, per eos dies creatus fuit Satrapa Vechtanus. Quibus

bus hucusque muniis præclarè functum, nec enumeratis duntaxat titulis, sed multarum etiam arcium ac Dynastiarum possessionibus, in Equestri Saxonica ac Rhenana Nobilitate præfulgentem, & eo cumprimis nomine glorioſum videmus, qui tres successivè Principes in Cathedra Monasterienſi veneratus est proximo sanguine sibi junctos, videlicet *Christophorum Bernardum* Patruum, *Ferdinandum* Avunculum, & Affinem hodie *Fridericum Christianum*. 1663.

Dum autem fundando sic, firmandoque *Camerariatui* Christophorus Bernardus intendebat; & eas *Francisco Guilielmo*, Ejusdemque Successoribus præscribebat leges, secundum quas futuris temporibus officio ritè fungerentur; extra-diœcesana pariter securitatis publicæ sollicitudo animum occupabat. Inter Legatos enim Confœderatorum Principum, annitente cumprimis operâ *Christophori Bernardi*, de prolongando sub annum nuper quinquagesimum octavum icto fœdere Rhenano, *Francofurti* agebatur. Et successum etiam auctiorem anni statim nascentis initia probavêre: uti sequens docet instrumentum. 14. *Prorogatio fœderis Rhenani.*

NOtum sit, *cum inter sacram* Christianissimam Regiam Majestatem *Galliæ, & Eminentissimos, Reverendissimos & Serenissimos Principes ac Dominos*, D. Joannem Philippum

pum *sanctæ sedis Moguntinæ Archi-Episcopum, S.R. Imperij per Germaniam Archi-Cancellarium & Electorem Episcopum Herbipolensem & Franconiæ Ducem*; & D. Carolum Casparum *Archi-Episcopum Trevirensem S. R. Imperij per Galliam & Regnum Arelatense Archi-Cancellarium & Electorem*; D. Maximilianum Henricum, *Archi-Episcopum Coloniensem, S.R. Imperij per Italiam Archi-Cancellarium & Electorem, Episcopum Hildesiensem & Leodiensem, Administratorem in Bertesgaden & Stablo; superioris & inferioris Bavariæ, ac non Palatinatûs superioris, in VVestphalia, Angariæ & Bullionis Ducem, Comitem-Palatinum Rheni, Landgravium Leuchtenbergensem & Marchionem Franchimontanum*; D. Christophorum Bernardum, *Episcopum Monasteriensem, Administratorem Corbeiensem, S. R. Imperij Principem, Burggravium Strombergensem, & D. in Borculo &c.* D. Philippum Wilhelmum *Comitem Palatinum Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ & Montium Ducem, Comitem Veldentiæ, Sponhemiæ, Marcæ, Ravensburgi & Mœrsæ, Dominum in Ravenstein &c. Et S.* Regiam Majestatem, *Sueciæ quà Ducem Bremæ, Verdæ & Pomeraniæ, ac Dominum Vismariæ*; D. Augustum *Brunsuicensem & Lunæburgensem.* D. Georgium Wilhelmum *Ducem Brunsuicensem &c.* D. Wilhelmum *Hassiæ Landtgravium, Principem Hirsveldiæ, Comitem Catimeliboci, Deciæ, Zigenheimæ, & Niddæ, Schavvenburgi, Stanebrugi & Budingæ &c. Fœdus defensivum Anno 1658. (cui & Dominus* Everhardus *Dux VVurtenbergæ & Tecciæ, Comes Montis-beligardi, Dominus Heidenheimiæ* &c. *sub dato 4. Feb. anni 1660. & nunc etiam Serenissimus*

1663.

nissimus Princeps D. Fridericus Ludovicus Comes-Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux, Comes-Veldentiæ, Sponheimiæ, Marcæ & Ravensburgi, Dominus in Ravenstein &c. accessit) ad tres annos erectum, initum & continuatum, ac postmodum ad tres alios annos à trigesimâ primâ Augusti 1661. usque ad diem quintam ejusdam Mensis anni 1664. prorogatum fuerit, illudq; fœdus graves ob causas ulteriùs adhuc prorogandum esse visum sit. Quod nomine altissimè memoratæ suæ Christianissimæ Regiæ Majestatis Galliæ, uti & Eminentissimorum, Reverendissimorum & Serenissimorum Electorum ac Principum prædictorum, per eorundem Consiliarios et Legatos Plenipotentiarios ad hujus fœderis Concilium missos, hodiernâ die unanimiter conclusum sit, prædictum defensivum fœdus, in iisdem terminis & clausulis, quibus in capitali Recessu Anno 1658. erecto, & usq; ad 15. Augusti Anno 1664. prorogato continetur, jam nunc in tres alios Annos nempè a 15. Augusti 1664. usq; ad 15. Augusti 1667. prorogare, & in omnibus inviolabiliter observare, prout vigore hujus sese facturos invicem & omni ex parte compromittunt ac pollicentur, seq; duorum mensium spatio, à datis computando, suorum Dominorum Principalium ratificationes procuraturos & commutaturos spondent. In cujus fidem & constantem observationem prorogatio-

nis præsens Recessus tam à S. Christ. Reg. Maj.
1663. *Galliæ, quam Electorum & Principum sup.*
memoratis Plenipotentiariis subscriptus, &
cuiq; unum ejusdem exemplar extraditum fu.
Actum Francofurti ad Mœnum XXV. Jan.
Anno MDCLXIII.

15. *C. Bern. recuperandæ Borculoæ intentus.*

Prorogato sic fœdere *Christophorus Bernardus* iterùm fortior, de redintegrand ampliandoque Principatu cœpit cogita Reducta nuper feliciter sociorum ope Monasterio-polis spem dabat, Societate nunc ratâ, & accessione plurium etiam auctâ, eò facilius recuperandi *Borculoam*, quò putab iniquiùs ab alieno possideri. Jus in eam scripto asserit prolixo satis, & solidè composit quod Germanicis, Gallicisque typis impressum, offert Galliarum Regi & Principib Confœderatis; quorum simul omnium inter positionem in re tam æquâ sollicitus implorat. Et sanè *Ludovicus* Francorum Monarcha rationum pondere commotus, non omisit statim & ipse, præsenti in Galliis Batavorum Legato, Borculoanam restitutionem impensiùs commendare; & suo ad Batavos Oratori *Comiti de Estrades* injungere, eam quoq; ut apud Ordines haud oscitanter promoveat urgeatque tam Regiæ societatis, quam jam Principi Monasteriensi competentis habere rationem. *Brabeckius* ad hunc finem in Hollandiam iterùm Ablegatus, exeunte Februar

Cooperante Rege Christianissimo.

bruario, *Comitis-Hagam* appellit, Is cau- 1663.
sam hanc dum curat sedulò, pridiè Nonarum
Martij *Haud dubiè recordaturos Ordines*, pro- *Brabec-*
mit, *quânam armorum violentiâ, & Provinciâ* *kij Le-*
Gelriæ, & quondam Judoco Comite Limburgio, *gatio ra-*
sub annum seculi præsentis sextum decimum, *tio.*
exuti sint Monasterienses possessâ tot annos quie-
te Borculoâ. Nec Præsules solùm, sed & Cæsa-
res, Principesq; Imperij, commonstratâ facti
enormitate, toties pro restitutione obtinendâ
institisse; nullo tamen hactenùs secuto effectu.
Quæ cum etiam Christianissimo Regi innotue-
rint, motum illum esse, mediâ authoritate suâ,
tam justæ Principum Monasterienſium causæ
patrocinari: Id quod Regius Ordtor jam tum
testatum fecerit. Erectum eâ magis fiduciâ
Christophorum Bernardum *tribuere id Ordi-*
num prudentiæ, ut Regiæ interpositioni haud in-
viti deferant, reddantq; nunc quod & ipse po-
stulare jussus sit, Principatui Monasterienſi
Borculoam. Et quanquam Monasterienſe jus
in eam notius sit, quam ut deduci latiùs mereа-
tur, imò & firmetur ex eo magis, quod lis illa,
inter partes olim controversa, coram Paribus
Curiæ primùm agitata, ad Cameram posteà
Imperialem, ipsarum partium provocatione
devoluta, definitivè nuper decisa sit: atque ideò
Principem Monasterienſem non intendere, cau-
sam jure semel terminatam, in sui damnum,
aut S. Romani Imperij, vel supremi istius Di-

1663. *casterij contemptum, novi Judicis, aut alterius cognitioni subjicere. Ut tamen ij, qui genuinum statu causæ, fortaßè necdum satis imbuti sint, pleniùs doceantur, conjectam nuper in chartam esse, totius controversiæ seriem, præloq; divulgatam; atque ideò, haud inconsultum judicavi copiam ejus facere Ordinibus, ut si quâ forsan clariore notitiâ indigerent, suâ præsentis explicatione clariùs informentur. Sub hac nihilominùs repetitâ expressim cautelâ, ne quam judicis id aut superioris cognitionem, imploratumve, sed ita velint Ordines interpretari, ut motu proprio, ad conservandam non minùs Reip. existimationem, quam Regiam patrocinantis Majestatem, exigente sic ipsa pariter decisæ jam pridem litis justitiâ, ac divino, humanoq; jure, illata Monasterienßibus turbamenta ocyùs tollant; affinemq; Principatum restituant, armatâ sed iniquâ olim manu deturbatum. Confidi, Ordines pro sua prudentia & æquitate, proq; ea, quam de Rep. hac Princeps Monasterienßis conceperit fiduciâ, ita se declaraturos, ut is in causa tam justâ, voto nunc tandem suo potiatur.*

Causa ad Commissarios remissa.

Concurrente Galliarum Regis Legato res eò devenit, ut quanquam reclamabant Gelri, Respublica nominârit Commissarios, coram quibus de restituendâ *Borculoâ* multo tempore acriter disceptatum est. Nunc *Hagam* ibat, nunc redibat *Brabeckius*. Monasterienßi

ensi scripto suum *Gelria* opponit æquè prolixum, & dum Borculoanæ Ditionis tractum mordicùs sibi vendicat, suæque regioni; rem totam in longioris rejicit moræ tædium, non jam Astrææ, sed Martis olim judicio terminandam. 1663.

Quo tempore ad recuperandam aliquando Borculoam Batavorum animos sollicitabat *Christophorus Bernardus*, multorum millium solutionem à *Frisia* Orientali exposcebat *Hartmannus Lichtensteinij Princeps*. Sed priusquam hujus controversiæ statum ordiamur, pace Lectoris præmittere visum est designatam, hac ipsâ æstate, trium fabricam Sacellorum, quæ ingenti postcà sumptu Paulinæ Basilicæ adstructa sunt. Cincto pronuper obsidione Monasterio, *Christophorus Bernardus* ad cætera voto se obstrinxerat, si suæ Civitatem traderet potestati divina bonitas, DEO se in honorem trium sanctorum *Josephi, Ludgeri, Maximi*, totidem sacella ædificaturum. Hoc igitur ut exsolveret, sicut anno superiore posi anniversariam gratiarum actionem Paulino in nova arce, ita nunc Divorum honori, quorum jam meminimus, solenni rursùm pompâ & ritu benedixit primarium lapidem, dictarumque structuræ ædicularum suppositit cum hac epigraphe. 16. *C. Bern. tribus Sacellis.* *Primum lapidem locat.*

DEO OPT. MAX.

ad honorem

Magnæ Matris, Virginis MARIÆ,

Ejusq; castissimi sponsi Patriarchæ IOSEPH

Nec-non Sancti LUDGERI Proto-Episcopi,

ac Divi MAXIMI Martyris

PRIMARIUM LAPIDEM

solenni ritu, propriisque manibus posuit

Celsissimus & Reverendissimus Princeps ac

Dominus

D. CHRISTOPHORUS

BERNARDUS

Natus ex illustri Baronum de Galen familia,

Episcopus Monasteriensis, Administrator

Corbeiensis,

Burggravius Strombergensis, S.R.I. Princeps

Dominus in Borculo.

Ex voto, gratoq; in Divos animo,

piè intendens,

Vt magnifica trium sacellorum structura,

In Tutelarium Cœlitum Patrocinium,

Afflictorum asylum,

subditorum solatium,

ac posthumum corporis sui hospitium

exsurgat.

Astan

Astantibus & gratantibus iis
qui è Clero, Patriæque Proceribus,
ad hunc actum concelebrandum
obedienter confluxêre.

Anno incarnationis Dominicæ MDCLXIII.
Die Julij XXIV.

Sed quod sub hoc ipsum quoque tempus Hungariæ fines bello infestaret Turca, & *Leopoldus* Christianorum Imperator ac Hungarorum Rex, indictis Ratisbonam Comitiis, privatisque Legationibus ab Imperio postularet suppetias, *Christophorus Bernardus* Zelo statim armatus, pedites mille & equitum duocentos, veteranum militem, Hungariæ actutum destinavit auxilio, nec omisso pro re Christianâ, superorum opem implorare, vulgato per Provinciam edicto, quod hic etiam loci intexere haud abs re posteritatis visum est, publicas subditis preces imperavit. 1663. 17. *Contra Turcam Suppetias mittit.*

VEnerabili Clero & universis Diœcesis nostræ Christi fidelibus salutem. Infensissimum Christiani nominis hostem, Othomannicum Tyrannum, inexpleta dominandi libidine, non uno jam sæculo, Orbis dominio inhiantem, tot nobilissimis Provinciis dira ingluvie absumptis, & in jugum ac servitutem dirissimam pertractis, toti Hungariæ Regno penitus vorando incubare, et extremum Germaniæ, ac universæ Reip. Christianæ exitium nefariè ac sacrilegè meditari, nunc velmaximè experimur, dum Et preces imperat.

expu-

1663. pugnatâ biennio ab hinc arce Varadini, immanem modò centenorum millium Barbarorum colluviem in excidium ac perniciem Christianorum armatam, adversus Hungariam et citeriores Provincias confidentissimè provehit, funestissimam sese omnibus cladem, impiè præsumens allaturum. Et quanquam Augustissimus Romanorum Imperator, inter alios Imperij Status, Nos etiam de præsentissimis impendentium Religioni et Imperio malorum periculis, necessarióque ad conterendos impij hujus Tyranni conatus subsidio, sollicitè monuerit; cæterique Imperij Proceres in Comitiis Ratisbonensibus, per se, aut Legatos suos congregati nihil eorum prætermittant, quæ tam ad Christianam Religionem conservandam, quam retundendam horum Barbarorum ferociam, per humanæ opis consilia et auxilia videntur expedire; non in solius tamen humanæ industriæ aut potentiæ viribus, sed omnem in Domino fiduciam collocantes, publicas per totum Romanum Imperium preces instituendas, et subsidiariam cumprimis opem è cœlis implorandam esse, omninò necesse judicárunt, ut admirabilis clementiæ DEUS, perennibus quidem hominum noxis ad iram lacessitus, effusis tamen humiliter supplicantium precibus ac lachrymis denuò exoratus, conversum ad se populum suum aspiciat, nec odij tam inexpiabilis hostem suæ eheu! in Nos ultionis atque iræ concedat administrum. Quod ut majori cum

fructu

fructu fiat tenore præsentium demandamus, ut (hic certus præscribebatur precum ordo) *Præcipimus item, quandocunque sub duodecimam meridianam ob morientis Christi memoriam, quotidiè pulsari consuevit, campanam illam, quam aliàs* die Türcken-Glock *appellârunt, in omnibus Ecclesiis tam Regularibus quam sæcularibus per totam hanc Diœcesin & Principatum Nostrum constitutis, ad horæ circiter quadrantem continuè pulsari, ut ejusdem memoriâ, more majorum excitati Christi fideles, ad fundendas pro divina ope, contra Turcarum insultus feliciùs obtinendâ preces, reddantur ferventiores, Concionatores denique & Curati populum sibi commissum sæpiùs adhortentur, per crebriorem & seriam peccatorum confessionem ad DEUM conversi, auctis per Eleemosynas & jejunia orationis viribus, immensam DEI patentiam unanimes implorent, ut inimicorum Nostrorum sævissimo Nos bello opprimere volentium contumaciam, dexteræ suæ virtute prosternat, & Nos in illius protectionis securitate constituti, nullius hostilitatis arma timeamus.* 1663.

18. *Origo litis Frisio-Lichtensteinianæ.*

Nunc ut litem *Lichtensteinianam* opportuniùs prosequamur, ejus principia altiùs aliquantò repetere visum est. *Hero, Esenæ, Stedesdorpij, & VVitmundæ* Dominus, à generis nobilitate & opûm affluentiâ, inter Frisones clarus, ex *Irmgarde* Comite *Oldenburgia*

1663. giâ liberos sex habuit, videlicet mares quatuor, ac fœmellas duas. E filiis perijt *Melchior* puer: *Sibo* natu maximus, & *Caspar* in Sueciam profecti, ad *Christiernum* Daniæ, Norwegiæ ac Sueciæ Regem, sobrinum suum, tunc bella contra Suecos gerentem, pro operam Regi fortiter navatam, sub annum nati Salvatoris M.D.XXIII. cecidêre. Solus *Balthasar* superstes in paternas opes successit. *Anna* verò (quam *Onnam* scriptores Frisij nominant) sororum major, eodem anno, quo fratres amiserat, *Ottoni Ritbergæ* Comiti nupsit. Ad hanc post obitum *Balthasaris*, juvenis bellicosi, qui sub annum Christi MDXL. *Esenæ* cælebs decessit, transiit ampla hæc Dominiorum ac bonorum in Frisia hæreditas. *Joannes* Ejusdem filius ac postremus è lineâ masculinâ *Ritbergæ Comes* (quem Anno sexagesimo secundo seculi præcedentis Coloniæ extinctum, & in Abbatiali Ecclesia S. Martini majoris tumulatum esse, erectum isthic epitaphium commonstrat) ex *Agnete Benthemiâ* genuit filias duntaxat duas: *VValburgim* & *Irmgardem*. Hæc primùm *Erico Hojano*, dein *Simoni Lippiæ* Comitibus nupta, sine prole vitam finivit. *VValburgim* natu majorem *Enno Tertius* duxit, *Orientalis Frisiæ Comes*: neque prolem ex altera, quam binas quoque filias ex ea suscepit. *Sabina Catharina* ætate major, Patruo suo,

Et stirpis Frisio-Ritbergicæ.

suo, *Joanni* Oest-Frisiæ Comiti, *Ennonis* germano, Pontificiâ dispensatione nuptui collocata est. Is notæ virtutis heros, & aurei Velleris Eques, apud Hispanos, Polonosque Castrorum Præfectus, militiæ inclaruit. Et ex hoc connubio posteri descendunt *Oest-Frisiæ, ac Ritbergæ Comites, Esenæ, Stedesdorpij, VVitmundæ ac Mellerichij Dynastæ.* E quibus hodie, post extinctam pronuper iterùm lineam masculinam, solæ superstites *Bernardina Sophia* Princeps Abbatissa Essendiensis; *Catharina Leopoldina Osvvaldo Bergæ* Comiti ac Bergarum ad Zomam Marchioni nupta; & quam Frater harum *Ferdinandus Maximilianus* ex *Joannetta Francisca* Comite Manderscheidio-Blanckenheimiâ unicam reliquit, *Maria Ernestina Francisca.* 1663.

Alteram Ennonis filiam *Agnetem* natu minorem matrimonio sibi junxit *Gundackerus Liechtensteinius*, qui tunc illustres inter Cæsaris Ministros primatum facilè tenebat.

At verò Walburge Matre, numero mortalium jam exemptâ, secundum *Enno* cum *Anna ex Ducibus Holsatiæ* matrimonium inivit, prole dein masculâ fœcundum. Ad hosce filios, dum primæ Conthoralis bona transferre meditatur, quò majore eos potentiâ Frisios inter firmet, prioris thori filiabus, stante pupillari ætate, Tutores designat. Cum his, ut opulentæ tres Dynastiæ, *Esena, Stedesdorf-* *Ex venditione materna hæreditatis.*

fium

1663. *fium, & VVidtmunda*, quæ à *VValburge* cendebant, sibi ac masculis suis cedantur, dulò tractat, & oblatâ pecuniarum summ pretium nequaquam exæquante, tandem mit, atque ità nimiâ Tutorum indulgen suas facit.

Læsus Liechtensteinius.

Liechtensteinius enormem posteà læsion quæstus, nec contentus emptionis ære Con gi assignato (quod ab iniquæ transactio loco, in *Berummiani Capitalis* nomen dein transiit) avitas terras, ante *Ritbergios* vin caturus, primus videbatur. Subveritus *Emo*, ut ab ea *Liechtensteinium* mente dim veat, è suis Aulicum illicò *Viennam* mittit, p quem æs emptionis auctum, & ultrò oblata gens auri vis: Unde *Capitalis Viennensis* voc bulum emersit.

Contra Frisium lite victum.

Cum autem pactorum immemores *Frisi* nec debitum solverent, nec starent promissi *Hartmannus, Gundackeri & Agnetis filia Liechtensteinij Princeps* coram Cæsare mon sos in jus vocat, liteque in Dicasterio Imp riali-Aulico dudùm agitatâ, ipse tandem triumphat, & *Georgius Christianus*, tunc *Or entalis Frisiæ Princeps*, in multa millia con demnatur. Moribus Imperij demandata executio imponitur *Christophoro Bernardo*, ceu Principi Westphaliæ Directori, unaque vicino Seni *Antonio Gunthero Oldenburgi rum Comitum postremo*. Sed is initio statim varia

varia causatus provinciam hanc excusa- 1663.
vit.

Et quanquam optabat *Christophorus Bernardus* etiam præteritum se, qui cœptam nuper, cum Principe finitimo, amicitiam fovere malebat, quam vel minimi causam præbere turbamenti; quod tamen hinc iteratâ valentis apud Imperatorem *Liechtensteinij* commendatione, indè præsentis Ejusdem Legati (qui erat Ignatius Franciscus de *Haes* Colonienſis) continuâ prece sollicitaretur: haud commodè potuit munus hoc, quantumvis invisum, citra Cæsaris offensionem detrectare. Ut tamen animum probaret vicino Principi devotum, procrastinatâ executione, amicam partibus suadet compositionem. *Executionem urget.*

Augusto igitur mense diem dicit *Jemmingæ* Frisiæ loco, tentandæ concordiæ designato. Ablegat isthuc è Concilio suo Joannem Godefridum Baronem de *Beveren* & Bernardum de *VViedenbruck* Præsidem Aulici Tribunalis. Pro Georgio Christiano comparuêre *Freitagius* Nobilis Friso & *Amersbeckius* Jurisperitus. Adfuêre & mediarum quasi partium Ducis *VVurtenbergij* (is Frisij Principis socer erat) Cancellarius, Mylerus ab Ehrenbach, vir ab eruditione clarus, ac *Mulnerus* Domûs Brunsuico-Lunæburgicæ Ablegatus. 19. *C. Bern. compositionem tentat.*

Post varios congressus, cùm ne latum qui-

1663. dem unguem à decreti Cæsarei rigore moveri se pateretur *Liechtensteinij* Legatus, *Georgius Christianus* abruptâ *Jemmingensi* dietâ cum suis ad *Christophorum Bernardum* ipsius excurrit, qui annuâ tunc venatione in *Hummelingiis* oblectabatur.

Et assequitur. Isthic Principes inter conventum, quod *Auricæ* posteà firmatum est, tabulis operâ *Baronis de Beveren* uti Monasterienſis Legati his hoc potissimùm tenore expeditis. *Ursus instans proximè S. Michaëlis Archangeli festum centies & trigesies quinquies mille dalerorum Imperialium, ceu censum à Comitiis Augustanis quinquagesimi quarti, ex utraque tam Viennensi, quam* Berummianâ *sorte Capitali rejudicatum, & Monasterienſi Principi, & Liechtensteinij Legato, Meppenæ exsolvat Friso Princeps; ac dein, & totum quidem* Viennense debitum, *anno mox sequente, ipso S. Georgij die. Tribus verò succedentibus, & eâdem lege,* Berummense Capitale *integrum, ita tamen ut quotannis duntaxat triens, pari modo numeretur.* Obligatio connectitur severa, & stringens satis. *Si morosus foret Friso, nec pactis statis diebus nummos tradat, liberum esto Monasterienſi, non expectatâ aliâ Cæsaris monitione, in Frisia exequi Judicis decretum; nec interim quidquam censeatur derogatum Cæsaræ commissioni.*

Una

Una jam Frisios cura distrahebat tantam pecuniæ vim corradendi. Et quanqnam Proviuciæ istius Ordines florenos ter centum mille (qui centies & vigesies mille imperialibus valent) Principi suo subsidiarios stipulati erant; quod ea tamen summa necdum sufficeret, neque citiùs, quam post triennium tota numerari posset, & interim quotidiè approximaret terminus; ad Confœderatarum Belgij Provinciarum Ordines recurrunt. Qui dum mutuum addicunt, id pariter *Christophoro Bernardo* significant, ac confidere se, pro humanitate sua tantisper exequi supersessurum. Ipse etiam *Georgius Christianus*, adornatâ Legatione, Monasterienſem Corbeiæ tunc moratum exorat quatuor hebdomadas, statæ diei prorogationem: Tametsi, respondet Batavis Præsul, haud sibi liceat transgredi limites potestatis suæ, quæ tantummodò sonet executionem; indulsisse tamen Frisiis spatium, quod speret excusari posse. Dum verò Batavi *Fortalitium Dylerianum*, ceu hypothecam volunt, ita Reip. obligatam, ut munitum ipsi possideant, nec reddere teneantur ante mutui solutionem: Et id Frisiæ Princeps cuuctanter detrectat; causatus tam pacis Westphalicæ quam patriis legibus adversari, plura in alienos transferre munimenta, præsertim ad allabentem Amasim, non sinè vicinorum incommodo, & inprimis com- 1663. 20. *Contra Frisones morosos.*

1663. merciorum : expirat tempus ante septimanas quatuor indultum ; adeò ut novas Frisiæ ducias debuerint flagitare, & etiam ab amb Principe mensem alterum impetrârint.

Jussa Cæsaris executurus.

At cunctantibus iterùm Batavis, nec pa tis argentum mutuare, priusquam *Castel Dylerianum* in pignus detur, quidquid Fri Princeps mutui accelerationem urget, mora que frustrà, in proximo esse induciarum nem ; Labitur mensis alter. Enimvo *Christophorus Bernardus* non jam famâ fobi sed è Frisia & ipsa Comitum-Hagâ certio ambire Remp. *Arcis Dylarianæ* munimen unicum nempe in Frisiam Orientalem a tum ; atque ita omnem posse executionem facilè impediri, relictâ præproperè *Corbeia* Diœcesin *Sassenbergam* redit. Arbitra prorogatâ toties executione nunc tandem se, & ipsum Cæsarem ludi, Majestatis Imper dignitatisque tenax, ne justitia, basis Imp riorum, remorâ tam inutili sufflaminaretur necessarium existimavit ocyùs prævenire. Nocte itaque, octavam inter ac nonam D cembris mediâ, sexcentis ferè armatorum co

Castellũ Dylerianum occupat & munit.

missis, sub clypeo Imperij, *Castellum Dylerianum* facilè intercepit ; Nam præsidiarij in clamata Cæsaris authoritate territi, ac resistendo imparos, desperatâ loci defensione, licò se dediderunt, absque omni molestia per missi cum sarcinis suis in Frisiam abire. Mox Nico-

Nicolaum *Elverveldium* Chiliarcham, militiæ veteranum, Castello imponit, ac trecentorum triginta militum præsidio, novis propugnaculis, tormentis bellicis, omniqúe Martio apparatu erepentè communit. 1663.

Frisios statim, & altiùs *Batavos* perculit deditionis fama. Hi Frisio Principi exprobrant desiderati pignoris procrastinationem; Frisones contra accusant lentitudinem mutui, utriqúe partium tunc sanè inopportunam. Nec ultrà cunctati Unitarum Provinciarum Ordines, confinibus circùm præsidiis sollicitè excubias imperant, curamqúe vigilem, ne quid per ejus speciem tentamenti Reip. subditus patiatur. Fortalitiis quoqúe vicinioribus de majore copiarum numero, deqúe annona anxiè prospiciunt, oculo in Monasteriensem tantò intentiore, quò suspectiùs erat sub idem tempus tam seriò repeti Borculoam. *Id ægrè ferunt Batavi.*

Christophorus Bernardus Batavorum indignationem doctus, nec aliundè turbamenti quidquam subveritus, non minore cura ac festinatione muniebat arcem, quam invitatus ad Imperij Comitia, cogitabat Ratisbonam. Hanc Cæsar Urbem mense Decembri jam intrârat, ut qui publicæ hactenùs saluti indormire videbantur, præsens expergefaceret, atqúe ita plures non solum Principes, sed & suppetias ex Imperio certiùs acciret. Etsi 21. *Comitia Imperij.*

1663. enim causa laborantis Germaniæ non una Conventum hunc indixerat, potior tamen

Quâ de causa. Bellum Turcicum fuit, quod in Transylvania primò natum, tunc in Hungariæ finibus adolescebat. *Christophorus Bernardus*, ut illo hoc Cæsari obsequio gratificaretur, simulque ex ea Conventûs frequentatione augeret vel authoritatem, vel metum sui; atque ita continerentur vicini, qui *Dylerianam* à se arcem possideri ægrè intuebantur, ne quid facilè adversùs Principem tentarent & viribus Imperii innixum, & jussa Cæsaris exequentem, haud voluit postremus comparere. Ne quis vero argueret arcem otiosè occupatam, uti cœptæ executionis primordia nominabat, sic eidem prosequendæ *Elverveldium* Chiliarcham & *Martellum Embslandiæ* Quæstorem subdelegat, qui ex vectigalibus, reditibusque Fridij Principis, adjudicatum *Liechtensteinio* debitum exigant Cæsareâ authoritate.

22. *C. Bern. Ratisbonam venit.* Ergo celebratis Monasterij Westphaliæ Christi natalitiis, & indictis Diœcesi prosecutis Comitiorum successu publicè precibus rebusque domi tantisper compositis, in Bavariam discedit. *Smisingius* Commendator, Baro de *Beveren*, & *Ravius*, Consiliarij; *Nigelius Chiliarcha*, & *Vredenus* Protribunus Aulæ præfecti; *Bispingius* Monasteriensis Urbis Orator, & qui à Secretis erat *Bruchausius*, ad cæteros comitabantur. Pridie Idus Janua-

Januarias anni nunc ineuntis sexagesimi & quarti *Ratisbonam* ingreditur. Sed designatum tertio post die solennem ad aulam Cæsaris accessum, præsentes Imperij Principes & Absentum Legati sistunt, quod pari se, quâ Electores, cæremoniâ excipi, tractarique oportere existimarent. Pridem enim Principum plerique haud æquo ferebant animo, vix congruam satis haberi rationem dignitatis suæ; & Electores contrà, quoties Imperatorem eligi contingeret, novis semper conditionibus suam stabilire, sine cura reliquorum. Ut igitur & suam erigeret, reponerétque Principum ordo; concurrentibus ante alios, cum *Monasterienſi*, Guidobaldo *Salisburgenſi*, & Francisco Egone *Argentinenſi* Pontificibus, Marchionibus *Badenæ* & inprimis Palatino-*Neobugici* Ducis Legato, formam cudunt, normamque (*Rituale Principum appellârunt*) secundùm quod in publico deinceps congressu, à Cæsare, ab Electoribus, ab aliis excipi, tractari, dimitti velint. Id tandem omnibus etiam probatum fuit. Non dixero, *Christophorum Bernardum* hoc novo subnixum fœtu, in solenni primo ad Cæsarem accessu, tamdiu ad pedem gradûs substitisse, donec tergiversans Aulæ Marescallus isthuc occurreret, exciperet, & inde deduceret ad præsentiam Imperatoris. 1663.

Cuditur Rituale Principum.

Exin Comitiorum fervere negotia vehe-

1664. mentiùs cœperunt. Decretæ Cæsari com-
munes contra Turcum suppetiæ. Actum d
Acta publica defensione ac securitate ; & quâ tu
Comitij. dem viâ, dilacerato multis locis Imperio fu
curri, & redintegrari possent Circuli, avul
partibus fœdè passim mutilati. Id *Chris-
phorus Bernardus* tantò urgebat instantiu
quantò majoris sua intererat, & recuper
Borculoam, & continuatâ *Dyleriani Cas*
possessione adversus exterorum vires tue
Cæsaris & Imperij dignitatem. Vices Ej
in frequentando Principum Senatu obibat
Baro *Beverenus* & *Bispingius* Orator; sed a
cum iis *Basserodius* Juris-consultus, qui pri-
dem antè *Ratisbonam* missus, Legatione Mo-
nasterienſi fungebatur. Ab Augusto postea
inter Consiliarios accitus & *Holmiam* ad Re-
gem *Suecia* Ablegatus fuit, ubi & re præclarè
gestâ diem tandem extremum clausit.

23. Inter hæc *Batavi* litteris ad *Monasterien-*
Batavi *sem* & *Liechtensteinium* Principes sub Janua-
immis- rium expeditis, designatos significant ex Ge-
cent se nerali Ordinum Collegio, qui componendis
causæ inter *Liechtensteinium* & Orientalis Frisiæ
Lichten- Principem controversiis, reponendæque ve-
steinianæ teri amicitiæ *Lierorthum,* ad diem Februarij
vigesimam, se conferant. Visum operæ pre-
tium id indicare, ut & ipsi ablegent suos, qui
statato die & loco cum potestate adsint, juvente-
que, ut scopum adeò salutarem assequantur.

Has

Has quod Monasterienſis *Ratisbonæ*, *Liechtenſteinius* verò in *Auſtria* moraretur, curæ *Georgij Chriſtiani* committunt deſtinandas. Quæ dum in Friſiam priùs, dein per obliqua viarum in Germaniam mittuntur, Curſores ſeriùs ad Principes ferunt, atque ideò, reſpondet Monasterienſis, non potuiſſe quempiam è ſuis ad diem iſtum ablegari; præterquam quod controverſia hæc, in Tribunalibus Imperij terminata, aliò nequaquam pertineret. 1664. *28. Feb.*

Sed quò magis etiam diſtraheret Batavorum animos, ipſe *Brabeckium* rursùs Hagam mittit, qui *Borculoam* repetat; ac præterea Cæſari author eſt, ut executionis Friſicæ cauſam, curamque imponat *Friquetio*; & ſicut à Regibus ac Principibus Europæ totius, ita & ab Hollandis ſtatuerat rogare auxilia, haud gravetur Legationem in Belgium maturare. Utrique annuit Imperator, & *Friquetium* monet, ut rebus Friſio-Monasterienſibus intendat, omnemque violentiam in ſolo Imperij Batavos dehortetur; & *Zintzendorffium* Comitem ablegat, qui opem imploret Reip. contra hoſtem nominis Chriſtiani. 24. *C. Bern. repetit Borculoam.*

Antè hunc jam *Brabeckius* Hagam ingreſſus erat, & die vigeſimâ Februarij Ordinibus porrexerat libellum, ex quo cum liqueat clariùs, quid in re Borculoanâ anno præcedente actum fuerit, & quo ea in ſtatu tunc verſabatur, nequaquam hic prætereundum. Summa *Id urgæ Hagæ Brabeckius.*

1664. autem hæc erat. *Recordaturos procul dubio Confœderatarum Provinciarum Ordines, quæ tâ cum instantiâ sæpiùs & anno adhuc proximè lapso postulârit restitutionem Borculoæ Principi Monasterienſis. Et quanquam Gelriæ Delegati oblatum tunc à se scriptum Provinciæ communicaturos receperint; Ordines nihilominùs designâsse Commissarios, qui penitiùs introspicerent, causamq; mutua post colloquium maturiùs discussam ad Senatum referrent. Hanc sinè causâ subveritum, eâ Gelrorum oblationem totam duntaxat procrastinatum iri, Idibus tunc Martiis interpellâsse Ordines, ut apud Gelriæ Delegatos urgerent acceleràri Provinciæ istius declarationem, nec justo Principem vectigali diutiùs frustrarentur. Fecisse id quidem, sed hactenùs Principem latere, an mentem suam aperuerint Gelri. Prodiisse nuper è Comitiis sub Aprilem Zutphaniæ celebratis, nuncupatam ita deductionem, exin publico divulgatam typo, & Senatui Provinciarum oblatam. Verùm multa continere, quæ nullis possint documentis unquam probari. Quocircà nunc iterùm jussum se, ut posthabitis istiusmodi Styrummenſium, Gelrorumq; argumentis, quæ nullo nitantur fundamento, repetat Borculoam, & Ejusdem appendices. Sin autem Ordines velint, ut Gelri ac Styrummenſes ipsa, quæ adduxerunt, documentorum archetypa, tabulasq; primigenias proferant, nec alienum se fore, quo*

jus

jus Monasterienſe, in Borculoam, ab Imperij quoq; Tribunalibus pridem firmatum, apertiùs, ac ſolidiùs etiam aſtruat. Id verò uti nolit vel juris, in foro Imperij competente, cum plenâ cauſæ cognitione, Monaſterienſibus acquiſiti abdicationem, aut novi electionem Tribunalis interpretari: Ita confiſum ſe, haud ægrè laturos Ordines, ſi quâ facit ſolennitate proteſtetur, pariter nolle vel Principi, vel Principatui Monaſterienſi, ſeu ipſi etiam Romano Imperio ſuam hanc oblationem fraudi eſſe. 1664.

Quo die has exhibet *Brabeckius*, alias ſuperaddit Comes *d'Eſtrades* Franciæ Legatus. *Ab Rege ſe juſſum, ut quando Borculoam repeteret Decanus Brabeckius, pro viribus ipſe inſtantiam Principis Monaſterienſis promoveret. Nolle ſe, partes ſuas deſiderari, quas etiam impleverit ſub Martium anni præcedentis, quando præſentibus in Francia Reip. Legatis rem hanc commendârit ipſa Majeſtas ſua eo fervore, ut ſeria Ejusdem, de cauſa hac ſollicitudo, non debeat in dubium trahi. Et quemadmodum haud aliud Rex intendat, quam juſtitiæ patrocinari, ita confidat quoque, Ordines effectum ipſum Principi Monaſterienſi probaturos. Fore id non propenſionis tantùm priſtinæ argumentum, ſed & commendationem ſocii Regis, extra juſtitiæ tramitem nihil volentis, æſtimatam fuiſſe.* 25. *Coadiuvat Franciæ Legatus.*

Quanquam iſta *Gelris* inviſa erat ſollicitatio, arbitrantibus cauſam hanc, in ſua jam olim *Remora Idrorum*

1664. olim Curia decisam, terminatamque nec ad Generalium Ordinum aut Provinciarum, sed unam duntaxat sui cognitionem pertinere; ab aliis tamen extra Gelriam Provinciis conclusum fuit, oportere cum *Brabeckio* hac super re institui colloquium, & commendare adeò causæ justitiam penitiùs examinari; sed Gelriæ delegatis proxima tunc *Noomagi* Comitia obtendentibus, spondentibusque Provinciam eo tempore se declaraturam, causa hæc rursùs eò delata, & tantisper iterùm dispensa fuit. Interim rogat *Brabeckius* Ordines, ipsi ut Gelriam impellant, assertis proximè Comitiis non solùm explicet se, sed & unà producat autographa documentorum, quæ in sua causæ Borculôensis deductione tot, tantáque allegârint. Certum se, ita fecisse detectum iri, & allegantes documentis abusos esse, & Monasterienses pernegatâ tam diu Borculoanâ restitutione iniquè defraudatos.

26. *Zintzendorffius Cæsaris Legatus ad Batavos.*

Inter eam *Brabeckij* negotiationem, advenerat Cæsaris Ablegatus *Zintzendorffius* Comes. Is Kalendis Martij has Ordinibus tradi facit publicæ fidei litteras.

Tradit litteras suæ potestatis.

Leopoldus *divinâ favente clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus. &c.*

Charissimi Amici, Tametsi dubitare non possimus, quin Vobis jam antè exactè notum sit, quâ vi & potentiâ, non Nobis tantùm, & Re-

& Regno Nostro Hungariæ, caterisq; Provin- 1664.
ciis hæreditariis, sed ipsi Sacro Romano Imperio, ac toti etiam Christiano Orbi perpetuus ejusdem hostis Turca immineat: Pro eo tamen, ac ea res totum populum Christianum summoperè concernit, omittere non potuimus, nec debuimus. quin de eadem vobiscum etiam per peculiarem Ablegatum, Illustrem & Magnificum Consiliarium Nostrum Imperialem Aulicum, sacriq; Imperij fidelem dilectum Rudolphum Comitem a Sintzendorff &c. agendum curaremus. Qui proindè Vos amicè & benevolè requirimus, ut in his dictum Ablegatum Nostrum, non solùm plena fide dignari, sed cum optato etiam responso quamprimùm expedire velitis, prout de Vestro tùm comperto in Remp. Christianam zelo, tùm affectu quoq; erga Nos omninò confidimus. Qui vicissim omnia fausta ex animo comprecantes Vobis affectum benevolentiæ Nostræ Cæsareæ clementer conservamus. Dabantur in Civitate Nostra Vienna, die vigesima septima Novembris. Anno Domini millesimo, sexcentesimo, sexagesimo tertio. Regnorum Nostrorum Romani sexto, Hungariæ nono, Bohemiæ verò octavo.

Leopoldus.

Vt J. Walderode.

Inscriptio erat. *Charissimis Amicis Nostris Generalibus Fœderati Belgij Statibus.*

Enimverò præsentes Ordines ægrè habuit,

& vix

1664. & vix abfuit à criminatione, iſte ſcribe
modus. Solitos ſe ab Regibus, qui La
exarant, ſalutari, *Celſi-potentes*. Iſto
titulo minùs decoratos: & inuſitatam
vocem, *clementer*, neque datis aliàs à C
litteris inſertam. Nec ullo præſentes
volentiæ ſigno ſubſcriptas, at nudo dum
ſubſignatas nomine *Leopoldus*, ſinè a
mento, *Bonus amicus*, qui mos ſubſcri
Regum eſſet. Hæc dum *Friquetio* c
brant, urgentque ſtyli ac litterarum c
ctionem, non is ſolùm, ſed & Ablegatus,
nem aſſerunt alienam à mente Cæſaris
vationis ſpeciem. Si enim, rebus olim
cundis, eam noluerit, quis præſumet jam
verſis, & Reip. implorantem auxilia, conſ
Ordines honore nolle proſecutum? Sp
dent intra dies omninò viginti eas ſe pro
raturos, quibus defectus omnes abundè
ſarciantur. Rogare, ne propterea differa
audiri Ablegatus. Promiſſis igitur hu
modi aliquantò pacatiores, dum Comi
Nonis Martij quo Regum Ablegatos ſole
ritu, ad ſolemnem Ordinum conſeſſum a
mittunt, hæc ille palàm expoſuit.

Quid in his offendat Ordines.

27. *Sacræ Cæſareæ Majeſtatis extra Ordines Ablegatus, Rudolphus Comes à Sintzendorf, ejusdem Majeſtatis nomine Dominationibus Veſtris exponere in mandatis habet: Prædictam ſacram Cæſaream Majeſtatem non dubitare, quin*

Ejusdem propoſitio.

quin jam-pridem Vestræ Dominationes compertum habeant, quâ non solùm perfidiâ, sed & vi ac potentiâ, perpetuus ille Christiani nominis hostis Turca, dictæ sacræ Cæsareæ Majestati, Regnisq; & Provinciis Ejus hæreditariis, tum ipsi etiam sacro Romano Imperio, quin & universo Christiano Orbi immineat, adeò, ut dicta Majestas sua Cæsarea contra Eundem jam non suas tantùm, & suorum Regnorum ac Provinciarum vires omnes excutere & exercere, sed externa etiam auxilia conquirere necesse habeat. Cum igitur inter Status Orbis Christiani ea sit Dominationum Vestrarum dignitas, amplitudo, & opulentia, quâ jam pridem inter Principaliores Status & Dominia censeri obtinuerunt: quippè quibus amplissimæ & opulentissimæ pareant Ditiones & Provinciæ; quibusq; hoc nomine cum Regibus & Principibus societates constent & fœdera: Majestas Cæsarea aliter non potuit, nec debuit, quam ut de tam gravi periculo, toti populo Christiano, imminente cum Dominationibus Vestris communicaret, eosque benevolè requireret, ut pro suo cùm in universam rem Christianam Zelo, tùm singulari etiam benevolentiæ affectu, quem hactenùs Cæsareæ Majestati & Antecessoribus suis non uno tempore comprobare studuerunt, quamprimùm subsidium aliquod in hoc tam grave bellum ejusmodi conferre velint, quod non magnitudini minùs harum Provinciarum, quam 1664.

necessi-

1664. *necessitatis gravitati respondeat. Prout de his omnibus cum Deputandis Ministris, si ita videbitur, fusiùs conferre desiderat. Actum Hagæ Comitis 7. Martij Anno 1664.*

28. *Cum deputatis negotiatio.*

Audito sic Ablegato nominant è singulis Provinciis, qui cum eo hac super re colloquantur. Hi verò dum testudineo gradu succedunt, moræ pertæsus, pridie Idus Martij has subjunxit rationes, quibus ad suam hanc propositionem fulciebat, ita & ab Ordinibus eas considerari, perpendique postulabat.

Status Belli Hungarici, & motivæ suppetiarum.

ET primò quidem. Sacram Cæsaream Majestatem nullam huic bello causam dedisse, sed perpetuum illum, eundemq́; infensissimum Christiani nominis hostem, nullâ injuriâ lacessitum, sine ullo justitiæ aut honestatis colore aut prætextu, Varadinum, arcem munitissimam, in ipso Regni Hungariæ confinio Anno 1660. expugnâsse, quam ingenti præsidio ad infestandas vicinas Provincias implevit.

II. Undè Sacræ Cæsareæ Majestati impositam necessitatem, non solum conscribendi tumultuarium Exercitum, quem tanto hosti opponeret, sed etiam Sacri Romani Imperij Principes & Status, de ferendo auxilio, interpellandi, & aliorum etiam Christiani Orbis Regum & Statuum subsidio circumspiciendi, nisi universum Hungariæ Regnum præsenti periculo expositum vellet, & Nobiles illas Provincias, Transsylva-

Sylvaniam, VValachiam & Moldaviam à Christiana Republica avulsas, Imperio Turcico adjici & mancipari.

III. Cum hostis spem rei amicabiliter componendæ fecisset, sacram Cæsaream Majestatem, nihil à se desiderari passam esse, quod ad pacem sub honestis conditionibus sanciendam pertinere posset.

IV. Cum anno præterito, inter Legatum Cæsareum & Ali-Bassam Plenipotentiarium Turcicum, tractatio inita esset, & postmodum communi consensu perfecta; sub spe ratihabitionis, tum primùm aliæ atq; aliæ conditiones graviores postulatæ, & duriores leges summâ cum perfidia quasi impositæ, ac demùm cum jam copiæ hostiles immenso numero ex Asia & Europa collectæ in Hungariam irrupissent, violatâ priorum tractatuum fide ac religione, Bellum simul denunciatum & illatum est, Legatus Cæsaris contra jus, fasq; gentium vi detentus, & superbè, impotenterq; habitus.

V. Satis constat, captatam à fraudulento hoste opportunitatem temporis, quo Regna & Provinciæ, quas sacra Cæsarea Majestas hæreditario jure possidet, tam diuturnis bellis, aliisq; causis plùs nimio exhaustæ sunt, & reliquorum ferè Christianorum Principum vires continuis & quasi civilibus discordiis & simultatibus attritæ.

VI. Nihil tamen à Sacra Cæsarea Majestate, ejusq; Regnis & Provinciis omissum, quo tanti belli moles domesticis viribus, opibusq; sustineri posset, & hostium progressus coërceri, donec promissa ab Imperij Principibus subsidia præsto essent.

VII. Quæ cum nec in tempore advenissent, neq; eo numero & apparatu bellico, quem necessitas requirebat, illa

tempestas latiùs se diffudit, Neo-varinum & alia minoris momenti Urbes à Turcis expugnatæ; Moravia Tartarorum incursionibus vastata; tot infelicium Christianorum millia, in duram, perpetuamq; servitutem rapta; Transylvani fides & constantia labefactata; & quod caput est, ambitioso hosti novi spiritus, stimuliq; additi, ut non Hungariæ solum Regnum, spe improbâ deverterit, sed & ipsam Occidentalis Imperij dignitatem publicâ professione & jactantiâ affectare.

VIII. Quippè qui proximo Vere in Castris futurus, longè majore vi ac potentiâ, tùm Sacram Cæsaream Majestatem suam, tùm Christianum Imperium aggressurus fide dignis relationibus dicatur, & omnes dominio suo subjectos à 14. ad 60. annum, secum ducturus.

IX. Verum quidem est tanti belli periculum Sacræ Cæsareæ Majestati, ejusq; Regnis ac Provinciis ex propinquo imminere, sed non ideò minùs verum est, hanc cauſam non magis omnium Principum Christianorum communem quam singulorum propriam esse.

X. Non eo solùm nomine, quod omnes sacro Christianæ nominis vinculo & Baptismi charactere connexi, quasi veluti Reip. Cives sunt, unumq; corpus constituunt; sed tem contra illum hostem, qui omnibus pariter infensus, qui tot Christianarum ditionum & ipsius Orientalis Imperij excidio, in hanc potentiam crevit; & qui nihil magis in votis habet, quam ut Mahometanâ superstitione pugnatâ, Christianam Religionem penitùs extinguat.

XI. Sed & alio etiam respectu manifestum est, hujus belli aleam ad omnes & singulos pertinere, etiamsi nulla propriæ securitatis ratio habenda esset.

XII. Cum

XII. Cum enim in confesso sit, Regnum Hungariæ, aliasq; Majestatis suæ Provincias, Christianæ Reip. tot jam sæculis propugnaculi loco fuisse, neq; minùs certum sit, illo aggere perrupto, eversoq;, immensam barbararum Nationum colluviem Imperium Romanum inundaturam, cum Germania in medio Europæ sita, & ad omnium ferè Christianorum Principum ditiones pertingat, consequens est, unicâ clade (quod DEUS ter optimus avertat) accisis scilicet Sacræ Cæsareæ Majestatis & Imperij viribus & copiis, fieri posse, ut singulorum Principum Christianorum cervicibus impendeat crudelissimus hostis, omnibus pariter ex proximo formidandus.

XIII. Non militum tantùm multitudine (cui tamen omnes Christianorum copiæ, si in unum conveniant, vix æquales aut pares esse possint) sed militari etiam disciplinâ, cum in tam numeroso exercitu nullus sit, qui vino utatur, aut alio victu, quam promiscuo, aut aliis deliciis indulgeat; Nullus, qui currus, lixas, mulieres, & alia bellorum impedimenta secum trahat; Adeò, ut Turca minore sumptu & impendio, minore etiam subditorum ruinâ & incommodo, trecenta armatorum millia alere & sub signis continere possit, quam Principes Christiani quinquaginta millia.

XIV. Sed & antiquâ belli gerendi ratione superior est, nempè quod levis sit illi militum jactura, quorum sanguini, vitæq; non parcit, dummodo Provincias occupare aut Urbes expugnare possit: ipsis etiam gregariis militibus ex falsæ superstitionis persuasione, certissimæ morti se ultrò devoventibus. Aliam verò Principum Christianorum esse conditionem, quibus nulla tanti debet esse victoria, quam

nimiâ Christiani sanguinis profusione emptam velint.

XV. Accedit quod hodie, cum summo Christiani nominis dedecore, Turcicam potentiam auget, justus ferè Christianorum perfugarum ac proditorum exercitus, qui bellis inter Christianos Principes gestis exercitati, ignotas Turcis pugnæ committendæ, & arcium expugnandarum artis simulq; rei castrensis architecturam, in pignus fidei secum tulêre.

XVI. In communi causâ hæc differentia est, quod ratione Cæsareæ Majestatis de summa rei agitur, quamvis sine aliorum pernicie, exitioq; debellari non possit, & quodcunque vulnus erit, illud in ipso (ut ajunt) pectore & intimis visceribus excipiet, longo tempore duraturum. Reliqui verò Principes hoc discrimine defungi possunt, cum levi incommodo, si eorum potentia, viresq; æstimentur, adeò ut dici possit, à sacra Majestate, non tam in periculo, quam in veræ, æternæq; laudis communionem vocari.

XVII. Ante sexcentos annos & posteà sæpiùs Principes Christiani communibus auspiciis, transmarinas contra Turcam expeditiones susceperunt, ex solo Christianæ pietatis studio & amore, populis etiam eorum, in promovendâ Religione, fervorem æmulantibus, & pecuniam ad militum stipendia spontè, ultroq; erogantibus.

XVIII. Neq; verò probabile est, ullum ex Principibus Christianis à Majorum pietate adeò descivisse, ut periclitanti Reipublicæ Christianæ opem ferre nolit, quæ quanto magis necessaria est, cum non de inferendo, sed repellendo bello agatur, eò sanctior & acceptior DEO erit societas, quam tacito veluti fœdere contrahent Principes Christiani, si pariter omnibus curæ sit, ne Respublica Christiana aliquid detrimenti patiatur.

XIX.

XIX. Hujus sacræ societatis fama (quæ omnia in majus extollet) non minima confecti belli pars erit; saltem truculento hosti eripiet spem, quam ipsi Christianorum Principum discordiæ fecerant; quâ destitutus non tam superbè se efferet, sed in unum finem conspirantes horrebit, quos factionibus divisos contempserat.

XX. Utcunq; casura res est, sua Majestas cum summa æternæ Providentiæ reverentiâ, vitam, sanguinemque suum in sacrificium DEO OPT. MAX. quotidiè offert, simulq; parata est, suas, suorumq; subditorum opes & fortunas, tum propriæ defensioni, tum bono publico impendere.

XXI. Sed ne videri posset, aliquâ in re, muneri suo defuisse, & ut in omnem eventum ipsi solatio sit nihil omisisse, Christianos Principes, missis ad omnes, singulosque ex primaria nobilitate sua Ablegatis, in partem gloriæ, societatemq; tam salutaris consilij, non exemplo tantum suo, sed precibus etiam, monitisq; invitandos duxit.

XXII. Quo in proposito statim ad præfatos DD. Ordines, oculos, mentemque convertit, cum pro reliquâ eorum prudentia & rerum agendarum peritiâ, solertiâque dubitari non possit, quin eam sint deliberationem facturi, quæ reliquis Principibus documento sit, commune periculum communibus etiam consiliis & sumptibus propulsandum esse, imò quin ea sint subsidia submissuri, quæ tum magnitudini periculi respondeant, tum dignitati, quam inter alios Christiani Orbis Status obtinent, tum publicæ, privatæq; Provinciarum, quibus imperant, opulentiæ & felicitati cum pristinæ gloriæ, partisq; pace, belloq; laudibus, tum deniq; veræ, sinceræq; amicitiæ, quæ ipsis cum Imperato-

ribus & Sacro Romano Imperio semper interces[illegible]

XXIII. Maximè cum satis intelligant rarò tantæ laudis & ostentandæ virtutis materiam offerri. Ideoq; sua Majestas non cunctanter credidit, illos eò spontè inclinatur[illegible] ut sanctissimis armis misceri velint, & inter publicæ sa[illegible] vindices numerari; nec passuros, Remp. Christianam [illegible] primi, aut ejus conservatæ gloriam omnino alienam esse.

XXIV. Hoc unum monendum superest, maximum [illegible] benè gerendæ momentum in celeritate positum esse, quæ [illegible] omnia beneficia commendet, in hoc negotio necessaria [illegible] ut sua Majestas occupare tempus & hostium consilia pro-vertere possit.

XXV. Sed super omnia advertendum, quantum inter [illegible] omnium, qui tam pij oneris partem aliquam in se suscipere volunt, ut hoc anno, vel quam-primum fieri potest, [illegible] internecinum bellum conficiatur, id est, ut hostis occupan[illegible] Hungariæ Regni (quod sibi in prædam destinat) & ever-tendi Imperij spe frustratus, incipiat honestæ pacis consi-lium amplecti, quam felicitatem sua Majestas sibi pollice-ri non potest, nisi ab omnibus Principibus Christianis sup-petiæ subministrentur, quæ ad obtinendam victoriam, aut sustinendam sinè magna clade tanti belli molem, sint suffe-cturæ.

XXVI. Protracto autem in plures annos bello vix aliter fieri potest, quin Sacræ Majestatis, simulq; Romani Impe-rij vires consumantur paulatim & atterantur; Undè ma-jor erit externi auxilij implorandi necessitas, quod in tam misero rerum statu recusari non poterit ab iis, qui propriæ securitatis curam non penitùs deposuerunt: Undè dici po-test, quantò minùs Principes Christiani hac æstate in sacro

bel[illegible]

belli impensas conferent, tantò plùs sequentibus annis daturos ex necessitate, neq; in suam laudem, sed ut propria magis saluti consulant.

XXVII. *Hæc ferè sunt, quæ sua Majestas DD. Ordinibus exponi voluit, quibus addi possent non leves in speciem rationes, quas omitti placuit, ne nimis anxiâ oratione dubitasse videretur, an DD. Ordines tam celebre specimen pij & generosi animi, & de amicorum salute solliciti, Orbi Christiano essent daturi.*

XXVIII. *Quod ad formam, modumq; mittendi subsidij, æquum sanè est, totam hanc rem arbitrio & prudentiæ DD. Ordinum relinqui, nisi quod fortasse expediat, ut DD. Commissarij cum subscripto Ablegato Cæsareo examinent, quâ ratione utiliùs in causam communem, stimulq; cum minore DD. Ordinum dispendio hoc negotium expediri possit.*

XXIX. *Cæterum uti DD. Ordinibus tam honesti facti conscientia, quæ viris fortibus præcipua merces est, sic Majestati suæ, cunctisq; S. Rom. Imperij Principibus æterna superstes erit tanti beneficij memoria, ipsisq; Germanâ fide cura erit, ut apud memores, gratosq; benè collocatum hoc velut æris alieni depositum, DD. Ordines agnoscant.*

Quas hisce rationes eò libentiùs inserui, quod omnem ferè belli Turcici statum complectantur. Non deerat in *Hollandiâ* privatorum zelus, Christianæ rei auxilia parantium, liberali quadam pronitate. Sed Provinciarum oculi in viciniores maritimos, *Anglos*, *Danosq;* conversi, exemplar ab iis exspectabant, quod ipsi sequerentur. Nedum, 1664. 29. *Cur auxilia negent Batavi.*

1664. recusantibus suppetias aliis, Ordines sont succurrerent, in suo *Turcus* Imperio *Batav.* commerciis prohiberet; & solis ita *Britann.* via sterneretur, in tot Provinciis, Regnisq. mercaturam faciendi, cum inexplicabili d. spendio Batavæ nationis. Et Angli quidem causati nec Cæsarem olim necessitatibus su opitulatum, nec unquam Regnorum restitutionem Regi gratulatum fuisse, (quamvis i occasione matrimonij cum Lusitanâ, Hispanis tunc adhuc hoste, initi excusare Cæsarem niterentur) auxilia recusabant. Nec alia sanè mens Ordinibus erat, qui eodem tempore & ab Anglis timebant navale bellum, & arma parabant Monasterienſi, ex arce Dyckriana deturbando. Tandem igitur Ablegato respondent, *optasse quidem Ordines eam temporum, rerumq; felicitatem, quâ pro innata propensione, in retundendis Turcarum conatibus, cum Rege inprimis Britanno partiri licuisset gloriam, vires quoq; suas Cæsareæ Majestati ac Romani totius Imperij bono cumulatim consecrare. Sed eam domi palam esse, forsitq. necessitatem suos, suaque tuendi, ac domandi etiam Turcicos in mari mediterraneo piratas, ut Cæsarem sperent facilè excusaturum, quod nec pronitati suæ, nec ipsius desiderio hac vice possint respondere. Nihilominùs polliceri, si continuato bello tempora successerint magis secunda, certaturos cum vicino Britannarum*

Eorundem resolutio.

Rege,

Rege, eaq; conjunctim media arrepturos, qui sicut utriq; Statui gloriosa; ita expellendis undequaq; Turcis, & conservando Orbi Christiano utilissima videantur. Rogare Ablegatum, hæc ut sincerè referat, simulq; Remp. affirmet in continuanda cum Cæsare & Imperio amicitiâ constantem fore. 1664.

Donatum exin aureo torque quingentorum circiter imperialium, & cujus hic annecto formam, onustum papyro in Austriam dimiserunt.

Serenissime ac Potentissime Imperator.

Litteras, quas Vestra Majestas Cæsarea ad Nos dedit Viennæ die 27. Novembris 1663. exaratas, in tempore per Illustrem & Magnificum Dominum Comitem de Sintzendorff, Majestatis Vestræ Cæsareæ Ablegatum, rectè accepimus, Eundemq; in consessu Nostro perorantem, quæ in mandatis habuit, audivimus. Subinde etiam per Commissarios nostros cum eo egimus; quid verò tandem peractum sit ex eo ipso, & ex responso, quod inscriptis Eidem tradi curavimus, Vestra Sacra Majestas abundè intelliget. Nostrûm jam, & in eodem Domino Comite discedente, eximiam in negotiis gerendis prudentiam & dexteritatem, in colloquiis facundiam, in alloquiis comitatem, & singularem erga Majestatem Vestram Cæsaream affectum & zelum, mirari & commendare. Talem sanè, quamdiu apud Nos fuit, se gessit, ut ipsum Et responsoria ad Cæsarem.

1664. *non vehementer amare, & eximias in illo dotes non laudare non possimus. Ut tales sint omnes, qui ad Nos ablegantur Ministri, ex animo optamus. Quare Majestati Vestræ Cæsareæ maximas quas possumus, agimus gratias, quod Virum hunc Nobis omnibus modis gratissimum ad Nos mittere voluerit; speramus etiam, Eum cùm in aulam redierit, de insigni Nostro erga Imperium & Cæsaream Vestram Majestatem affectu ità testaturum, ut de eo nullus dubitandi locus sit reliquus. Itaq; rogamus DEUM Opt. Max. ut Cæsaream Vestram Majestatem diu Imperij & Orbis Christiani bono servet incolumem, & innumeris in hostem communem cumulet Triumphis.*

30. *Mallingerotius moritur Ottensteinæ.*

Dum hæc apud Batavos gerebantur, Bernardus *Mallingerotius* sub Nonas Martias in arce *Ottensteinâ* vivere desiit. Pridiè se rursùs adhuc oblectaverat vicinum apud Curionem Parœciæ *VVessemensis*; nec aliquod tam repentinæ mutationis signum eo die notaverat Engelbertus *Haverhovius Ottensteinensis* Parochus, quando repertum in secessûs sede mortuum nunciârunt. Accepit id *Christophorus Bernardus* Ratisbonæ vultu neque mœsto, neque hilari, gavisus tamen, quod superstitem generosè semper, lautèque habuisset. Nec enim victus ipsi, amictusque magnate dignus, unquam defuit; & custodiâ fruitus est tam liberali, ut non vicinis tantùm con-

convivere, sed & ipsi, quoties lubitum, ad vicinos exire licuerit, præsente tamen ex honoratioribus manipulari. Consultus Princeps, quid mortuo fieri vellet, quo summatem decet ritu, sepeliendum decrevit. Delatum *Vredenam* funus, in æde Parœciali, medio choro, honorificè tumulârunt. Vir magnæ fuit lectionis, sed à doctrina magis, quam prudentia æstimatus. Nec enim immeritò stupuit sanus quisque, ætate jam provectum, tam fuisse adhuc mentis suæ tenacem, ut *Christophorum Bernardum*, ritè electum, à Pontifice confirmatum, à Cæsare investitum, à subditis præstitâ obedientiâ inauguratum, firmatumque, qualem Orbis venerabatur universus, Principem unus ipse Monasterienſem colere recusaret. Ita magna sæpè ingenia dementiæ mixturam habent. 1664. *Sepelitur Vredena.*

31. *C. Bern. Director armorū Imperij.*

Ratisbonæ interea non tam res Germanæ, quam contra Turcum auxilia curabantur. Et Ordines quidem Imperij auxiliarium Cæsari exercitum decrevêre, sed à Ducibus suis gubernandum. Institutâ demùm consultatione, quorum humeris Imperialis militiæ gubernatio crederetur, omnium tandem consensu *Christophorus Bernardus Princeps Monasterienſis*, & *Fridericus Marchio-Badeno-Durlacenus* renunciati sunt, exercituum, armorumque Imperij *Directores*. De methodo adversus Turcam belligerandi, in pleno Senatu

1664. Senatu itâ præclarè aliquandò, peroravit Monasterienſis, eaque conſilia, viam ac modum ſuggeſſit, ut quando nuper Hungariæ finibus arma denuò Mars Turcicus inferre cœpit, ut hanc defuncti Heroïs orationem inquiri, & acta idcircò Ratisbonenſia ſtudioſè luſtrari juſſerit Cæſar, daturus eam Militiæ Ducibus, ceu exemplar, quod imitarentur. Et plures indè confirmant geminata non raro militum vota, Monaſterienſem olim Principem Conſultorem hodiè, Ducemque Belli comprecantum.

32. *Super lite Liechtenſteiniana tranſigit Ratisbonæ.*

E Batavis ſubindè *Chriſtophorus Bernardus* certior iſtam inter Remp. & *Friſones*, de tradenda arce *Dyleriană* haud cunctanter agi; ut horum conata intervertat, *Georgium Chriſtianum* primò dehortatur; tùm ipſo etiam volente, annitentibus *Moguntino* & *Argentinenſi* velut arbitris, cum Duce *VVurtenbergio*, Georgij Chriſtiani ſocero, ſuper factâ, futurâque *executione* tranſigit; nec modicam pecuniæ ſummam ſtipulatus, *Liechtenſteinio* erogandam, ipſe poſſeſſionem arcis ſibi firmat: donec à Friſonibus æs reſtituatur. Dum præſentes iſthic Electores, Principesque poſtremùm convivas habet, crateres non vino tantùm, ſed & centenariâ, quod iſthic inſolitum erat, tormentorum laxatione coronantur. Campeſtres eò machinas novæ artis è Weſtphalia advehicuraverat, quæ eadem faci-

facilitate ac festinatione, quâ bombarda, far- 1664.
ciri poterant & exonerari, ut in prælio contra communem hostem nil inveniri posse expeditiùs comprobaret. At Vere passim decurrente, ut Hungarico se itineri accingat, componatque res suas domi, festinat tantisper in Westphaliam redire. Et Monasterium feliciter regressus, quanquam triennio ante, tot armatorum millia Ductore Luca Spico, & anno præcedente mille ducentos, Cæsari suppetias dedisset; nunc iterùm tamen mille, veteranum profectò, exercitumque militem cum bellico apparatu in Hungariam præmittit, ipse brevi successurus. Nihil enim sinistri suspicabatur, qui jam cum *Frisio* super arce *Dylerianâ* Ratisbonæ convenerat; nec adversi quidquam metuebat, qui conciliatis non tantùm favoribus Principum Imperij, sed tot etiam sociorum viribus fulciebatur; at verò, nec vim ausuros eo tempore Batavorum Ordines; quo Christianorum arma in Turcam convertebantur, nimis se præfidenter postea doluit arbitratum.

In Westphaliam revertitur.

Novum in Hungariam militem præmittit.

Nam vix posterior subsidiarius miles relictâ Westphaliâ in Austriam antecedebat, cum ecce nunciantur *Batavi* arma & vim parare; è præsidiis educi copiæ; congregari exercitus; nominari Dux, *Guilielmus Fridericus Nassoviæ Princeps, Frisiæ Gubernator.* Centuriæ erant peditum nonaginta, equitum viginti. 33.

Batavi Castello Dyleriano vim parant.

1664. ginti. Numerus præsidio Monasterienſi expellendo par. Nec enim majore opus fuit, dum miles Monasterienſis in Hungariam prämiſſus, & Cæſar ac Imperium, ſociique bello Turcico implicabantur.

Quam Friquetius ſiſtere conatur.

Friquetius decimâ ſeptimâ Aprilis Ordinibus *Hagæ* commonſtrat. *Examinatam a Cæſarea Majeſtate Principis Monaſterienſis a Friſia executionem; nec offendiſſe quidquam ab ipſo non obſervatum, quod Imperii leges præſcriberent Executori. Prorogâſſe ſolutionis diem Friſio Principi, ſed eo, neque pactis, neque promiſſis ſtante, non potuiſſe non uti poteſtate, ab Auguſto & Imperij Legibus attributâ, eam ſubjicere arcem, quæ uti in Friſia & Imperij ſolo ſita erat, facilitatem poſteà conferret executioni proſequendæ; donec creditori conſtaret eſſe ſatisfactum. Innotuiſſe Cæſari interceptum eſſe, ne minimâ quidem vi, vel incolis vel victui illatâ; nec à ſubditis Friſiæ exactum quidquam ſupra annuos reditus, qui Principi debebantur. Id arcis Gubernatori ab Epiſcopo juſſum, & eam ipſam eſſe Cæſaris intentionem, qui uti debitum creditori ſolutum velit; ita nolit ſupra illud, vel quidquam à ſubditis exturqueri. Verùm admiratam fuiſſe Majeſtatem ſuam, quando ex eò proceſſu immeritam Ordinum indignationem percepit; cum miles Monaſterienſis, nec terras ullibi retigerit Provinciarum; nec uſpiam aliquid offenſâ dignum perpetraru-*

trârit. Profectò etiam neque ſiniſtri ſuſpicio- 1664.
nem mereri eam præſidiariorum arcis pauci-
tatem; quâ præter unam, duos Imperij Principes
concernentis ſententia, in ſupremo latæ dicaſte-
rio, ipſarumq; partium ſolenni pacto firmatæ
executionem, nihil intendatur. Si quid pecca-
tum ſit, edicant; curaturum Cæſarem, ut quan-
tocyus corrigatur. Et jam tum curâſſe, ne
quid fiat legibus Imperij adverſum.

Hæc juſſu Cæſaris depromi: nunc verò, cum fama ſpargat ex inſolito apparatu creſcens, deliberari ab Ordinibus de obſidenda arce Dylerianâ, & ejectis Monaſterienſibus præſidio etiam ſuo firmandâ; ipſum quod gerit munus, imponere ſibi neceſſitatem commonendi, ut penſiculatiùs conſiderent, armatâ manu Imperium aggredi, idem eſſe, ac bellum ei denunciare, à quo Reſp. hæc nihil unquam incommodi paſſa ſit. Paradoxum Orbi Chriſtiano fore, ſi quo tempore in Hungaria à Turcis, ab Ordinibus in Weſtphalia, Imperij fines infeſtentur. Nihil juris acquiri Reip. ex conſenſu fortè Friſij Principis, quin potiùs is ita dignus ſit, quem Procurator Fiſci Imperialis, ceu criminis læſæ Majeſtatis reum, ſeriò perſequatur. Amicitia, ſi quæ ex vicinia ſit, non debeat eſſe prætextus impedimenti juſtitiæ, ut propterea debitor Princeps ſecundùm Imperij conſtitutiones creditorì ſatisfacere non obligetur. Perperam dici iſthac executione opprimi Friſium Principem; tolera-

1664. lerabiliùs namq; æstimari solutionem, quæ executione benè ordinatâ, statis per intervalla temporibus permittatur; quam si raptis uno quo impetu bonis, proventibusq;, aut inextricabili pecuniarum corrogatione in eam præcipitia contingeret abyssum, unde exemptio posteà omnis esset desperata. Nec mirùm, si arcis Gubernator negarit potestatem sibi factam nummos accipiendi; qui pacto dictante non in arce Dyriana, sed in finibus Monasterienſium Meppen numerandi erant. Quod si tamen in eo exemplum esset; haud aliud indè convinci, quam die oblati æris nec deberi, nec exigi posse consum. Quidquid demùm sit, constare orbi universo, controversiæ hujus Legitimos judices minimè quaquam esse Ordines Provinciarum; & eò minùs, si quid etiam incommodi natum esset, jus illis tribui, suis Imperium armis invadendi, qui eâ tutamenti specie, propria tantùm commoda, non vicini Principis quærant: dum non arcem solùm evacuare præsidio Monasterienſi, sed suo firmare intendant. Sanè Westphalis Proceribus Ordines fore suspectiores, si forte litio in ipsis Imperij terris præsidium imponant, quâ Reipublicæ Christophorus Bernardus fecerit, dum arcem extra Provincias, in vicinia tantùm interceptam, milite suo & annonâ communivit. Verùm nec eam hactenùs, ut potè à Monasterienſibus tumultuario duntaxat opere firmatam, justæ munitionis nomen mereri; nec

expu-

expugnationem propterea censeri posse Reip. glo- 1664.
riosam; sed Christiani tamen cujusq; sanguinis reatui, ac plurimis, quæ ex ea nascentur, incommodis obnoxiam fore. Verùm cum re adhuc integrâ necdum eò deventum sit, nomine Cæsareæ Majestatis requiri Ordines, ut aliquos designent, cum quibus conferat, & ea exquirat media, quæ serviant rei adeò periculosæ, ad satisfactionem partium, & ex mente suæ Majestatis componenda.

Non tamen ideò ab incœpta armorum prosecutione desistunt Batavi; sed mente jam obfirmati, ni miles præsidiarius *Dylerianâ* arce, aut jussus, aut sponte cedat, expugnationem decernunt; ejusque causas exprimunt hac epistolâ ad *Christophorum Bernardum* tertio Calendarum Maij exaratâ. *Sed frustrà.* 34. *Batavi expugnationem decernunt.*

Confisi eramus Liechtensteinianum debitum post iteratam, & nostro & Principis Frisiæ Orientalis nomine, amicâ toties oblationem, jampridem extinctum, & Fortalitium Dylerianum præsidio suo evacuatum fuisse. Sed quia præter omnem spem & expectationem contrarium experimur (quamvis non sine dolore) fateri debemus impositam nobis necessitatem totis viribus cogere præsidiarios, ut fortalitium deserant, & idcircò parare omnia, quæ ad hunc finem quoquomodo desiderabuntur. Non una sanè ratio id à Nobis extorsit, ut qui ab omni injuriâ vindicare Oest-Frisiæ Principem obligamur, *Eorum ad Christoph. Bern. epistola.*

1664. tantâ nunc iniquitate oppressum non prom
non liberemus. Quis enim manifestam esse
pressionem negabit, debitorem Principem
oblatam, quæ quidem à Liechtensteinio
possit, pecuniæ solutionem, continuatâ tam
rosâ executione adhuc gravari? Excusa
quit, quod Delegati, quibus V. Celsitudo
statem fecit à Conductoribus, Colonisq; in Fr
intra mensem exigendi debitum, pactum
terminum priorem, oblatâ etiam ante
numeratione, pecuniam nolint accepta
dare apocham, multò minùs executione
sedere, vel ex arce educere præsidium, ca
defectum potestatis. Id quod damnari
totius Orbis judicio, ut quæ poscatur pecu
sponte etiam oblata non repudietur modo,
executio præterea, apprehensaq; semel Ca
Dyleriani possessio continuetur; cum jure
tissimum sit, oblatione pignus solvi, ita
dem, ut non causam tantùm, sed & omnem
sorbeat executionis prætextum. Hospitatio
litum in Frisia & in arce Dyleriana invento
mino talis est, qualis vix aliàs tentari potest
pressio. Fuit equidem reddita Nobis epistola
situdinis Væ. vigesimo octavo lapsi proximi
prilis Ratisbonæ data; quâ causam hanc
ficabat coram Aulico Imperiali judicio præ
tam esse, eoq; cum suis an-et connexis pertinere;
amicum ita colloquium à Nobis suggestum, opta
tumq; non secùs declinans, ac si res ista Nos

nimè gentium concerneret; cum tamen summa 1664.
tota termini primi, & magna pars secundi, Nostrâ sollicitudine in Provinciis hisce, & vel ideò, procurata sit, ut & Liechtensteinio Principi satisfieret, & Oest-Frisia ab hujusmodi permolesta executione liberaretur: præterquam quod aliundè Reip. hujus interfit, ut conservetur Oest-Frisia Comitatus. Sed & decimâ nonâ hujus, Principem istum requisivimus, ut præter termini primi, etiam secundi solutionem, quæ tertiâ Maij stylo novo expirabit, pariter offerret. Ea enim pecunia, uti parata est, ita quoque, si quidem Castello Dyleriano præsidiarij antea excesserint, eodem tempore receptari potest. Quod si verò hujusmodi insinuatio hactenùs omissa sit, Nos eam nunc supplemus, spondemusq; pactam utroq; termino, pecuniarum numerationem. Id quod hisce significandum duximus confidentes Celsitudinem V. rationibus tam prægnantibus tandem motum iri, ut ad præveniendum tot incommodis, quæ exindè cæteroquin nascentur, haud gravatim in Frisia supersedeat executione, & arce inprimis Dylerianâ antè diem instantis jam Maij decimum præsidio suo denudet. Sin minùs, nolumus in insontes Nos malorum culpam conferri, quæ inevitabili casu subsequentur; siquidem militia nostra tunc aget, & solus in noxa is erit, cujus iniqua actiones, oppressionesq; causam præbuêre.

1664. Has dum Tubicen Batavus ad Principem Monasterium perfert, *Brabeckius* eâdem quartâ Maij, simulac responsio his ferè verbis, Comitis-Hagam expeditur.

35. *Responsio Monasteriensis.*

Præpotentes Domini, Perdilecti amici & vicini.

Ex litteris Vestris non sinè admiratione percepimus sinistram de Nobis opinionem, haud dubiè ex eorum sensu profectam, qui de Commissione Cæsaris in causa Liechtensteiniana vel male informati, vel partibus implicitiſint. Idq; tò Nobis acerbiùs accidit, quò sanctiùs observata semper fuit vicinia, amicitiaq; nostra. Nequaquam sanè arbitramur oppressum à Nobis Frisiæ Principem, aut unquam immeritò gravatum esse; quin contrà, si genuino causæ statu penitiùs quis imbuatur, illicò apparebit, rem Commissionis emolliisse Nos; & postposita Cæsareæ jussionis respectu, amicam præbuisse compositionem; nec imperatam solùmin Dynastias Esens, Stedesdorff & Wittmundt *commissionem, Nostrâ-metipsâ sponsione impeditam, sed & pactum* primum solutionis terminum, *ad ipsorummet Frisonum preces, promptitudine pari prorogâsse; imò & familiarem cum vicino necessitudinem probâsse semper. At verò, cum nec promissis staret, nec à lapsu indutiæ prorogationis statueret diem contractui impendo; quin potiùs sinistræ cujusq; suspicionis materiam præberet; & interim Principis Liechtensteinij*

steinij Legatus constanter urgeret effectum judicati: non potuimus non facere id, quod jus, quod æquitas, quod Cæsarea commissio, & ipsius pacti, pridie Nonas Septembris Auricæ nuper firmati, verba dictabant, urgebatq; clausula paratæ executionis & juris constituti. Et quanquam rationibus Vestris potiores Nos, graviores q; opponere possemus, quæ luculenter Orbi probarent universo, nullis omninò nixam fundamentis comminationem illam, quam Præpotentes VV. DD. litteris suis expreßêre; nec eam Nobis solùm, sed potiùs Cæsari, Imperio, sociisq; Regibus ac Principibus intentatam; quæ tametsi nec suo periculo careat; hac tamen vice intactas eas volumus; qui Nostrum Consiliarium intimiorem & ædis Cathedralis Decanum Brabeckium ad Vos ablegavimus, non minore cum fiduciâ, quam instructione; ut quemadmodum Nos in ipsa hac causa Liechtensteiniana præsentes Kniphusium & Doctorem Rossel Principis Frisiæ Legatos cum satisfactione dimisimus, idem ipsum Vobis probet; atq; ita omnis interpretatio sinistra è medio tollatur; quò veriùs sentiant Præpotentes DD. VV. nihil æquè, ac constantis amicitiæ perseverantiam, cordi Nobis futurum. 1664.

Quas dum *Hagam* infert idem, qui Batavorum litteras Monasterium antè detulerat Tubicen, *Brabeckius* jam appulsus erat; fervebatque statim negotiatio ipsum inter, ac 36. *Brabeckius Hagæ de*

1664. Ordinum, Frisiæque Delegatos. Et breve superata videbatur omnis difficultas. Debitum namque agnoscebat Friso & solutionem offerebat: Nec argentum recusabat Liechtensteinius: Neque præsidio vacuare Dylerianam Arcem invitus ultrà Monasteriensis, sed hic soli *Frisio* Principi, *Batavi* verò sibi arcem tradi volebant. *Frisones*, qui eâdem mutuandi, solvendique æris necessitate premebantur, sin arcem negarent, timebant Batavorum offensam; si traderent, Cæsaris & Imperij vindictam. Inter utramque difficultatem subindè ambigui, *Batavos* tandem orant, ipsi Castellum everti ut patiantur. Ita facilè omnem offensionis utrinque ansam sublatum iri. Sed id tergiversante Rep. & vel traditionem, vel expugnationem machinante, *Brabeckius* festinato tractatu, annitente pariter *Friquetio*, certis conditionibus convenit cum *Frisiæ* Delegatis; quod Monasterium quam celerrimè transmissum *Christophorus Bernardus* ipso statim momento comprobavit. Summa hæc erat. *Pactum nuper Auricanum ad litteram partes exequentur. Secundùm id Princeps Frisiæ Orientalis, ut primis duobus terminis satisfiat, propridiè Kalendarum Junij Meppenæ numerabit ducenta octuaginta quinque millia Imperialium Dalerorum. Hanc Monasterienses summam receptabunt erga Apocham, quâ utrinque convenietur forma,*

novo cum Frisiis contrahit.

C. Bern. mox approbat.

formâ, expediendam. Utprimùm æs numeratum, traditumq; fuerit, Gubernator Dylerianus, Principis jussu, vacuabit arcem: Nec machinas solùm, sed & penum omnem, ac bellicam supellectilem, quæq; alia à Monasterienſibus illata sunt, liber exportabit. Arbitrarium quoq; sit evertere munimenta, quæ Monasterienſes erexêre. Sed intra dies omninò sex hæc absolvantur. Ex-in Principi Friſio Castellum, ejusq; claves tradet Gubernator; ita quidem, ut sola Friſio potestas sit de Castello pro lubitu disponendi. Quæ reliquæ sint difficultates, uti expensarum, ac novorum, veterumq; censuum per utriusq; partis Delegatos amicâ tunc viâ Meppenæ terminentur. 664.

Nova hæc pactio, quâ festinatione concepta, probataque erat, *Hagam* remittebatur, ut jam vigesimâ quintâ Maij in Ordinum Senatu perlecta fuerit, discussaque. Et hi quidem repentè mutant aliqua, nonnulla temperant, alia superaddunt. Statum *Meppenæ* diem in quartam Junij extendunt; Supraque summam antè designatam pro resultante ad id tempus censu, adjungunt quindecies mille. Quo certiùs autem de valore acceptilationis constare possit, ejus volunt exemplar *Friſiæ* Delegatis antè consignari, quam pecunia *Meppenam* deportetur. Argentum verò nolunt *Liechtenſteinio* numerari, sed comparandis illicò possessionibus impendi, quæ non minùs, quam extans tunc reliquis adhuc terminis pecunia, pro suo, assertoque *Ritbergiorum* Comi-

37. *Quid in eo mutent Batavi.*

1664. *tum jure*, tam diu Principi *Oest-Fri*[illegible] affectæ sint, donec hunc omnis posteà mo[illegible]stiæ *Liechtensteinius* securum præstet. H[illegible] animi sui sensa dum Monasteriensi & Fri[illegible] significant Ordines, simulac monent, ut [illegible] uterque Delegatos quantocyùs expedi[illegible] iiq́ue antè Kalendas Junij in Castris pro[illegible] Arcem *Dylerianam* præsentes se sistant, [illegible] cum potestate, ut correctam ita pactio[illegible] utrinq́ue acceptam doceant, ne secundam [illegible]pus sit expectare Principum confirmation[illegible]

Dumq́; desuper Principibus scribunt.

Castillum Dylerianum oppugnatur.

Jamq́ue *Nassovius*, ducto per *Embla*[illegible]*diam* exercitu ante diem Maij vigesimum [illegible] agro *Dyleriano* castra metatus, Castellum op[illegible]pugnabat. Id quanquam strenuè defende[illegible]bant præsidiarij, paulatim tamen spectatâ lo[illegible] munitione & defensorum numero, deditio[illegible]nem facturi facilè credebantur.

38. *Indignatio & protestatio Ministri Cæsarei.*

Enimverò *Friquetius* indignitate rei pro[illegible]vocatus acriter *expostulat pertinaciam Reip[illegible] demolitionem recusantis munimenti à Principe Monasteriensi permissam, & à Frisone toties ex[illegible]petitam. Hæc sanè tentamenta adversari contestatæ non semel sinceritati, quâ constantem Cæsari & Imperio amicitiam asseruêre. Miratur Ordines nuperam monitionem suam ne responso quidem hactenùs dignatos. Secùs existimat mereri Cæsaris Majestatem, cujus isthæc jussu sit exequutus. Præsentem arcis oppugnationem non Principis tantùm Monasteriensis,*

sed

sed totius Imperij causam esse, à quo nihil hucusq; adversitatis Resp. senserit. Esse quandam & famæ vitam, quam tenerrimè conservari existimationis interest. Quid sensuros Orbis Christiani Principes, qui dum in Oriente Cæsari suppetias ferunt contra communem hostem, in Occidente lacessi Eundem notant armis Batavorum? Cæsari gratis, quod Principem iniquè oppressum tueantur, qui Gubernatoris Dyleriani humanitatem commendet; nec se, nec subditos ab isto præsidio hactenùs læsos fateatur; & integrum jam bimestre urgeat, admitti arcis eversionem; omnemq; ita offensionis lapidem è medio tolli. Iniquum esse Reip. molimen, Principem Frisium cogentis, ut mutuet argentum & communiat arcem; munitamq; Batavis tradat, contrà quam ipse obligetur & sua interest. Suas sibi potiùs pecunias retineant, quam ita destinatas mutuentur. Legibus Imperij cautum esse, ne quis Ordo fortalitia transferat in extraneum potentiorem; Verùm nec hoc Frisium intendisse, qui tanto jam tempore tergiversatus sit consentire, & Ordines rogârit, ne ad eam se adigerent necessitatem. Sed & Provincias, solâ pactione Ratisbonensi, ab ea mutui cura satis exoneratas esse, ut omninò superfluum censeatur, rei ad solum Imperium pertinenti sese ultrò immiscere. Frisonem jam antè tam Ratisbonæ, quam Auricæ, cum Principibus Monasterienſi & Liechtensteinio transe- 1664.

1664. *gisse, obligasseq́ fortunas omnes, adjectâ spon-*
clausulâ paratæ executionis & constituti pos-
sessorij; *atq́ ita quidquid postmodò cum hac*
Rep. pactus sit, hoc ipso irritum censeri: cum de
anteriori contractu posthumus absorbeatur. Ad-
felicem se fateri quidem debeat, qui sua tot stu-
dia & operam incassùm navârit amicitiæ inter
Imperium & Remp. conservandæ; cum videat
modici momenti rem longiùs præhaberi. Or-
gatur nihilominùs iterùm interpellare Ordines
ut maturiùs pensitent incommoda, quæ indecli-
nabili profecto cursu ex hoc fonte promanabant.
Quod si verò postpositis omnibus decretum suum
porrò exequi & Castellum Dylerianum armatâ
manu expugnare, subactamq́ præsidio suo for-
mare pergant, pro eâ quod gerit officii obligatio-
ne, protestari se non minùs de usurpatione tam
iniquâ, violentâq́, & innoxiâ quavis Christia-
ni sanguinis effusione, quam tractatu Remp. in-
ter & Frisium, adversus Imperij, patriaq́ legis
celebrato.

39. *Continuat obsidionem Nassovius. Sub certâ instructione.*

Verùm istis *Friquetij* rationibus Ordines nequicquam moti, cœptam eodem die Castelli obsidionem sub Principe *Nassovio* continuabant. Cum autem in ultimam mensis horam rejecissent tractatus Frisio-Monasterienses, sub vigesimam nonam jussus est *Nassovius* oppugnando tantisper supersedere: nihilò tamen minùs intereà suæ prospicere securitati, & ea curare, quæ decreto fini posteà deservirent.

virent. Quod si verò pridiè Kalendarum Junij, partium Legati non adsint, aut eâ muniti potestate, quam Principibus Ordines præscripsêre; haud aliam præstolatus monitionem insistat arci expugnandæ. 1664.

Christophorus Bernardus, qui solâ Cæsaris & Imperij famâ territos Ordines, nec extrema hujusmodi ausuros, præsidenter nimis existimârat, errorem seriùs dolet. Quodque suum ipse in *Hungariam* militem præmisisset, & sociorum vires expeditione Turcica distinerentur, ita inermis arcem liberare, aut impedire expugnationem, meritò desperabat. Sed & demiratus istum scribendi non minùs, quam agendi modum, haud imprudenter colligebat, nihil seriò Remp. velle, nisi arcis deditionem arbitratui suo. Cum enim decreta Ordinum, Comitis-Hagâ Monasterium perferri, indeque Legati, cum potestate ad Batavorum amussim præscripta, in Frisiam amandari, & hæc spatio dierum omninò quinque confici deberent, intra terminos impossibilitatis arctari se querebatur. Et novæ ab Ordinibus projectæ transactioni insertam esse emptionem bonorum, ne quidem anteà cogitatam: easque pariter obtrusas, seu potestatis Legatorum, seu acceptilationis componendæ subtilitates, ut cũ intra cã temporis arctitudinẽ vix observari omnes possent, prompta semper esset occasio tractatus vel non inchoandi, vel

40. *Monasteriensis desperatæ liberationem.*

De variis dolet

1664. vel abrumpendi. Facturus igitur ex necessitate virtutem, nonnullos in Frisiam festi-

Præmittit Legatos in Frisiam.

præmittit, *Brabeckium* verò & *Wiederhoeckium Meppenam* subsequi mox jubet. Et primi quidem velociter equis vecti, sub hatum diem, proximè Castra, conspectui Bravorum se stiterunt. Ab Excubitoribus statim denunciati, dum primores circumstant, rogantque, num offendissent alicubi Monasteriensis Principis Legatos; Illos ipsos respondent se esse. An non igitur, instanter cum Castrensibus isthic Provinciarum Delegatis colloqui velint. Cum Frisiis, ajunt jussos se agere & hos inquiri. Declinantibus ita Castrenses Legatis, nec visis isto vesperi publicæ fidei litteris, nec Apochæ datæ potestatis exemplo, sub mediæ noctis horam biduanas inducias decernit *Nassovius* expirâsse.

Sed frustrà.

41. Ergò hostiliter iterùm diluculò cœptum agi, tormentisque horrendum quati arx in quartum usque diem. Quando potiores cohortium Præfecti desperatâ ulteriori defensione arma ponunt. Nam aquæ fossis omnibus depromptæ erant, & valli tormentis lacerati passim hiabant, paratique plures cuniculi irruptionem minabantur. *Elverfeldius* vacillantes tantisper erigit, animatque, donec honestas ipse conditiones paciscatur. Petito itaque colloquio, etiam opinione fa-

Nassovius Castellum capit.

ven-

ventiores obtinuit, ab ipso ceu Dyleriano Gubernatore, & *Wilhelmo Friderico* Principe Nassovio Exercitus Batavorum Duce pridiè Nonarum Junij subscriptas. Deditionis capita hæc erant. *Præsidiarij omnes excepto nemine, more militari cum armaturâ suâ, explicatis signis, funiculis accensis, tympanis resonantibus, impedimentis & sarcinis suis omnibus liberè egrediantur, dimittanturq; Coesveldiam. Quidquid annonæ, bellicæ supellectilis & machinarum intulerit Princeps Monasterienſis, absq; remorâ exportetur. Utque tertio post hunc die tantò promptiùs discedant, pontones, currus & equi sufficientes procurabuntur.* Ita Castellum *Dylerianum*, quantumvis angustum & exile, dies quatuordecim defensum, in Batavorum potestatem venit. 1664. Conditiones deditionis.

42. *Frisij pactam pecuniã non solvunt.*

Frustrà interim Legati Monasterienses cum *Frisiis* agebant, ut promissum tot pactionibus argentum nunc tandem Meppenæ numeraretur. Nam hi suasu Castrensium Reip. Delegatorum, nunc potestatis à *Christophoro Bernardo* datæ insufficientiam causati, nunc apochæ exemplari, vitij non unius insimulato, deditâ tamdiu operâ tractatus hosce protrahebant; donec Ordinum jussu abrumperent, & cum Monasterienſi Episcopo ultrà negotiari, vel teruntium etiam numerare prohiberentur.

Nasso-

1664. *Nassovius* sub hæc munimenti vallis, p
pugnaculis, loricis, fossis, ad vim arcen
43. reparatis; post tertiam à deditione septi
Exercitus Batavus in Belgium reducitur. nam, quâ venerat viâ in Provincias Confo
tatas exercitum reduxit. Quâ verò relig
per id tempus Principatum & subditos M
nasterienses miles *Batavus* tractâsse fer
tur, *Christophorus Bernardus* anno seq
publicis typis divulgavit. Et quanquam
qui plerosque alicujus patrati facinoris
eodem anno malâ morte multatos volue
ego tamen, nec compertum habeo, nec
Mors Principis Nassovij. verare ausim. Hoc scio, Ducem ipsum *Na*
vium Principem, infelici minoris sclopi
sub autumnum periisse: quem dum explo
re nititur & errat, vitium probaturus, in v
tum convertit, & ecce improvisò exonerat
globus maxillæ inferioris, mentique part
unà cum dentibus, ingressu suo mox com
puit, mentumque foris, & ipsum labium div
sit; egressus verò ad radicem nasi, partem na
ris dextram avulsit. Et quanquam lingua le
sa non erat, immobilis tamen & omni suâ fun
ctione privata fuit; adeò ut nec liquida, nec
solida potuerit deglutire. Defectu alimenti
& plurium tandem symptomatum accessu, o
ctavo post die, extinctus est. An autem sclo
pus is idem fuerit, quem onerâsse ferunt, dum
arcem *Dylerianam* expugnaturus, Monaste
riensem Episcopatum ingrediebatur, nec
exone-

exoneràſſe poſteà, uti perſæpè mihi narravit *Chriſtophorus Bernardus*, me latet; qui certus ſum, præmaturam adeò mortem à mœſta conjuge & prole, plurimis fuiſſe lamentis deploratam. 1664.

44. *Batavorum ad Cæſarem epiſtola.* At verò Confœderati Provinciarum Ordines, Cæſari expugnationem arcis Dyleriænæ excuſaturi, prolixis ſtatim litteris, totius rei ſeriem diducunt, eo quo partes ſolent, candore. *Epiſcopum* ſubjungunt *executionis immemorem* hoſtiliter *egiſſe*. *Inauditam fuiſſe proceſſus iniquitatem, & tam intolerabilem vicini Principis oppreſſionem: ut neceſſitate ſolâ rapti ſint, & tam injuſta patientem ab injuria vindicare, & ejecto iniqui* Uſurpatoris *præſidio, arcem ſuæ facere poteſtatis. Conniviſſe quidem diu, non tam Epiſcopi iſtius contemplatione, ſed ut probarent Majeſtati ſuæ & Orbi univerſo, quâ teneritudine pacem ament, & quanti fecerint conſtantem ſemper ipſius Cæſaris & Imperij totius amicitiam. Cum Prædeceſſoribus Epiſcopis, qui ex illuſtriſſimis Germaniæ familiis nati erant, optimè ſemper conveniſſe; & licet de præſente majora etiam meritos ſe putent, cui in cauſa Bevergernenſi & & pluries ſua deeſſe officia noluerint; jam tamen aliquamdiu expertos, ita eum à natura conſtitutum eſſe, ut ſi non ſubditis ſuis, certè vicinis omnibus gravem agnoſcant. Ejuſdem ſenſus, intuitu potiſſimum Cæſaris non ra-* *In Chr. Bern. invectiva.*

rò

1664. rò patienter observâsse hactenùs, nec pa-
ca dissimulâsse; nunc verò cum sentiant
ea sui æquitate partam pro benevoletia
ganiam, contemptúmque, haud passuros
sterum toleranter, si quid temerè porrò
netur. Cum autem injunctâ sibi Cæsarià
missione ita insolenter abusus sit, ut Execu
oblitus, Usurpatorem egerit & hostem
festum; rogari Cæsarem, ut cuipiam alteri
moderatior sit, nunquam verò istiusmodi
munus Monasterienſi Episcopo imponat.
enim tolerari posse, ut in finibus Reip. per
lia porrò attententur. Nolle se omnino
tiam remorari, sed uti in terris ipsi suis
pientissimi sint, ita in causa qualibet a C
decisâ, sanctè probaturos ejus semper obser
tiam, nec quidquam ita, ac perpetuam
Majestate sua, totóque Imperio & singulis
membris necessitudinem, amicæq; vicinitatis
ra Confœderatis Provinciis cordi fore.

Multis improbatur. Hæc epistola decimâ Junij *Hagæ-Comitis* exarata, dudum antè, quam Cæsari redditi
set, subjecta prælo per Provincias spargi cœ
pta est. Non pauci in *Hollandia* fuêre, qui
bus is agendi, scribendique modus summis
improbabatur; nec tantùm non virulentum
exclamabant. Certè *Friquetius*, dum copiam
ejus faciunt, haud ultra dissimulandum rebus,
acriter invectus fuit. *Quid quod Ordines*
scribant Imperatori, qui nunquam ipse scripsit

Friquetius in eam invehitur.

rit; *se verò non semel & nomine Cæsaris monentem, ne responso quidem dignentur? Hæc si responsio dici velit, cur nulla fiat mentiò sui? Per-deridiculum celebrari æstimatam tanti, iteratam à se intercessionem; cui non modò delatum sit nihil, sed è diametro potiùs adversatum. Quantùm valeat prætexta Cæsaris & Imperij amicitia, argumento esse, dum contra communem hostem læsis succurrunt Reges, ac Principes; recusari quascunq; etiam ab Ordinibus suppetias; & quo tempore in Orientali plaga infestet Turca Imperij fines, in Occidentali armis Reip. expugnari Cæsaris munimentum. Istâ scriptione non excusari facti enormitatem, sed in Cæsarem, in Imperium insultari. Sin abusus esset Monasterienſis potestate ab Augusto data, Frisij Principis fuisse apud Cæsarem queri; nec propterea licitum Ordinibus agere extra sphæram Provinciarum. In Germania Imperatorem Judicem agnosci. Demùm minùs appositè misceri tot convitia, uti hostis, Usurpatoris, quæq; id genus plura, quemadmodum cum omni æquitate pugnent, ita scire se neminem facilè probaturum.* 1664.

Christophorus Bernardus in gymnasio patientiæ aliquandiu jam exercitatus, & id quidem æquo tunc animo tulit, altâ tamen mente reposuit; cum in Austria nunc, & Hungariâ, Director armorum Imperij expectaretur. Et quoniam hæc adversus Turcam expeditio 46. *C. Bern. dissimulat.*

1664. timebatur non paucorum mensium, sed plu-
rium annorum fore, velut brevi non redi-
rus, statum patriæ, quantum potuit, circum-
spectè ordinavit. Morante per id temp-
Ordinato statu Diœcesis. Romæ *Furstenbergio*, Gosuinus Baro *Dr*
ex Vischering Consiliarios inter, primas
nebat. Erat is in æde principe Burfar
Canonicus Osnabrugensis & Veteris Eccl
siæ divi Pauli Præpositus; ac multos jam a
nos Episcopalis Cameræ Præses. Huic
Concilio secretiori Principatum commend
vit, mihi verò, uti aliàs Diœcesin, Vicar
In Hungariam rendit. potestate. Rebus itaque domi compos
ac parte comitatûs præmissâ, à salutata Se
nonas Julij Beatâ Virgine *Telgetanâ*, in *Au*
striam concessit. Festinato itinere antè finem
mensis *Viennam* intravit.

47. Sed dum in via est, properantem insequun-
Batavorum ad ipsum litteræ. tur litteræ ab Ordinibus Batavis sub Junium
exaratæ, *quibus postulant quindecies centena millia florenorum monetæ Belgicæ; in quam summam, ex perceptis Borculoënsis Dynastiæ reditibus, in Curia Gelriæ, ante annos quingentos condemnata sit Diœcesis Monasteriensis: & nisi tempestivè solvat, executionem comminentur.* Quanquam ista postulatio cæteris omnibus Principi visa est periculosior, quod cum eam scirent pecuniæ vim à Monasterienibus non posse corrogari, prompta semper futura sit armatis occasio, & exigendi argentum,

& pa-

& patriam invadendi. Dissimulato tamen metu rebus tunc Hungaricis intendebat. 1664.

48. *Suppetiæ Confœderatorum in Hungaria.*

Ludovicus Decimus-quartus Franciæ Monarcha, qui caput erat Confœderationis *Francofurtanæ*, dum *Leopoldus* Imperator ab Orbe Christiano opem implorat, rogatu sociorum Principum sexies mille armatos, selectum militem laboranti Hungariæ submiserat, *Collignio* Ductore. Electores ac Principes Confœderati obtulerant septem millia veteranorum, quos Wolffgangus Julius Comes de *Hohenlo* in *Hungariam* duxerat. Imperiali militiæ præerant *Badensis* Marchio & *Waldeckius* Comes, Cæsareanis *Montecuculius* imperabat.

Expeditio Serinij & Hohenloj.

Jam Comites *Serinius* & *Hohenlojus*, postquam *Christophorum Bernardum* hyeme præterlapsâ consuluerant Ratisbonæ, *Essekianum* Dravo amni impositum, tanti momenti pontem lacerârant; *Quinque-Ecclesias* igne succensas everterant; incineratis tot pagis, oppidisque, variis etiam arcibus occupatis, captisque & in servitutem pertractis magno numero Turcis, ingentem hosti cladem intulerant. Et jam obsessæ etiam *Canisiæ* potiti fuissent, nisi improvisos maturiùs solitò desciuisset brumalis aura, & reparato tumultuariè ponte *Essekiano*, opinione celeriùs supervenions Magnus *Vezirius* obsessos liberâsset.

Obsidio Canisiæ solvitur.

1664. 49. *Castra Christianorum & Turcarum.*

Is dum à Christianis observatur, obser- que, ad *Canisiam* aliquamdiu quiescit, ut trajecto *Arrhabone* Jaurinum obsi- Christiani mentem hanc præversuri, ve- sancti *Gotthardi* Monasterium castra mov- & sua metantur castris Turcarum adversa sexto Kalendas Augusti *Arrhabonis* vada vertenter perrumpunt; Sed accurren- mox *Hohenlojo* & *Collignio* Confœderato- Ducibus rejiciuntur. Indè movet uter- exercitus cis & trans *Arrhabonem* propi-

Pugna ad S. Gotthardum.

Gothardum: ubi considetur utrimque ad- pam & bellicis tormentis fulminatur; Christianos cessare cogit, pulveris nitrati crementum. Circulares Imperij copiæ co- sidebant velut mediæ, inter Cæsareum à dex- tris, & confœderatum à sinistris exercitu- Corpus hoc è plerisque Tyronibus consti- tum, observârat hostis, & si quid esset mem- generosæ, morbis vel fractum, vel itinere debilitatum. Exploratâ amnis angustiâ, Circularibus Christianos aggredi statuit *Vezi- rius* Turcarum Archistrategus, & ideò vigen- tormenta pridiè opponit continuò boanti- Christiani jam à biduo tonitribus assueti, ni- hil impetûs indè metuebant; donec Kalendis Augusti *Janizarorum* sex mille, quibus alios, atque alios, *Vezirius* submittit, *Arrhabonem*

Raab-fluvius.

inundant, perruptoque amne horrendis clo- moribus mediam Christianorum aciem ob- rumpit;

ruunt; sed quæ primum vix impetum sustinuit, universo penè equitatu prostrato. Nec aberat procul, quin prima hæc clades, exercitûs reliqui excidium facilè secum traxisset. Diversas namque Legiones *à Badensi* Marchione subsidio missas turbat hostis, cædit, fugat. Donec Duces illicò congregati, animante cumprimis *Hohenlojo*, in arena consilium capiunt, tractoque in prælium *Collignio* acies reparatur, intra semihoram sic mutata, ut in fugam & amnem rejecti *Turcæ*, supra octo millia cœsi asserantur; isque terror incussus sit hosti, qui sui trans amnem non ultrà securus, istâ nocte Castra deseruerit. Nostri nec insecuti fugientem, nec victoriam prosecuti sunt, quod cum rerum inopiâ, & panis maximè inediâ conflictarentur. 1664.

50. *Directorum Principum sollicitudo.*

Istam Castrorum calamitatem docti *Christophorus Bernardus* & Collega *Badeno-Durlacensis*, qui cum Augusto Viennæ adhuc consultabant, relictâ Austriâ in Hungariam festinant, ut exercitibus de annona inprimis, deque commeatu bellico opportunè provideatur: & exequantur simul ea, quæ in Senatu statuta, aut in Campo suggestura sit ratio belli. Appulsis jam, procurantibusque penum ac panem Directoribus, multorum animi erigebantur. Visa inter hæc non semel *Christophori Bernardi* in militem pietas, gregariorum etiam subeuntis tuguriola, succurrentisque

1664. que de suo largâ manu, laborantium [illegible] cessitati.

Progressus Christianorũ. Jam *Soucheſius* Moraviæ ac Sileſiæ Gub[illegible] nator, ſubſidio potiſſimùm militiæ Imp[illegible] lis, *Neitram, Levamq;*, profligatis etiam T[illegible] cis, recuperârat; incineratoque *Parkan*[illegible] rectorum mens erat authore eodem *Nov*[illegible] *num* obſidere, atque interim reliquo [illegible] exercitu obſervare hoſtem, & oppugn[illegible] tegere, ſi quam fortè liberationem Ba[illegible] molirentur. Turcarum Archiſtrategus [illegible] has Chriſtianorum cogitationes diverte[illegible] reparato propè *Strigonium* ponte Danu[illegible] trajicit, inque viciniam Neovarinienſem [illegible]

Waag. ſus metum auget, ne *Vagam* transfretat[illegible] in confines circum regiones pejora machin[illegible] tur. Sublatis igitur repentè Caſtris & Chr[illegible] ſtiani *Danubium* trajecti, præproperatis [illegible] neribus *Vagam* versùs movent, ac Turc[illegible] antevertentes, junctas ponte ripas obſidere[illegible] quâ data occaſione, iterùm cum hoſte manu[illegible] conſerturi.

51. *Deſiderium prælij pax explet.* Sed ecce dum pruriens miles in horas ſin[illegible] gulas pugnam expectat, ſimile nihil opinan[illegible] tibus pax utrinque pacta nunciatur. Cum[illegible] Turcarum Caſtris ducebatur Cæſareus Rep[illegible] dens, quem jam dudum antè, ad pacem cum[illegible] Mahometanis conciliandam, præmiſerat Im[illegible] perator. Ttractatu nunc cœpto, nunc inno[illegible] vato, & ſæpiùs licet omiſſo, in plures tamen con-

conditiones utrinque conventum erat. Quibus diebus ad S. Gottardum succubuerant Turcæ, Archistrategus ad se virum acciri jubet, præsentemque, an potestas ipsi adhuc integra sit paciscendi, percontatus, dum nullius se revocationis hucusque conscium affirmat Residens, in conventa nuper capita concludi pacem, ac signari perurget. Dictum, factum, & ad Imperatoris utriusque ratificationem articuli sequentes prodiêre. 1664.

Postquam oliscentes nuper in Transylvaniæ visceribus, discordiarum motus, in apertum eruperunt bellum, ut communi Hungariam calamitati subjicerent, afflictosq; populos restauratâ pace consolarentur, Sacræ Cæsareæ Majestatis apud Portam Ottomannicam Residens, tum supremus Turcicæ militiæ Vezirius, quoad Cæsaris utriusq; accederet ratihabitio, sequentes initi fœdderis conditiones statuerunt. Pax Christiano-Turcica.

I. Ut Præsidiis Cæsareanis munitæ Civitates Transylvaniæ & arces, Principi ac Statibus restituantur: Copiæ verò utrimq; uno, eodemq; tempore, priùs educantur: ut memorata Transylvaniæ, cæteraq; omnia loca statu tranquillo perfruantur: sublatoè vivis Principe, libera ejus electio sit penes Status, iisdemq; libertate pristina & jure undequaq; gaudere liceat.

II. Ut de Zatmarienſi, Szabolizenſi, aliisq; S. Cæsareæ Majestatis in Ungaria sitis Comitatibus & Provinciis, earumq; statibus & subditis,

Urbibus, Arcibus, Oppidis & pagis, prout veteri Cæsar. jurisdictioni subfuêre, nullo prorsùs modo & prætextu Turcis, Transylvanis, eorumq; Principe, aut quovis alio exactiones ullæ & tributa posthac exigantur.

III. Ut S. Cæsareæ Majestati liberum sit, & arbitrium ad majorem Provinciarum securitatem, more hactenùs in aliis confiniis observato, Zatmariam, Szabolcium, Caloniam, aliasq; Civitates & arces, in prædictis Comitibus communire: Nulli verò exercitus sub Ducibus, quod & in Turcicis & Transylvanis Provinciis cavendum est, introducantur: Arx tamen Zechelheidensis ad præcavendam in utrisq; confiniis hostilitatem unà cum propugnaculis omnibus & muris solo æquetur.

IV. Ut Ragotzij & Kemenijanos filiis, aliisq; in Hungariâ superiore, cum quibusvis auxiliaribus copiis, regressus in Transylvaniam, & novorum inibi motuum molimina inhibeantur, quod Turcis pariter & Transylvanis erga S. Cæsareæ Majestatis Status observandum.

V. Ut nullis utriusq; partis hostibus, aliisve prædonibus perfugium aliquod indulgeatur.

VI. Ut fortalitium, hoc belli tempore, propè Camisam exstructum, à nemine reædificetur, nec præsidiario milite muniatur.

VII. Ut unius ac alterius partis assecla, in hac Transylvaniæ, bellique turbine, bona sua, jurisdictiones & honores restituantur, nec ulteriùs idcircò aggraventur: sese vicissim Principibus, damnum nullum atq; inquietudinem allaturi, obsequantur.

VIII. Ut S. Cæsareæ Majestati in Confiniorum defensionem, cis Guttam, moliri Castrum vel arcem liceat.

IX. He-

IX. Hostilitates posthac & depopulationes nullæ utrimq; exerceantur: graviter in eos, qui secus fecerint, animadvertatur: Miles undequaq; contineatur, abductisq;, ex Hungariæ Transylvaniæq; confiniis, Cohortibus nullus ultrà reditus pateat, afflicti ut populi quiete stabili ac pace perfruantur.

X. Pro majori servandæ pacis certitudine fœdus hoc annos omninò viginti complectetur, & quatuor spatio mensium per Legatos eximios, apertumq; diploma, ad commune omnium solatium confirmabitur. Romanorum verò Imperatoris Legatus amicitiæ gratiâ, liberum 200000. florenorum donum afferat: è Portâ verò Ottomannicâ munus condecens submittatur: deindè loco & modo priùs usitato, Oratorum transitus fiat; Cæterùm, nisi à præsentibus apertè aliquid mutatum, aut sublatum fuerit, hoc Pacis instrumentum in vigore suo ac robore persistet: quod Latinâ, Turcicâq; linguâ erectum, atq; à memoratis Plenipotentiariis subscriptum, consignatumq;, factâ utrimq; solitâ permutatione, Latinum Turcarum, Turcicum Romanorum Imperatori transmittatur. Actum in Castris Ottomannicis, juxta pagum Vasnar X. Augusti. Anno MDCLXIV.

Et quanquam pax ea neque Hungaris placuit, neque Germanis, qui sine ulla cum Imperio consultatione pactis contrariam, certè immaturam eo tempore causabantur, quò plura spondebant bravia Victores exercitus, tot impendiis, molestiisque collecti. Suas tamen Cæsar rationes habuit compositionis accelerandæ: Timor, ne si *Veneti* prævenirent,

52. *Pax multis ingrata.*

Cur à Cæsare accepta-ta.

1664. rent, tota belli moles uni sibi incumberet. Ætas *Philippi* Hispaniarum Regis quotidie fatiscens. Interque eos armorum sumptus maligna annonæ ex *Hungariâ* suppeditatio, & ingens subsidiorum ex Imperio difficultas.

Deserto igitur *Vagâ* militem variè dispescunt. Cæsareus in Insula *Schutta*: Circulares & Confœderatorum ad *Muram* aliquamdiu substitêre. Quo tandem domum & illo in limitaneas Hungariæ Urbes, terrasque hæreditarias dimisso, *Directores* Viennam revertuntur.

53. *Controversia Erphordiensis.* Controversia jamprìdem erat *Joanni Philippo*, Moguntinæ Sedis Pontifici, cum *Erphordiâ* Civitate. Isthic solitæ fuerant preces, pro istius Ecclesiæ Septemviro, ante motus bellicos, è suggestibus recitari, uti passim in Germania pro Principibus observant Ecclesiastes. Has dudùm expunxerat Civitas, obtendens pugnare cum conscientiæ & religionis libertate. Elector jam sub annum seculi quinquagesimum, quando pacem in Germania exequebantur Commissarij, à Cæsare obtinuerat decretum, mandatumque, ut igitur facerent eâdem, quâ ante bellum, intentione & modo. Cumque formulam callere se negarent *Erphordiani*, geminatâ post decennium Cæsaris Commissione, nova cuditur, offerturque. Hanc ad Senatum refert

Lim-

Limprechtus inter Quatuor-Viros primus, quam & ipse, & potior pars gratam, ratamque habet. Plebs initiò quidem nec invita, sed paulò post ab aliis persuasa, non tam preces Civium, quam jura Civitatis quæri, tumultuans contradicit. Imperator metu præjudicij Cives eximit, ac severè mandat obsequélam. Seditiosior interim populus *Limprechtum*, falsi insimulatum, carcere & morte, plures exilio multat. Cæsar arctiora & pœnas frustrà comminans obstinatiorem quotidiè Civitatem demùm proscribit. Cumque sub Octobrem anni proximè evoluti, Fecialis de more Imperij proscriptionem denunciaret, & is insuper, spretâ Cæsaris Majestate, inter verba & verbera contumeliosè habetur. 1664.

Joannes Philippus, qui veterem Ecclesiæ Moguntinensis gloriam tot nuper bellis propè obsoletam indies renovabat, certus jam haud alio quam armorum rigore posse rem confici, cum *Christophoro Bernardo*, de redigendâ in ordinem *Erphordiâ*, sub id tempus Ratisbonæ pluries egit. Erant ij duo, si qui alij per Germaniam, mutuâ fide, amicitiâque Principes conjunctissimi. Hanc uterque necessitudinem continuatis Legationibus, communicatis consiliis, collatis viribus sanctè observabat. Decretam tunc obsidionem, ratus Elector nunc exequi opportunum esse, Confœderatorum opem implorat. 54. *Moguntinus & Monasterienſis quanti amici.*

Ludo-

1664. 55. *Erphordia subjugatur.*

Ludovicus Galliarum Rex, Societatis Caput, quater mille peditum, & equitum quingentos Duce *Pradelio* suppetias mittit. *Christophorus Bernardus* armatos sesqui mille cum tormentis ac mortariis designat, qui Ductore *Plurenio*, sub exordium Septembris, auxiliares Moguntino se sistunt. Accedebant ad hos Lotharingicæ, & ipsius Octoviri Legiones. Iis armatus copiis *Joannes Philippus*, auspicio *Pradelij* Civitatem obsedit, & tandem pauca deditionis capita pactus, Idibus Octobris ità Moguntiæ subjecit, ut Senatus, Populusque Erphordiensis, quinto Kalendas Novembris solenniter intranti supplex debuerit in propatulo, flexis genibus, veratorum veniam deprecari, & in concepta verba perpetuam Moguntinæ sedi obedientiam jurare.

Joannis Philippi Electoris Moguntini laus.

Ortus erat *Joannes Philippus* ex illustri *Baronum de Schônborn* familiâ, uti Germanicam inter Nobilitatem pervetustâ, ita nec paucorum sago pariter ac togâ virorum excellentium nutrice. Jam tùm anno seculi præsentis quadragesimo secundo per electionem successerat *Francisco Hatzfeldio*, Bambergensi & Herbipolensi Episcopo, in Herbipolitanâ Cathedrâ & Franconiæ Ducatu. Deinde quinto post anno, in locum *Anselmi Casimiri Wamboldi* suffectus Archi-Præsul ac Septemvir Moguntinus. Demùm etiam, ne quid

quid numero dignitatum deesset, sub annum sexagesimum tertium, *Hugoni Everardo Comiti-Cratzio* Episcopo Wormatiensi per postulationem surrogatus. Hanc ille Principatuum trigam incomparabili prudentiæ, justitiæ, ac magnificentiæ laude sustinuit semper. Nec minore zelo rem ubique sacram promovit. In publicis Imperij negotiis, inque Electorali ac Principum Collegio, authoritas Ejus & consilia identidem plurimùm valuêre. Quas possedit terras, ad immortalem nominis sui gloriam rexit, propugnavit ac propagavit. Anno tandem ætatis hujus septuagesimo tertio fatis concessit laborum ac meritorum plenus; Sed cum subditorum omnium, imò Germaniæ totius, & inprimis *Christophori Bernardi*, ingente luctu ac mœrore. 1664.

Meruit autem à viro, dono prophetiæ & sanctitatis notâ claro, superstes adhuc erudiri, haud remotum tempus esse, quo de gente *Schônborniâ* Moguntina Sedes gauderet iterùm possessore. Hujus nos prædictionis veritatem experimur his diebus, dum *Joannis Philippi* ex Fratre Nepos, Eminentissimus Princeps *Lotharius Franciscus*, Imperialis Ecclesiæ *Bambergensis* Antistes, unanimibus pronuper Summystarum Collegij Metropolitani votis, postulatus Coadjutor, nunc dum præsens hæc pagella sub prelo sudat, post fata *Prædictio de Nepote Lotharii Francisco.*

Ansel-

1664. *Anselmi Francisci Ingelheimij*, cum Orbis applausu, & incredibili Germanorum omnium congratulatione, salutatur Successor *Archi-Episcopus & Elector Moguntinus, Germaniæ Primas.* Cujus herôicæ virtutes bonorum animis spem ac fiduciam ingenerant, firmamque, lecturum Patrui vestigia, & inter eos præsentium temporum calamitates (quibus ista præ multis vicinia miserè premitur) non solùm afflictis futurum præsidio, sed & jacentes etiam, cum aureæ pacis fructu, fortiter erecturum.

56. *C. Bern. à Cæsare donatus.* Nunc ad *Christophorum Bernardum*, per eos dies adhuc Viennæ commorantem, calamum reducamus. Dum quotidie abitum parat, frequens illi antè cum Ministris Augusti sermo: at suspecta multis secretior conversatio ipsum inter & Hispaniarum Regis Legatum. Interim abiturientem aureâ Cæsar cruce donat, pretiosis distinctâ adamantibus, magniq́ue æstimatâ: quam Basilicæ Monasteriensi & in Episcopali Cathedrâ Successoribus legavit postcà testamento. Et quoniam congiariis pluribus tunc concinnandis temporis angustia non sufficiebat, haud modicam pecuniarum summam pari liberalitate Cæsar offert, ceu donativum inter eos, quos de Hungaricâ expeditione meritos judicaret, Principis arbitratu distribuendum. Idibus Novembris Imperatori valedicit: postero

Discedit Viennâ.

ſtero die, qui anniverſarius erat electionis ſuæ, ſolennitate feſtivâ peracto, *Viennâ* diſcedit. Abeuntem in terris hæreditariis Cæſar pro dignitate habet. *Erphordiæ* Moguntinus Elector adventantem præſtolatus, magnificè excepit, deduxit, eduxitque; & actis iterùm gratiis, quod concurrente amici Principis conſilio, auxilioque Civitate vel ita potiretur, inter amplexus ab invicem diſceſsêre. Indè Corbeiam profectus, ſub Decembrem feliciter *Monaſterium* revertit. Quando Ottoni Henrico *Korff* condicto *Smiſing* Præpoſito, menſe nuper Octobri, in arce *Ludinghuſanâ*, præmaturè extincto, Guilielmus *Baro Furſtenbergius* plurium Canonicorum ſuffragio ſurrogatus in æde Cathedrali Neo-Præpoſitus ſalutabatur.

1664. *Excipitur Erphordiæ.* *In Weſtphaliam redit.*

1665.

Annum nunc ingredimur, cujus initium terrori, finis ſtupori fuit Orbi Europæo. Id Cometes incuſſit per eos dies viſus; hoc bellum creavit, unus quod Epiſcopus, Batavorum Reip. tam potenti inferre vindex, auſus fuit; temeritatis an prudentiæ notâ dignior, uti pro ſuo multi affectu variè arbitrati ſunt, ego poſtquam cauſas, eventaque narravero, æqui Lectoris judicio relinquam.

57. *Cometæ viſus.*

58. *C. Bern. intendit ſecuritati patriæ.*

Antè oculos *Chriſtophori Bernardi* continuè verſabatur nupera expugnatio arcis *Dylerianæ*, & litteræ Batavotum, quæ contra Turcas proficiſcentem anno proximè lapſo ſecutæ,

1665. tæ, quindecies centena millia florenorum depoſcebant, ac ſeveram in ſolutio curarent brevi, executionem minabantur. Id interpretatus belli cauſam, indubiè ſecuturi, quando voluntati opportunitas ſola præſto eſſet, ſollicitus identidem animo volutabat, quo tandem viâ ſe, ſubditosque ſuos eximeret periculo, redderetque ſecuritati. Et quamquam læſum à Batavis Imperium indignè ferentes, Principum plerique, vindictam ſuſpirabant; quod tamen auxiliorum inde difficultatem, & facilem animorum mutationem expertus ſciret, nihil ab iis ſperare voluit, præſertim tempeſtate, quâ plures commodis Batavorum intentos, & Cæſarem bello nuper Turcico fatigatum non ignorabat. Aliaque tur excutienda quercus fuit.

59. *Laborat de redintegrando Circulo.*

Jamdudùm, nec ſemel decreverant *Circulorum* redintegrationem Ordines Imperii. Id tametſi Weſtphaliam præ cæteris ferè tangebat, non una parte mutilatam; quorumcunque tamen conatuum hactenùs remanſuerat Controverſia *Juliacenſis*. Abannoquippe nono præſentis ſeculi, quo *vivere deſiit Joannes Guilielmus* ex linea Marcana poſtremus Juliæ, Cliviæ & Montium Dux, cura *Directorij* ſoli ferè Epiſcopo Monaſteriensi incubuit. Nam etſi Con-Director erat Juliæ Princeps, & eſſe iſto nomine prætendebat Dux *Palatino-Neoburgicus*, tanquam Ducatûs illius

Ejuſq; Directorie.

istius Possessor; id tamen permittere noluit 1665.
Brandenburgicus Octovir, qui Cliviam possidebat. Neutrum interea agnoscebat Imperator vel Imperium; obstante pariter Domo *Saxonicâ* & *Palatino-Bipontinâ*, qui par aut potius jus in hos quoque Principatus obtendebant. *Christophorus Bernardus* eâ jampridem sollicitudine trahebatur, quo tandem modo *Brandenburgicum* Electorem ac *Neoburgicum* Ducem, magno Circuli damno, tot annis ita dissidentes conciliaret. Aliquandò *Ratisbonâ Neoburgum* profectus erat, ut *Philippum Guilielmum* Juliæ Ducem & ideò difficiliorem disponeret, traheretque in partem suam. Utrumque nunc Principem flexerat, ut instituto *Durstenæ* conventu, se potissimùm arbitro, iis super difficultatibus ageretur. Nec suo caruit successu cœpta tractatio. Nam per eos dies inter Principum Legatos isthic conventum est, ut cum Episcopo Monasterienſi æquè posthac *Brandenburgicus* Octovir ceu *Cliviæ*, quam *Neoburgicus* Dux, ceu *Juliæ* Princeps, Circuli Directorem agat, ita tamen, ut Monasterienſi salva semper maneat omnis prælatio. In Comitiis verò, aliisque negotiis Circularibus, uterque Princeps per dies, vicesque alternet; unumque duntaxat suffragium, sed alterum ferat Monasterienſis. Communicato semper consilio, conjunctisque viribus singula

Felici successu.

1665. expediantur. Si votis discordes sint Princi-
pes, nec possint tentati sensus coalescere, li-
ceat Monasteriensi, sno ad alterutrum acces-
su, creare unitatem. Quæque de metho-
sedendi, scribendique, & id genus plura
rant, enucleatiùs omnia confecere. Ac
ita *Christophorus Bernardus* isthoc *Dur*
tractatu, adnitente cumprimis operâ *Wie*
bruckij, viam stravit compositioni perpe
quam post tot annorum contentiones, in
dibili Provinciarum, Patriæ nostræ, Lætæ
Principes, Vere proximo, Clivis pacti su

60. *Circulus Westphaliæ mutilatus.*

Jamque Circulo utiliter consultum ra
de ejusdem redintegratione laborare cœp
Magnam enim partem præsens inprimis
culum avulserat; nec præ tribus hisce Prin
pibus ità quisquam læsus videbatur. *We*
liam, Embricam, Resam, Orsovium, Bud
cum, Gennepianam arcem, *ac fortalitiu*
Schenckianum Cliviæ Ducis Civitates, muni
mentaque, ac *Ravesteinium* Juliæ Princip
oppidum, suis Batavi præsidiis insidebant
Ac præter hæc privatis sæpè incommodis la
cessitum se doluerat Brandenburgi Marchio

Principibus calcar vindicationis.

Et nuper à præsidiariis *Trajecti ad Mosam* e
jectum è Castro *Leuth* militem suum Cæsari
Regi Galliarum, sociisque Principibus que
stus erat *Neo-Burgi Dux*, Decretum Tribu
nalis Imperij, Cæsaris jussu executus; imò &
eodem tempore Ministris, bonisque *Rave*
stei

steinianis, mandato Batavorum, manus injectæ erant. Ut sanè non tam publica Circuli, quam privata statûs cujusque commoda, judicaret *Christophorus Bernardus* imponere necessitatem sua vindicandi. Ne Castellum *Dylerianum*, *Lierorthum*, ipsamque *Embdam* Orientalis Frisiæ loca, à Batavis etiam insessa tangamus, suam ipse *Borculoam* jam dudùm repetebat. Et quanquam initiò pariter animi Principum in idem propendére, inque belli societatem proclives visi sunt, nec modicum id armandi se *Christophoro Bernardo* calcar fuit, mihi tamen non satis compertum aut integrum erit dicere, quid posteà causarum ab eo proposito mentes alienârit. 1665. *Contra Batavos.*

Intereà *Carolus Magnæ Britanniæ Rex* bello navali Unitum Belgium infestabat. Id *Franciæ* Monarcha perquam ægrè intuebatur; cui dum frequens illud tum *Ratisbonæ*, tum *Viennæ Christophori Bernardi* cum Cæsare, & Hispani Regis Legato commercium, quique tunc scintillabant, conatus suspecti erant, vel idcircò Confœderatis etiam Principibus asserebant authorem esse, ne quis Monasteriensi suppetias ferret contra Remp. Batavorum. Inter eam undequaque difficultatem diu vacillabat *Christophorus Bernardus*, capiendá-ne arma, an animus ultor ponendus esset. Hoc suadebat potentia Reip. Regibus etiam formidabilis; sociorum tergi- 61. *Fluctuat C. Bern.* *Rationes quæ dissuadebant.*

1665. versatio; propriarum virium debilitas; quies subditorum. Deliberantem contra stimulabat vulnus anni superioris, adeò recens; perpetuus, ex æris tanti postulatione, minæque Batavorum, seu belli, seu excidij pavor metus; quodque vim à se parari in Hollandiam jam fama pertulisset, firmatus timor, dum ab Anglico bello datum esset respirare conatum hunc Batavi certiùs ulciscerentur. Si vindicari unquam injuria, ac quæri securitas debeat, opportunissimum nunc fore, cum bello maritimo Resp. involvatur: nisi enim mari impetantur, nunquam Batavis tutò nocceri posse. Nec propterea tanti jam Eorum potentiam æstimari terrâ oportere, quæ ab adversario tam potente, salo distraheretur; præsertim cum Civitates etiam, vicinaque munimenta, præsidiariis classi impositis, passim nudata, nec iis de annonâ, deque bellica supellectile satis prospectum esset. Socios, si quidem juvare nolint, certè non obfuturos. Néque prudenter timeri posse patriæ ruinam, cum interesit Europæ propemodùm totius, ne pereat, aut in Batavorum, aliorúmve potestatem labatur Principatus Monasterienſis. Præstare demùm, bello licet ancipiti quærere securitatem, quam continuos inter periculorum æstus incertum semper, anxiúmque fluctuari. Sed & secunda sponderi à Britanni-

Quæ persuadebant.

cà

câ ſocietate, à liberali pecuniarum ope, à favore pacis poſteà ſecuturæ. 1665.

62. *Conſulto Capitulo Cathedrali.*

Ardua res erat, à cujus eventu Principis & Patriæ pendebat ſalus. Ne quid verò temeriter ipſe ſolus egiſſe, poſteà culpari poſſet, cum Senatu Cathedralitio conferendam judicavit. Quò ſecretior autem tractatus maneat, nonnullos è gremio deſignari vult, qui conſulta, ſi quidem ità viſum fuerit, comprobandi poteſtate gaudeant, nec quidquam ad Collegium palàm referre teneantur. Id quod etiam utrobique placuit. Congregatis itaque de Collegio primoribus, mentem ſuam *Chriſtophorus Bernardus* aperit; hinc periculum Diœceſis, indè defenſionis neceſſitatem probat; nec eſſe præſentius hodiè medium, quam ſi cum Britanno Rege, ineatur fœdus, & armis tandem, Provinciæ ſuæ, ſubditiſque ſecuritas aſſeratur. Dum ij propoſitum laudant, & fauſta quævis comprecantur, mox *Henricus Alexander de Wreden* Canonicus Mindenſis, Pro-Tribunus, & Aulæ Præfectus in Angliam clàm expeditur, qui cum *Carolo* Rege fœdus componat. Et is paucis diebus poſtquam Londinum appulſus erat, rem totam, *Arlingtono* interprete, celeriter abſolvit, atque hanc cum Rege Confœderationem pactus eſt.

Decernitur.

Et operâ Vredeni pangitur

1665. 63. Fœdus Anglico-Monasterienſe.

Notum ſit hiſce tabulis, quod inter Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum D. CAROLUM Secundum Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regem, Fidei Defenſorem, &c. ab unâ, ac Reverendiſſimum & Celſiſſimum Dominum, D. CHRISTOPHORUM BERNARDUM Epiſcopum Monaſterienſem, & Sacri Romani Imperii Principem &c. ab altera partibus mutuum fœdus initum ſit ſequenti modo.

Cum nimirùm Celſitudo ſua Reverendiſſima plurimis fœderatarum Belgij Provinciarum vexata contumeliis, injuriisq; laceſſita, Majeſtati ſuæ per Generoſum Virum Dominum Baronem Henricum Alexandrum de VVreden Vice-Colonellum & Conſiliarium ſuum bellicum ſignificaverit, ſe paratam Eandem ferro ultionis exercituq; viginti millium Peditum & decem millium Equitum, impetum in Dominorum Reipublicæ Unitæ Belgij facere, eaq; hoſtili modo infeſtare, ideoq; fœdus & amicitiam cum Majeſtate ſua inſtituere, certamq; pecuniam cùm ad conſcribendum & alendum militem, tum ad reliquos belli apparatus deſideraverit, Majeſtas ſua ſe hiſce fœdus cum Celſitudine ſua Reverendiſſima inire teſtatur, ejusdemque leges ſanctiſſimè obſervaturam profitetur, promittitque Verbo Regis, ſe pacem cum fœderatis Belgij Provinciis non inituram, niſi datâ Celſitudinis ſuæ Reverendiſſimæ Conſilij notitiâ, habitâque hujus fœderis

fœderis & Celsitudinis suæ Reverendissimæ utilitatum & securitatis ratione; spondet etiam Celsitudo sua Reverendissima inconsultâ aut abnuente suæ Majestate, pacem seu nullam, nec inducias cum prædicta Republica facturam.

In stipendia prædicti Exercitus viginti millium Peditum, & decem millium Equitum (quem intra duos menses paratum, omnibusq; rebus instructum fore promittit sua Reverendissima Celsitudo) in rem tormentariam, reliquosq; belli apparatus, quingenta Imperialium Dalerorum millia Londini numerari jubebit sua Majestas, cambio, Majestatis suæ sumptibus, in Germania consignanda Hamburgi, Antverpiæ, Coloniæ Agrippinæ, Lubecæ, vel Francofurti, quoad commodè fieri poterit, quæ pecunia in sumptum trium mensium Junij scilicet (hujus anni) Julij & Augusti proximè insequentium erogabitur, primaq; pensio ducentorum Imperialium Dalerorum millium fiet mense Junio, secunda centum quinquaginta Dalerorum millium mense Julio proximo, tertia centum quinquaginta Imperialium Dalerorum millium insequente mense Augusto. Idq; bonâ fide & bonâ monetâ. Omnes verò prænemoratæ summæ solventur vel Reverendissimæ suæ Celsitudini, vel iis, quibus accipiendi pecuniam potestas à Celsitudine sua Reverendissima data erit. Quod ad reliquũ tempus attinet, in singulos menses, quamdiu bellum de communi sententia geretur, quinquaginta Imperialium Dalerorum millia eodem modo Majestas sua numerari curabit.

Quod si Serenissimus Elector Brandenburgicus, aut Celsitudo sua Neo-Burgica separatim hujus confœderationis particeps esse voluerit, bellumq; intra prædictum duorum

mensium tempus, sociatis cum Reverendissima sua Celsitudine viribus, cum prædicta uniti Belgij Republica venire, tum media parte hujus pecuniæ contenta erit sua Reverendissima Celsitudo altera medietas Majestati suæ numerabitur.

Si verò sua Celsitudo, Electoralis Brandenburgica, & Celsitudo sua Neo-Burgica bellum hoc simul aggrediantur, tum Reverendissima sua Celsitudo non ultra tertiam partem prædictarum summarum desiderabit, reliquæq; pecuniæ Majestati suæ ratio constabit, quæ pro rata portione pecuniæ, & militum, prædictis Principibus in hoc fœdus coëuntibus numerabitur, habita etiam temporis ratione, quo dictum bellum prosequentur.

Si verò Rex, Princeps ve aliquis aut Respublica, ratione hujus fœderis, jam, olimve, bellum Celsitudini sua Reverendissimæ inferre, aut negotium ullum facessere voluerit, Majestas sua eidem adesse, perpetuamq; tutelam (Guarantiam vocant) præstare spondet, quam pariter Guarantiam, & de non ineundâ pace promissum, Celsitudini sua Electorali Brandeburgicæ & Celsitudini suæ Neo-Burgicæ offert, præstabitq; sua Majestas, nec-non pecuniarum subsidium, quale Celsitudini suæ Reverendissimæ promittitur, si fœderis hujus participes, bellumq; adversùs prædictam Uniti Belgij Rempublicam suscipere velint. Hæc sanxerunt nomine Majestatis suæ Vir illustris Henricus Baro de Arlington Majestati suæ à sanctioribus consiliis, & primarius Statûs Secretarius, nomine verò Celsitudinis suæ Reverendissimæ Generosus Dominus Baro Henricus Alexander de VVreden Vice-Colonellus, & Consiliarius Celsitudinis suæ Reverendissimæ bellicus, eaq; quam-primum ratifi-

ratificata fore, & à Majestate sua & à Celsitudine suâ Reverendissima, Capitulóque Monasteriensi invicem promittunt. In quorum fidem hæc subscripserunt & sigillis suis munierunt. Londini 13. (3.) die Junij Anno Domini 1665.

Arlington.

(L.S.)

Henricus Alexander Baro de VVreden.

(L.S.)

Nos igitur CAROLUS DEI gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defensor &c. Superiùs expressos & Fœderis instrumento insertos articulos, tanquam ad mandata nostræ confectos, in omnibus suis clausulis laudavimus, approbavimus & ratihabuimus, quemadmodum vigore harum Eosdem laudamus, approbamus & omni meliori modo ratihabemus, spondentes Nostro nec-non Successorum Nostrorum nomine, ac Verbo Regio, Nos inviolabiliter eos servaturos & impleturos. In quorum fidem majorem, his præsentibus manu propriâ subscriptis magnum Nostrum Angliæ sigillum apponi fecimus. Actum apud Palatium nostrum de VVhithall, vigesimo primo die mensis July Anno Domini 1665.

Carolus Rex.

(L.S.)

At vix inierat eam cum *Carolo* Rege societatem *Christophorus Bernardus*, quin statim & plurimis simul locis, *Hamburgi*, *Lubecæ*, *Francofurti*, *Moguntiæ*, *Coloniæ* & cumprimis in *Belgio Hispanico* institueret militum delectus. 64. *C. Bern. conscribit exercitum.*

1665. ctus. *Ostendam* interim appulerat *Londinensis* oneraria, attuleratque ingentem stanni vim, quod cum auri, argentique laminis citò commutatum fuit; quæ dum Monasteriensi Commissario in Belgis commoranti clam traduntur, officinis monetariis creditæ, ac nummi ex iis, Hispaniarum Regis typo, cui sunt. Et hi inter Tribunos isthic ocyùs distributi, opportunè serviebant militi authorando: qui magno undique numero ad signa Monasteriensis Episcopi etiam ultrò confluebat.

Varius de eo sermo.

Hactenùs adhuc Britannicum fœdus occultum erat. Propterea incertum, quo demùm erumperet tantus armorum apparatus. Conficiebant nonnulli, negotium esse *Austriacorum, Hispanorúmve*, cum quibus *Ratisbonæ* nuper ac *Viennæ* pluribus egerat quotidie *Christophorus Bernardus*; vel ex eâ firmati causâ, quod sub idem tempus *Galliarum* Regis nomine scriptum prodiret, quo Reginæ, ceu Primo-genitæ Hispaniarum Infanti, jus in Belgium asserebatur. Nec aliud ipsa sub initium Gallia credidit. Alij verò, Monasteriensis arma, in *Oest-Frisiam* parari; à qua anno superiore tam enormiter læsum esse constabat. Plurimi nihil Episcopum contra Remp. adeò potentem ausurum. At verò, dum Anglicum intereà fœdus Galli penetraverant, sublatâ sic omni dubietate quivis facilè

cilè assentiebatur, hanc ab offenso Principe solis Batavis fabam cudi. 1665.

Auctâ ex eo Provinciarum consternatione, quæ ab Anglis navali bello plurimùm hac æstate passæ erant, tam apud Hispani Regis Legatum Comitis-Hagæ, quam Belgij Neo-Gubernatorem *Marchionem de Castel-Rodrigo* Bruxellis Ordines conqueruntur, isto in tractu permitti militum delectus, qui Remp. suam oppugnaturi credantur, & id amicæ viciniæ legibus adversari. Quod tametsi uterque pernegabat, imò ipsius etiam Reip. exemplo, æquè Monasterienſi, ac Batavis concedi posse, utrinque scilicet amicis: ut constans tamen necessitudinis vinculum etiam sinceriùs probent, non in *Gelriâ* tantùm, sed cæteris etiam Provinciis Regiis, contestantur severè inhibitam esse omnem militis conscriptionem: quin & Magistratibus locorum, & militiæ, arciumque Præfectis, eâdem severitate imperatum, ut in authores inquirant ocyùs, ac cum rigore animadvertant; & ut nihil non serium sit, senos significant Bruxellis carcere jam attineri, qui dignam factis pœnam luant. Nec enim alium Hispano Regi animum esse, quam ut omnis ipsum inter & Remp. amicitiæ nexus perquam sanctè colatur. 65. *Ad quærelam Batavorum.* *Prohibentur in Belgio Hispanico delectus.* 66.

Increduli nihilominùs Ordines Batavorum, suo apud Regem in Hispaniis Oratori præ- *Eorum ad Cæsarem epistola.*

1665. præterea injungunt, ut querelam isthic in aulâ geminet; Ipsimet verò hoc interim epistolium ad manus Imperatoris, Viennam deferri curant. *Non potuimus diutiùs Cæsaream Majestatem Vestram celare, quotidiè è variis Germaniâ, & præcipuè ex Monasterienſi tractu, nuncios ad Nos afferri, de ingentibus belli apparatibus & delectibus militum, qui non longè a finibus nostris instituuntur, & qui in Nos si constantibus undequaq; rumoribus credendum est, ducendi sunt. Quanquam verò meliora potiùs sperare, quam quibusvis rumoribus fidem statim adhibere malimus; tamen cum tanti motus & apparatus bellici nihil boni augurari permittant, & primò vicinas gentes, deindè non universam modò Germaniam, sed magnam etiam Europæ partem, tanquam contagione aliquâ, tumultibus ac turbis, & mox dissidiis ac bellis, involvere possint: unde nihil aliud, quam vera omnium malorum Ilias pullulare & communis Christiani nominis hostis compendium promoveri potest. Idcirco è re esse censuimus, Cæsaream Majestatem Vestram amicè rogare, ut malis istis in tempore obviam ire, & opportuna remedia adhibere velit, eoq; curas suas intendere, ut amicitia, quæ Nobis semper cum Cæsareâ Majestate Vestra & Imperio Germanico interceſſit, sarta tecta conservetur. Neq; Nos intermissuri sumus, illud mutuis officiis Cæsareæ Majestati Vestræ, non oblatâ solum, sed etiam*

etiam quæsitâ occasione rependere. Quod superest, DEUM OPT. MAX. Statorem, Vindicemq; Imperij Vestri ex animo precamur, ut Cæsaream Majestatem Vestram diu servet incolumem ac sospitet. Dabantur Hagæ in Batavis 19. Aug. 1665. 1665.

Ad has cum nihil responderet Imperator, in Gallias se vertunt, & si terrâ bello impeti contingat Remp. Regis auxilia implorant, qualia lege fœderis asserebant deberi. Rex tametsi Anglicam cum Monasterienſi societatem jam doctus, nec dum tamen ex toto fidebat, quod suspicionem augerent quotidiani favores Hispanorum. Oblatâ igitnr satisfactione pacare Monasterienſem studet, si *Borculoa* restituatur. Id per Oratorem suum *Hagæ*, & ipse apud *Beuningium* Reip. Legatum in Galliis urget; enimverò nimis evidens esse ac liquidum jus Monasterienſe in *Borculoam*. Desiderare se non minùs, ut hanc Monasterienſi Principi restituant, quam *Rhenobercam* Electori Colonienſi, quò certiùs & is ab hoc bello abstrahatur. Sollicitus namque Rex erat, ut subducto fomite restingueret ipsis in cineribus favillam. 67. *Implorant Regem Galliarum.*

Christophorus Bernardus de mente Regis certior *Parisios* ablegat Fridericum *Smisingium* Equitem *Melitensem* & *Francofurti* tunc Commendatorem: *Berolinum* verò ad Fridericum Guilielmum *Brandenburgicum* Electorem, 68. *C. Bern. varios ablegat.*

1665. ctorem, *Brabeckium* Decanum, ut hunc a tractatu nuper *Durſtenſi*, illum verò vi fœderis *Rhenani* in belli ſocietatem trahat. Ipſe interim per *Nagelium* ſollicitat animum *Waldeckij* Comitis, cujus virtutes, artesque bellicas expertus erat in *Hungariâ*, ut illum exercitui ſuo imponat. Verùm is non ſolùm recuſavit ſe, qui *Culenburgum*, aliasque ſub Regis ditiones poſſideret adeoque impediri adversùs eam militare; ſed & hanc Epiſcopi Monaſterienſis intentionem mox Ducibus *Luneburgicis* detexit; qui & ejusdem ſtudio cum Batavis contra Monaſterienſem ſtatim fœdus pacti ſunt, & illum ſuæ Ducem militiæ creârunt.

Fruſtrà ſollicitat Waldeckium.

Et Bournevillium.

Hoc igitur loco fruſtratus, cum Duce *Bournevillio Valencenatum* in Belgio *Gubernatore* convenit. Nec is tantùm *Chriſtophoro Bernardo* ſe obſtrinxerat, ſed convalatas etiam navibus res, ſarcinasque ſuas, in Weſtphaliam perferendas jam deſtinârat, ipſis propediem ſecuturus. At verò, dum quotidiè Batavi criminantur dubiam Hiſpanorum fidem, & apertos in Belgio delectus; ne permittendo Ducem hunc ad Caſtra Monaſterienſia tranſire, ſuſpicionem intenderent; quando *Bruxellis* diſcedere meditatur, juſſus eſt gradum ſiſtere: nec enim pati Regem poſſe, ut tantus Miniſter, hoſtilis contra Remp. amicam exercitûs Ducem, ſegereret, cujus

cujus operâ haud multò etiam post domi fortasis opus foret. 1665.

69. *Creat Archistrategũ.*

Ergò iterùm falsus, cum è Germaniâ interim & Belgio, finitimisque locis multus quotidiè miles in Westphaliam duceretur, & jam tum justus plurium millenorum exercitus crescceret, debuit qualem, qualem etiam creare Archistrategum. Quod enim *Gorgassius* nollet *Plurenio* cedere, & minùs ab eodem gubernari; nec pauca militiæ tractentur, quæ personam infulati Principis minùs decent, alium à se debuit eligere, cui præfecturam demandaret. Per eos dies opportunè aderat *Georgius Christianus* Princeps *Hasso-Homburgensis*, qui in Hispanicis, Gallicis, Germanicisque bellis jampridem exercitatus, probatusque, eâ se honorari functione non dedignabatur. Et commendabat Heroem ipsius Domûs *Hassicæ* splendor, è quâ tot viri fortes, facesque bellorum hoc adhuc sæculo prodierant, ut vel eò promptiùs huic Duci miles omnis pariturus crederetur. Hunc igitur militiæ suæ, Castrorumque Præfectum adoptavit. *Principem Hasso-Homburgensem.*

70. *Gallia adversatur.*

Interea suppetiæ, quæ *Parisiis*, Moguntiâ, *Berolino, Bonna, Dusseldorpio* hactenùs dubiè sperabantur, quotidiè magis evanescebant: quod *Ludovicus* Rex hac tempestate nollet terrestri bello Remp. infestari; & *Brandenburgicus* Octovir, quem plures quidem causæ

in

1665. in armorum societatem trahebant, à nonnullis persuaderetur, longè posse utiùs eo in turbido hodie piscari.

In Galliis interim urgebat *Smisingius* Commendator, ut auxilia mitterentur Principi suo; Ad hoc enim Christianissimam Regiam Majestatem lege fœderis obligari; secundum cujus nimirùm verba spopondisse. *Quandocunq; Confœderatos, seu Eorum ditiones, ubicunq; sitas in Germania, hostiliter invadi; vel stativis, exactionibus, transitibus violentis, seu executionibus militaribus, aliisve factis, aut pressuris quovis modo gravari contingeret, Confœderatis se tum conjunctim, tum seorsim singulis adstiturum.* His omnibus lacessitum, presumque à Batavis Præsulem Monasteriensem, Ejusque Principatum, quando Castellum *Dylerianum* anno præcedente expugnârint. Rex quanquam controvertere id noluit, quod tamen æquè antiquiori, ac recentiori fœdere nexum se Batavis, imò & arctiùs adstrictum fateretur, & iis jam antè adventum Ablegati subsidia postulantibus addixisset; si quidem suam Orbi fidem probatam velit, non posse non respondit sponsam iis opem præstari. Et omninò fore absonum, si utrique suppetias mitteret, atque ita in hostili utrinque exercitu conspicerentur auxiliares Gallicanæ, quæ mutuis semet prælis configerent. Instante iterùm *Smisingio*, ut

Et succurrit Batavis.

ut ergo neutri Rex subveniret; id enim non minùs excusari posse apud Batavos ex Rhenanâ, quam apud Monasterienſem nunc excuſetur ab Hollandicâ Confœderatione: conſtantiam mentis ſuæ & promiſſi teſtatur Rex. Orat igitur Ablegatus, meminiſſe tandem velit Majeſtas ſua, quâ ſe religione Confœderatis Germaniæ Principibus obligârit; Verba fœderis eſſe; *quod ne quidem contra ſocios, ſed nec contra vel in Imperium, aut Electores, Principesq́, aut eorundem Provincias, terrasq́, hoſtiliter incurſare, aut hybernis, contributionibus, aliisve quibuscunq́, exactionibus bellicis gravare, easque nullo alio modo turbare velit.* Quâ fide Batavis ergò ſuccurri, copiisque Regiis Præſul Monaſterienſis, ejusque Principatus invadi poſſit? Verùm tenax propoſiti Rex recentioris cum Rep. fœderis ſanctitatem objicit; dein ſecretò Ablegatum rogat, quo ipſe animo poſſet ſuccurrere Principi, qui tùm *Viennæ*, tùm *Ratisbonæ*, Auſtriacis, Hiſpanisque, conſilia, neſcio quæ, ſuggeſſerit ſoli Franciæ exitioſa? Ea omnia, quantumvis tectè putentur acta, ſecretò ſibi confirmata ex aulâ *Madritenſi*. Cum his conſpirare, quod ære nunc Hiſpanico, certè typi Hiſpaniarum Regis militem conſcribat. Scire ſe, qui Tribuni, qui Centuriones, imò quot Decuriones ac gregarij è præſidiis Hiſpano-Belgicis Monaſterienſi militiæ nomen dederint. 1665.

Multa ſuſpecta habet.

1665. rint. Hæc unius non esse conata Episcopi, sed veriùs longè aliò collimare. Atque ita quidem moveri se, ut tametsi minùs dubitet, si quando forsan jure suo adversus Belgium utatur, infensiorem sibi hostem præ Batavis neminem fore; non debeat tamen ipse hodie non probare sponsam fidem, & expectare aliquandò à Monasterienſi certiorem. Interea suadere pacem, & honestas authore se conditiones; de quibus cum agetur, vix damna posse à copiis suis timeri, quod hybernandi, non pugnandi necessitatem sub hac impositura sit tempestas hyemalis.

Pacem suadet.

71. *Quæ desperata.*

Christophorus Bernardus, dum in Gallia & Germaniâ non tepére solùm, sed & præter omnem expectationem adversari etiam sociios experitur, aliquantisper fluctuat, armane hoc adhuc autumno inferenda, an in proximum Ver suspendenda sint; si fortè per id tempus, Britannum inter ac se, & Batavos, pax æqua componi posset, cujus non minùs, quam & desideratæ securitatis, ac reddendæ ipsius etiam *Borculoæ* spem, Gallia proximam faciebat. Postquam verò in Batavis id frustra tentari compertum habet, & hinc urgetur à fœderis Anglicani fide, & indè ab onere immenso, si per hyemem in solo Principatu suo hospitaretur tantus miles, belli prosecutionem decernit; è re Patriæ ratus, si in hostico hyberna agat, ac tutiùs fore, si quietem

C. Bern. bellum prosequitur.

tem Marte quærat; Nunquam enim majorem affulgere ſpem æquæ pacis, quam cum ſeriò bellum geratur; Neque in eo fruſtrari poſſe, qui *Caroli* Regis potentiæ inniteretur, nec favores *Ludovici* deſperaret. 1665.

Ergo poſtridiè Iduum Septembris ad Confœderatos Belgarum Ordines litteras ſcribit, quibus vindicantis belli cauſas explicabat. Hæc erat earum ſumma. *Futûros indubiè memores commercij litterarum anni ſuperioris. Et quanquam ſperaverat, nequidquam hoſtiliter machinaturos, cum res Friſiæ Orientalis, non Auricæ tantùm & Ratisbonæ, ſed & operâ* Brabeckij *Decani, coram ipſius etiam Reip. Delegatis Hagæ, de novo compoſita eſſet; ut ipſa nuper Hollandia, quando ad ſumptus belli Anglicani contribuendos, Occidentalem Friſiam adigere voluit, ſponte ſit faſſa tantummodo formæ cujuſpiam prætextum defuiſſe. Dolere tamen eò prô dolor! inſperatam irrupiſſe flammam, ut pro illatis tunc injuriis, damnisq;, congruam hodie ſatisfactionem & inpoſterum ſecuritatem debeat poſtulare. Eo fine confugere ſe ad DEUM, conceſſaq; ejusdem propitiatione potentium ſociorum auxilia; ac ſingula præparare, quæ aſſequendo huic ſcopo neceſſaria videbuntur. Non unâ de causâ ad id moveri.* *Cauſas evulgat.*

Immiſcuiſſe ſe Ordines, controverſiæ Liechtenſteinianæ, *Cæſaris ac Tribunalium Imperij*

judicio terminatæ, & executionis commissioni, nullo jure ad Remp. pertinenti. Perperam tutatos Frisium, Imperij Principem, contra Imperatoris decreta, & sub clausulis paratæ executionis ac constituti possessorij, ab ipsomet pactam sponte transactionem.

Aggressos hostiliter Cæsarem, Romanum Imperium, & inprimis Circulum Westphaliæ, ipsumq; se, Principem vicinissimum & Directorem. Principatum Monasteriensem ad aliquot milliarium spatia violento transitu infestasse, in eoq; hospitia ad lubitum designata; fluvios & amnes pontibus stratos; commeatum velut in hostico imperatum; expilatas Nobilium ædes; spoliatum, pulsatumq; imò ustum ignibus in agro colonum; devastatas domos & loca rea; partim etiam exusta: Quin nec ipsi DEO parcentes effracta vi templa, raptumq; quidquid obvium fuerit; sacra lipsana, imò crucem unius Salvatoris nostri JESU CHRISTI, pejore quam Turcarum barbarie, conculcatam; ipsasq; sacratissimas hostias, quas potior Orbis Christiani pars summo cum honore veneretur, sacrilega profanatas.

Ausos denique in ipsis Imperij terris, arcem Dylemburgam, armatâ manu obsidere, tormentisque ac mortariis furiosiùs oppugnare, ac tandem præsidiarios Monasterienses, qui Cæsaris & Imperij nomine fortalitium possidebant, post vulnera, necesq; diversorum expellere, ac suo statum præsidio firmare; atq; etiam ad majorem Germanicæ nationis contemptum illud hodiedùm continuari.

Et hæc omnia patrata esse, priusquam vel terminus ex ære debito solutus, aut pecunia præsens oblata esset. Allegatum cum errore juris axioma. Oblatione pignus solvi;

solvi ; realem eam , non verbalem , legibus requiri.

Nec idcirco Ordinum interfuisse, quod argentum priore termino solvendum, & partem secundi corrogâssent ; cum enim compositio Ratisbonensis multò tolerabilior Oest-Frisiæ, utiliorq; fuerit, haud fuisse istiusmodi sollicitudine opus ; ac propterea præstitisse, si vel suas ipsi pecunias retinuissent, vel cessantis alicujus lucri exegissent supplementum, quam ut ab orsu telæ tam exitiosæ, privatam duntaxat sui, non Frisij Principis utilitatem aucuparentur.

Oest-Frisiam semper ab Ordinibus oppressam esse. In eam ipsos Mansfeldicum olim, & Hassicum nuper exercitum introduxisse. Præsidiis suis Embdam firmâsse & Lierorthum, nota Imperij munimenta. Continuas fovisse Comitem inter & subditos dissensiones. Abusu tutelæ quæsivisse dominatum, & qualis post publicam in Germaniâ pacem hactenùs audita non fuerit, hostilitatem sibi & ipsi Imperio intulisse.

Eam se offensionem, oppressionemq; tolerâsse tunc quidem patienter, quando præmissis jam contra communem Christiani nominis hostem copiis suis, ipse ex Imperij totius voluntate, ad iter Hungaricum se parabat, & in aliud tempus rejecisse.

Ad hæc Ordines mox ab expugnatâ arce Dylerianâ virulentas Cæsari litteras exaraſſe, ad augendam sui contumeliam jam antè, quam Majestati suæ reddi potuerint, publico typo divulgatas.

Dynastiam insuper Borculoanam ab anno seculi decimo sexto, aliaq; plura loca, quæ Monasterienſis Principatûs sint, injustis armis occupata, detentaq;. Tot injurijs necdum saturos, eodem superiore anno summam postulasse flo-

renorum quidecies centenorum millium, & ni solutio brevi succederet, executionem comminatos; quæ cum exitio ſuo, ſuorumq; ſubditorum certè fuiſſet ſubſecuta, niſi bellum interea à Britannicum intercidiſſet.

Suum contrà ſe Monaſterium obdurâſſe, jacturâ Diœceſis multarum myriadum, & ipſius Civitatis aliquot centenorum millium Imperialium nummorum.

His diebus contemplatione ſui raptos in vincula ab Ordinibus Gelriæ, Orthodoxos quoſdam & inſontes, tormentisq; horrendum adeò ſubjectos, ut eorum alter interciatum extinctus ſit; ac deindè ſparſum in Vulgus, ſubornatos à ſe homines iſtos, qui nefariè proderent, ſuccenſarentq; tribus in locis Doesburgum & Arnhemium Civitates. Palàm contradicat tam enormi injuriæ, ac juſtæ reſervet ultioni.

Voluiſſe hæc enucleatiùs ſignificare, non tam ut Ordini Chriſtiano teſtetur innocentiam ſuam, quam uti confidat, Ordines eò promptiùs curaturos, ut absq; morâ ſatisfactio, reſtitutio, & in futurum indemnitas præſtetur.

Eorum mentem cum hoc-ipſo, qui litteras perfert, Tubicine expectari, quò certiùs præcaveant incommodis, quæ alioquin inevitabili caſu ſubſequentur. Juſſam namq; militiam eſſe, ad hunc finem ut agat; & conferre ſe vexam in eos, quorum prima offenſio, oppreſſioq; & continuata tot injuriæ ac hoſtilitates, iſtiusmodi malis initium & cauſam dedère.

Nec mirentur Ordines hunc ſcribendi modum, cum ei par ſit, quem vigeſimâ nonâ Aprilis ipſi formaverint anno ſuperiore. Tandem ſubdit Martem ſuum nullum vel Religioni vel libertati obfuturum, ſed eò tantùm intendi,

tendi, ut constantem posthac cum unitis Provinciis quietem assequatur. 1665.

73. *Easdem significat Cæsari.*

Alteras sub idem tempus ad Cæsarem mittit; quibus easdem vindictæ causas non minùs exprimit, quam vel indè magis exaggerat, tam iniqua passum se, quando tùm in exequendâ Cæsaris Commissione, tùm susceptâ in Ejusdem & Imperij totius bonum, expeditione Hungaricâ occupabatur: Cumque aperit fœdus *Anglicanum*, excusat hactenùs non indicâsse, quò secretiùs haberet, evitaretque, ne præcedentis anni exemplo, ab ista denuò viciniâ opprimi contingeret imparatum.

74. *Lustrat exercitum.*

Certus igitur in hostico nunc hybernare, exercitum lustrat, & has initiò numerat Legiones. Equestres inter *prima* erat ipsius *Christophori Bernardi* prætoria. *Secunda* Campi-Mareschalli Principis *Hasso-Homburgensis*. *Tertia* Generalis vigiliarum Præfecti *Gorgassij*. *Quarta* Comitis *d' Osserij*; ac deindè Chiliarchorum: Quinta *Postij*; Sexta *Lutzovij*. Septima *d' Arbej*. Octava Comitis *de Efferen*. Nona *Bartholdi*. Decima *Korffij*. Undecima *Brabeckij*. Duodecima *Meinardi Hagij* & *Gosæi*. Turmas ut minimùm octo singulæ, & nonnullæ etiam plures numerabant. Ad has accedebat numerosior desultoriorum Legio *Wolffransdorfica*.

Legiones Equestres.

1665. Pedestrium prima censebatur *Plurenij* Vicarij exercitûs. Secunda *Gorgassij*; tum Tribunorum tertia *Sancti Thuini*; Quarta *Scharenbergij*. Quinta *Aldenhauptij*. Sexta *Walpotij*. Septima *Tolleri*. Octava *Iuni*. Nona *Butteleri*. Decima *Crohnij*. Undecima *Elverveldij*. Duodecima *Rhenogravij*. Decima tertia *Mollij*. Præter has in Belgio tres latebant, uti quarta decima Comitis *de Natta*, decima quinta *Carpij*, ac decima sexta *Cleuteri*. Centuriis duodecim, & pluribus etiam singulæ constabant. Præter has non pauci erant Equitum, peditumque Dūctores, compositis seorsim agminibus impositi, uti *Funckius*, *Westholtius*, *Kirschzius*, *Pilackius*, *Bleckmannus*, *Kadetius*, *Nuzavius*, *VVyntgenius*, *Plettenbergius* & plures alii. Quam unius Episcopi potentiam non Westphalia tantùm, sed universa pene Europa demirabatur.

Pedestres.

Battaillons.

75. *Castra movet.* Jam antè Princeps exploraverat animum *Gorgassij*, de obsidendo, expugnandoque *Bourtangæ* munimento; cumque is expeditionem haud difficilem arbitraretur, Legiones aliquot eo fine in Embslandiam secum assumpsit, brevi fortalitium, uti spondebat, subacturus, dummodò non obstaret aëris inclementia, & præterea tergum immune servaretur. Quo *Meppenam* abeunte, *Christophorus Bernardus* cum reliquo exercitu die vigesi-

vigesimâ tertiâ Septembris in *Tubantiam* movet, & *Gronovia* ipso pernoctante, in pago *Losser* castra figit. Isthic ex calonibus nonnemo sacram ædem succendit, tantumque per hoc terrorem Transisalaniæ incussit, ut jam quisque fugam capesseret, & ipsas Civitates, totamque Provinciam metu compleret. At verò Princeps, qui incendia perseverè prohibuerat, in reum mox inquiri jussit & cum rigore animadverti. Hoc enim illi Pontifex indulserat, ut pœnas etiam sanguinis liceret decernere absque ullo censuræ periculo, aut Canonici alterius cujuspiam impedimenti. 1665. *Tubantiam invadit.*

Postridiè *Enschedenam*, & intra triduum *Aldenzaliam, Oetmarsiam, Almeloam, Diepenheimium*, aliaque *Transisalaniæ* loca, arcesque occupat, & munit. Indè *Borculoam* conversus, post unius diei obsidionem, oppidum, arcemque expugnat. Præsidiarij clementiæ Victoris se dedunt, post biduum inermes *Grollam* abire permissi. Ipsâ Sancto Michaeli festâ luce solenne gratiarum carmen in æde Parochiali decantatur. Ut autem *Isalæ* propior miles esset, Kalendis Octobribus in agro *Lochemiensi* castra ponunt. Per eos dies *Lochemium* ac *Doetechemum* oppida, tum *Keppelia, Dorthum, VVildenburgum, Voerdena*, pluraque Castella & arces Comitatûs *Zutphaniæ* in potestatem redigunt. *Variat Civitates & arces occupat.*

1665. 76. *Plurium locorum obsidionẽ*

Principis mens erat aut *Doesburgum*, aut *Zutphaniam* obsidere, ut ita loco potiretur ad *Isalam*, è quo non *Velaviam* tantùm tributariam obnoxiam faceret, sed ingruente posthac hyeme, beneficio glaciei, ad citeriora etiam Bataviæ loca progredi daretur. Convocato itaque militari Senatu, propositum hoc cum belli Ducibus ac militiæ Tribunis confert: Et quanquam Campi-Mareschallo idem qui Principi animus erat, ab iis tamen *Plurimus* & alij dissentiebant. *Tyronem* quippe *militem esse, nec hactenùs satis exercitatum. Dissuadet Senatus militaris.* *locis remotioribus longâ viarum ambage, primùm in VVestphaliam, indè in hosticum non traductum, continuisq; itineribus fatigatum. Haud consultò talem adhiberi obsidionibus, quæ difficiles, ut hæ, futuræ sint. Et eo præsertim tempore, quo in hyemem inclinet annus, & ubique terræq; ob ingentem pluviam & obvium ubique istis præsertim locis madorem, incommodi plena sentiantur. Præstare nunc, ut miles in hyberna ducatur, expeditioni vernæ futurus apticus. Accedere, quod* Gorgassij *tergũ ex conditione rei sit opus, ut* Bourtangam *secure tentet. Id etiam longè conducibilius hodie velex eo videri; quod cum ad* Isalam *nihil ultrà expediri nunc utiliter possit, ita si* Bourtanga *subigatur, amplior futura sit in Frisia & agro Groningensi tributorum messis. Hoc ipsum jam cumprimis utendi oportere, ut exercitus velitâ ex hostico potis-*

simùm

simùm alatur. In cujus pariter sententiam cum potior Tribunorum pars condescenderet, plurium sensui *Christophorus Bernardus* acquievit; ac desperato tunc ad *Isalam* transitu, firmatis per *Zutphaniæ* Comitatum subactis arcibus, oppidisque, exercitum *Lochemio* Borculoam reduxit, ut *Transisalaniam* denuò penetraret. Ubi postquam duas iterùm noctes in arce conquievit, militem jussit ad *Ommenam*, Transisalaniæ municipium, castra metari, si forsan istius nominis fortalitium capi, aut vadari isthic paludes, stratâque viâ in *Drenthiam* ac *Groningæ* tractum perrumpi posset. 1665.

Quo manè Borculoâ *Ommenam* recedebamus, asportat Batavus Tubicen ad litteras *Christophori Bernardi* ab Ordinibus Generalibus responsum, vigesimâ nonâ Septembris Hagæ-Comitis exaratum, hujus argumenti. *Epistolam Celsitudinis suæ varia complexam; Eorum aliqua non proximis hisce annis, sed ante quadraginta, imò & supra hominum memoriam accidisse. Nolle in præsentiarum contenta ejus refutare, sed libare duntaxat, ut testari possint, nunquam Celsitudini suæ aut Ejusdem terris vel belli, vel hostilitatis dedisse specimen, neque damnum unquam, vel injuriam intendisse.* Tum quæ Dylerianæ arcis expugnationem concernebant, repetunt, quæ datis eo tempore ad Principem, ad Cæsa- 77. *Exercitus ducitur in Ommen. Batavorũ responsio ad causas belli.*

Cæsarem litteris continentur, & suprà prolixè à Nobis memorata sunt : Deindè subdunt. *Non posse inficiari, exercitum Reip. tunc quidem attigisse lacinum Diœcesis, sed unà severiùs inhibitum, ne vel ullam subditis molestiam crearet, & hinc strictam Duci disciplinæ militaris observantiam inculcâsse. Id etiam fideliter executum, testem esse, post aliorum delinquentium pœnas, equitem coram universo exercitu in furcam actum. Celsitudinem suam ipsâ experientiâ scire, Castrorum mutationes, motusq; plerumq; nonnihil incommodi secum trahere. Commissos autem excessus, quorum meminerit epistola, non posse credi, sed ut prætextus, coloresq; allegari quibus in speciem conatus suos adumbret. Si verò simile quid patratum esset, oportuisse evestigio, & non post sesquiannum, reparationem damnorum esse postulatam. Qualem Reip. potiori jure deberi, judicaturum quemlibet partium studiis alienum, quæ nimirùm ingentes sumptus impenderit exercitui comparando, ut hypothecam suam liberaret. Ejus è contrà ex hoc colligi moderationem, quod cum paratas tunc vires haberet, quarum favore ex ipsis statim Monasteriensis terræ visceribus, refusio sumptuum torqueri potuisset, non id tantùm omiserit, sed absque ullius etiam umbra tentamenti exercitum repentè dimiserit ad præsidia jam antè designata. Quantùm Ordines abhorreant ab alieno testari Bevergernam, quam adeò faciles reliquerint Celsitudini suæ : Et vel ideò non parùm augeri admirationem, quasi violenter detinerent Borculoã, in cujus olim possessionem Styrummensis Comes legitimè immissus sit. Nec aliud litteris decima septima Junij anno superiore datis intendisse, quam ut Eidem debitum va-*

rius

riis sententiis adjudicatum solveretur. Et hasce quondam latas esse non in-competenter aut nulliter, sed à vera Judice, & juris Ordine servato.

In negotio Civitatis Monasterienſis, commerciorum & publicæ quietis rationes exegisse, ut compositis, amica tantùm interpositione, controversiis Principem inter & Cives, Vicinos scilicet, amicosq;, concordia stabiliretur; nec alio Remp. collimasse, argumento sit, quod sedatis posteà motibus acquieverit.

Vigilantiam Ordinum Gelriæ, qui secretis suorum conjurationibus antevertere satagant, neminem non probaturum, nisi forte cujus interſit, si proditiones hujusmodi effecta sortirentur. Id de charactere & generoso Principis animo nolle suspicari, quin potiùs, tantam facinorosorum impietatem mente Christianâ detestaturum, punituruмq; suspectos, qui Monasterium confugerint, aut certè traditurum, ut pro sceleris atrocitate pœnas luant. Non procedi hoc in passu ex immoderatâ animi affectione, nec Religionis odio, sed de Patriæ tantùm salute laborari, quæ suprema Lex sit, cunctorumq; Imperantium obligatrix.

Licentiam Typographorum, quâ Princeps doleat nonnulla in contumeliam sui evulgata, iis in Provinciis, difficulter posse coërceri, quidquid edictorum contrà, pœnarumq; salubriter emanârit. Neq; solius hoc vitium Belgij, sed plurium terrarum esse.

Procul abfuerit à Rep. ut ejus ductu Mansfeldius olim Comitatum Oest-Frisiæ intrârit, quæ comparaverit argentum, ut ipse celeriùs excesserit. Longiùs verò abesse, ut alios postmodum contra propria sui commoda eò immiserit, quò magis impar redderetur solvendo ac tantâ sollicitudine

1665. *tudine mutuatum, Econtrà Remp. Comitatum illum exonerâsse semper, gravâsse nunquam. Dissentientes sæpè Comites, Ordinesque terræ istius, Batavorum studio conciliatos; ac stabilitam ita concordiam, illos ipsos litteris non minus ac grati animi significatione, nec raro testatos esse.*

Sibi quidem propositum fuisse amica semper vicinitatis jura cum Monasterienſi colere. At verò nunc, cum inopinatâ hostilitate, diversa jam tum Reip. loca invaserit, oppresserit, non posse ampliùs feriari, sed ea se arrepturos media, quæ divina benignitas suppeditarit injurias hostium dammisque propulsandis; donec aspirante DEO Celsitudo sua locum rationi dederit, & Ordinum congruam ab eo satisfactionem impetrarint.

78. *C. Bern. partem exercitus in Embslandiam ducit.*

Jam ad Viadrum, seu *Vechtam* fluvium in agro *Ommiano* castra locaverant Monasterienses: Dum isthuc appellunt, nemo mortalium in Municipio visus est, qui vel inter paludes abdiderant se, vel ad loca securiora fugerant. Viri duo post biduum reversi municipium pestiferâ lue infectum & ipsas domos affirmabant, quibus primores aulæ morabantur. Sed quod nec ij, nec quispiam alter correptus fuerit, militem passim credidérunt peste superiorem. *Ommianum* interim forte talitium lustrabatur, sed palustri circum situ, ex imbrium frequentiâ, tunc etiam humidiore inaccessum. Et ipsæ paludes autumnali-

bus

bus aquis imperviæ, iter in *Drenthiam* prohibebant. Jussis igitur armatorum circiter octo millibus, Ductore Comite *d'Osseriy*, & *Cronio* rei tormentiæ Præfecto, apud *Staphorstum* & *Rovennam* Castella, transitum vi quærere, *Christophorus Bernardus* cum reliqua exercitûs parte *Oetmarsiam*, & inde per Comitatum *Benthemiensem* in *Embslandiam* contendit, ut *Gorgassianis* hasce copias sociaret. Et quanquam Batavi vias in *Staphorst* & *Rovenne* ita præseptas existimabant, ut impossibile foret hosti penetrare : *D'Osseriani* tamen, ut primùm tormento vel uno agi cœptum est, facili negotio perruperunt, fugientibus *Hasseletum*, *Zvvollamq;* excubitoribus. Hàc igitur *Drenthiam* longè, lateque & agrum *Grôningensem* pervadunt, ac demùm *Winschoti*, inque tractu *Westervvoldico* ac *Weddano* muniunt se, Principis nutum expectaturi. 1665. *Partem immittit in Drenthiam & agrum Groningensem.*

Is jam antè Gorgassio se junxerat, & desperatâ tunc continuas inter pluvias *Bourtange* munimenti obsidione (quæ cognominem inter ac vastam paludem, loco uliginoso, stagnanteque sita est) graviore cura premebatur, quâ tandem viâ aquis quotidie invalescentibus salvaret exercitum, qui trans paludes considebat. Nam interscisis ubique pontibus, viisque numerosiore passim milite firmatis, iter prius relegere, hostis ex classiariis indies 79. *Isthic septis.*

1665. dies potentior, & *Bourtangæ* vastitatem permeare, palustris humus, vix uspiam equitabilis, & voragines passim obviæ vetabant. Cum autem effugium aliud nullum occurreret, inter *Hedam* Embslandiæ pagum & *Apeliam* ex adversâ ripâ (*Crucigerorum* quondam Monasterium) *Bourtangæ* paludi pontem imponi jubet. Minor isthic inter utramque oram distantia erat, nec ultra sesquimilliare Germanicum latitudo extendebatur. Magnâ igitur festinatione certantibus utrinque operis, machinam fabricant. Congeruntur fasces, virgulta, vimináque & eversis etiam in hostico domibus, tigna, trabes, tabulæ, asseres, & quidquid uspiam erat in vicinia lignorum, ut pons confiat.

Super paludes Bourtangæ.

Ingentẽ pontem sternit.

80. Ingens sub hæc consternatio in Batavis fuit; nam latè terrorem sparserat hæc Monasteriensis expeditio. Dum *Isalæ* vicinior est *Christophorus Bernardus*; Gelri, Zutphaniique auxilia inclamant: & Groningensi statim, ac Frisiæ è tractu, qui excubabat isthic miles Batavus, inusitatâ promptitudine submittitur. Ut-primùm verò angusta viarum ad *Staphorstum* penetrat, seseque in *Drenthiam* effundit hostis, nudatam dolent Provinciam Frisij; & ipsi & *Groninga* festinatò copias revocant, quas paulò antè concesserant Transisalanorum, Gelrorumque necessitati. Fortissimæ Batavorum Legiones, classi immixtæ,

Consternatio Batavorum

mixtæ, adhuc Oceano innatabant. Non ceſſabat in *Zutphaniis*, ac *Tranſiſalanis* timor, à numeroſo ſubactarum tot arcium & oppidorum præſidio. In *Groninganis* ardebat Vcalegon. Vaſtari ſuas quique Provincias gemebant; & nutantibus etiam amicis externum quæri ſubſidium, ipſo fortaſsè malo pejus. Jam annitente *Waldeckij* Comitis operâ cum Principibus *Brunſuico-Lunæburgicis* Ordines fœdus icerant, peditum octies, equitum verò quater mille pacti. 1665. *Eorum fœdus cum Lunæburgicis.*

In Franciâ *Beuningius* Reip. Orator (vir Conſularis, & tunc vix ulli in Belgio ſecundus) aures quotidiè Regis pulſat, ut lege fœderis ſuppetiæ mittantur. Et Rex quidem, ut anteà dixi, non unâ de causâ in id ſatis propendebat. Jamque ſubſidio Batavorum deſtinârat duo equitum, ac quatuor peditum millia, ſelectum militem, *Pradelio* Duce; & in eo tantùm laborabat, quâ commodiore viâ in Confœderatum Belgium ducerentur. Nam Hiſpani, quem ante *Britannis* negaverant tranſitum, auxilia Monaſterienſi parantibus, non poſſe nunc, ajebant, Gallis concedi favore Batavorum, ſinè offenſa *Caroli* Regis. Sed & *Philippum* Monarcham ſuum opportunè jam Cæſarem monuiſſe, ut Bellum hoc authoritate ſua quantocyùs ſopiret. Effectum hunc priùs expectari oportere. Ea Hiſpanorum difficultas primam augebat ſuſpicio- 81. *Suppetiæ ex Gallia.*

1665. nem *Ludovico* Regi, ut vel propterea majori etiam ſtudio Colonienſem Octovirum ac Neoburgicum Ducem à Monaſterienſi diverteret; & illum ſollicitaret, cujus permiſſu *Leodienſem* Principatum tranſirent copiæ auxiliares. Et quamvis eam Gallorum primi lentitudinem, deindè viarum ambages, Batavi dolum interpretarentur, excepti tamen finibus *Eburonum* à Reip. Delegatis, die tandem Novembris vigeſima prima, *Neomagum* appulerunt. Ubi Vahalin & *Arnhemij* Rhenum trajecti, *Velaviam* ingrediuntur, & pagis ad *Iſalæ* ripam tantiſper conſedêre. Ubi gẽte mox Rep. ut in Diœceſun Monaſterienſem arma inferantur, *Pradelius* hyemem cauſatur *importunum bellandi tempus; hybernandum nunc, ſub Ver in hoſtem contendendum eſſe.*

Tardiùs progrediuntur.

Et juvant.

Dies aliquot ea tergiverſatio trahebat. Ordines Confœderati moræ impatientes, ſi moroſiores porrò ſint Galli, ſuis imperare ſoli ut in hoſtem agant. At Delegati Campeſtres hæc faciliùs *Hagæ* concipi, quam in Campo fieri régerunt; & multa ſanè deeſſe expeditioni. Debere triticum, *quale nec* in *Gelria*, nec *Tranſiſalania* proſtaret, ex Urbibus Hollandiæ ad caſtra vehi. Curari quater mille paria calceorum & caligarum peditii Gallico. Ad hæc deſiderari currus à Provinciis *Hollandia* & *Ultrajecto*, ſupra ſexcentos. Nec in Caſtris eſſe murales machinas,

nas, aut mortaria; nec globos, pilasque iis accommodatas. Quæ cum seriùs omnia curarentur, quantò vehementiùs urgebant Ordines, ut in hosticum moverent, tantò lentiùs festinabatur. 1665.

Jussio demùm Kalendis Decembris utroque exercitu *Isalam* trajicere, & militibus quatridui cibaria ferre secum, ex Gallicis Commissariis non-nemo *Zutphaniam* advolat, ubi Campestres Delegati morabantur, & annonam præmitti monet; nec enim pedem moturos antè auxiliares, nisi de sufficiente pane, cerevisia, carne & avena certi sint, & ea quolibet die in hospitiis vel stativis ad manum tradantur. Regium namque militem haud aliud, quam arma portare assuetum. Nec eam hodie viarum esse conditionem, quæ multa secum ferre sinat. Offensi quotidiana cunctatione Generales Ordines, Regium Oratorem *Hagæ* conveniunt, rogántque; *Pradelium* ut moneat, promptior sit in movendo, & observantior disciplinæ militaris. Queri námque Provinciarum subditos, non tantùm à populationibus non abstinere auxiliares, sed ab ipsis etiam, quam hoste, pejùs agi. Contrà miles; quod pane caruerit, biduanâ pressum inediâ cogi alimoniam conquirere; Veniisse ut merérent, non ut fame perirent. At lixæ querebantur, ab auxiliaribus rapi, non solvi merces. In castris ideò 82. *Gallorum tergiversatio.* *Molesti sunt Provinciis.*

1665. Gallicis neminem velle nundinari. Ità altercationibus dies iterùm trahebantur.

Joannes Mauritius *Nassoviæ* Princeps, Ducatûs Cliviæ, annexarumque Ditionum Gubernator, in utroque Orbe famosus Heros, Castrorum Reip. Præfectus erat. Hunc ratis in diem ferè monitionibus Ordines urgent, ut si terram hosticam invadere non permittat tempestas præsens, saltem recuperare satagat *Lochemium* ac *Doetechemum* oppida, quò impressa ab hoste macula aliquantùm eluatur. Si vires antè impares visæ, nunc subsidiario auctas exercitu, cur non majora etiam præstituras?

83. *Obsidetur Lochemum.* Octavâ igitur Decembris trajecto *Issala* *Lochemium* obsidione cingit, *Pradelio* comitante. *Elverfeldius* loci Præfectus, exustis ante mœnia horreis, attritâque annonâ, defensioni se parat. Id quanquam initiò strenuè facit, quod oppidum tamen munimentis olim exutum (ut mihi, dum imponebatur, ipse questus fuit) haud diu posset defendi, octiduo postquam obsideri cœptum est, honestis conditionibus dedit; Quarum obsidentes puduisse ferunt, quandò Martium inter apparatum, reliquiæ nitrei pulveris, ab *Elverfeldio* dimidium duntaxat vasculum consignabatur. At *Nassovius* verbi tenax, neglecto quorundam murmure octuaginta equites adjunxit, qui præsidiarios, cum armis & signis

Et occupatur.

& signis, more militari, decimâ quintâ Decembris egressos, sarcinisque omnibus, *Vredenam* usque deduxerunt. Recuperato sic *Lochemio*, tametsi in hyberna duci exercitum nunc oportere plures sentiebant, quod tamen constaret Ordinibus gratiùs fore, si in ipsis adhuc terræ suæ visceribus hostis peteretur, visum est propiùs Diœcesin castra movere. 1665.

Quandò è Galliis auxiliares in Belgium descendere nunciabantur, *Christophorus Bernardus* cœptam nuper pontis fabricam admirabili celeritate maturabat, ut militem suum in Castris *Winschotanis* septum tandem educeret, junctumque exercitui, hostibus objectaret. Jamque ingestâ immensùm terrâ, cespite, arenâ, & præter incredibilem, ut antè memini, asserum & omnis generis lignorum farraginem, ramis arborum, ipsisque arboribus injectis, ac palis, trabibusque ad marginandum defixis, ita opus excreverat, ut continuam trium horarum paludem, viâ nunquam visâ, permeabilem, equitabilemque fecerit; & copiæ, quæ paludibus, aquisque cinctæ, nunquam evasuræ credebantur, ante finem Novembris, inexplicabile iter, ad stuporem omnium, feliciter emensæ sint. Frontem tenebant pedites; medium sarcinæ & præda, milleni *Frisij* boves; agmen claudebat equitatus. Eductis jam Legionibus, cum *Luxæburg-*

84. *Miles Monasterienſis in hoſtico ſeptus.*

Miri pontis beneficio.

Feliciter evadit.

1665. *burgicus* miles auxilio Batavorum destinatus, in agro *Osnabrugensi* coire significaretur, quatuor mox equitum millia isthic emisit, ut diribitoria, ac delectus quoscunque disjicerent, turbarentque; sed comperto ex vano rumorem esse, ad Castra revertuntur. Ce-

In hostem movet. tus autem copias Batavorum *Isalam* trajectis & *Lochemio* minari, jubet exercitum in hostem contendere, & confertis manibus tentare fortunam. Jamque Monasterienses *Wetersuicam* usque progressi erant, sed cum Batavi occupato jam *Lochemio*, relictâ ad lævam Grollâ ac Bredefurto, referre pedem, & *Zehlemense* Ericetum, versus Isalam, rursus descendere nunciantur, quodque militiæ Dux Landgravius *Hasso-Homburgensis*, tribus aut septimanis à *Christophoro Bernardo* ad Cæsarem ablegatus, isto tempore abesset, nec inter *Plurenium* & *Gorgassium* benè convenirent, jussu Principis dissoluti, injectâ *Buchholtz* priùs Legione *Scharenbergicâ*, in hybernacula mittuntur.

85. *Batavi deliberant.* Sub id Batavorum exercitus in lacinia Diœcesis ad *Rhedam* pagum haud longius quinis leucæ spatio *Bucholdiâ* distantem, castra facit, deliberatque Civitatis istius obsidionem. Facilem persuadebant *Hambroeckum*, qui Castrum isthic suburbanum, *Bunekottam*, habitabat, & *Ingenhovius* satrapa *Weerdensis*, quorum uterque sub signis Batavis mercedis

Nullius

Nullius altitudinis fossas esse, & fundum in iis solidum. Muros vetustiores, nec propugnaculis ullibi extantibus, nec terrâ intùs aggestâ munitos. E fossis extimis nullo negotio aquam derivari posse. Interiores vix pedes quindecim latas. Nec ulla extare in oppido tormenta. Contrà differebat *Pradelius*; *Bucholdiam Legionis integræ præsidio his diebus firmatam, constare sibi ex duorum Civiũ confessione. Non vallata quidem mœnia esse, sed fossas utrinq; præaltas, latasq;, & aquis plenas. Ex uno latere diruti partem valli, vacerris nunc ab hoste septam; nec dubium relinqui, quin tot armati adversus impetũ quemcunq; strenuè se defensuri sint. Fateri se quidem expugnabile oppidum, sed certo temporis intervallo. Sin usitato more accessus, receptusq; parari, suggestus erigi, tormentis mœnia aperiri debeant, fermè sextiduum requiri. Et undè interim armentis pabulum, quale intra duo circùm milliaria offendi nequeat? Id antè curâri, aut obsidium intermitti oportere. Sed nec in Castris machinam esse, quâ muri pars sterni possit. Aliundè nunc adduci non permittere viarum difficultatem. Ipsam adversari asperitatem hyemis, & eas aëris sentiri injurias, quibus homo juxtà ac pecus enecentur. Nec habere quidem, quo se tegant: Imprudentis esse inchoare obsidionem, quæ inevitabili postmodùm necessitate debeat intermitti.* Quas *Pradelij* rationes

1665. *De obsidenda Bucholdia.*

Pradelio dissuadente.

In hyberna cedunt.

nes cum unà *Nassoviæ* Princeps, *Rheingravius* ac cæteri Duces probarent, exercitus intactâ civitate, sublatis illicò Castris, versùs Westaliam ductus, inque Cliviæ, Gelriæ, Zutphaniæ, ac Transisalaniæ Civitates, designatam antè præsidia dimissus est.

86. *Neutralitas Cliviæ.*

Fridericus Guilielmus Brandenburgi Marchio & Elector, sub id *Clivos* advenerat, qui iniquum ratus, si belli istius contagione ditiones suæ corriperentur, primas esse curas voluit, cum Episcopo & Rep. convenire, ne præsidiarij Civitatum *Cliviæ*, Monasterienses, nec hi contrà terris suis, aut istarum Urbium præsidiis nocerent. Et quanquam Belligerantium utraque pars, Religionis causâ nihil agi, publicis etiam scriptis testata erat: Catholici tamen Sacerdotes *Groningâ* pulsi sunt; & Patres Societatis JESU, cum studiosa juventute, *Embricâ* exesse jussi. Et hi quidem tametsi Electoris *Brandenburgici*, uti Cliviæ Ducis & Principis sui protectionem inclamabant, nihilominùs intra viginti quatuor horas coacti emigrare. Pedestrem inter cohortem per plateas ducti, non paucis lacrumas excussêre. Cura domûs ex Gubernatoris indulgentia, Fratrum uni relicta est, & alterum Patrem attinuit desperata valetudo; quæ dum virum biduo post extinxit, supervacaneâ debuit sollicitudine, trium antè medicorum testimonio confirmari. Id magni terroris ar-

Jesuitæ pelluntur Embrica.

gu-

gumentum pleriqúe explicabant, quod ne tantillum inermi paucorum turbæ fideretur, præsertim cum lustrato jam ante per militem Collegio, sub excussis etiam lectis, vestigata Martis arma, nulla nisi Palladis invenissent. Leo ab *Aitzema* industrius rerum Hollandicarum observator, miratum se, scribit, ista Sacerdotum, Patrumque exilia; cum *Franciæ* Rex Catholicus adversùs Episcopum pro Rep. pugnaret; & contrà Monasterienſis socium haberet *Britannum*; Fautorem verò Sueciæ Regem; & utrumque Evangelicum; nihil profectò Religionem cum hisce tribus commercij habuisse. Certè contempta protectio, & in Urbe sua, Electorem ægrè habuit, sed iram tunc dissimulavit, compendio majore brevi compensandam. 1665.

87. *Batavi neglectis Lunæburgicis.*

At *Lunæburgici* Principes, adversus Monasterienſem, Ordinibus Confœderati, quod militem terris suis onerosum, in unito Belgio hospitari mallent, paratum jam offerebant; monebantque per Ablegatos suos, Wesaliæ præsentes, designari locum, quo copiis Batavorum suæ conjungi possent. Id verò perincommodum nunc, inque proximum Ver rejiciendum. *Nassovio* respondente, promissa militum stipendia deposcunt. Hactenùs enim ex ære convento solutum nihil; nam mercator, Campsoris *Amstelodamensis* collybo, pecunias *Hamburgi* numeraturus, foro

1665. cesserat, magno partium detrimento. Sed Ordines utiliorem tunc Reip. *Brandenburgicum* Electorem rati, utpote vicinum, potentem, armatum; in fœdus cum eo feriendum, uti quotidiè procliviores, ita neglectis aliquamdiu *Lunæburgicis*, omnes propè curas in id convertebant. Quas haud parùm intendisse visa est suspicio Batavis, ex hoc natæ, quod *Lingæ*, aliisque ditionibus Princeps *Auriaci* Monasterienſis Antistes parceret, & ea propter cum *Brandenburgico*, veluti Tutore, nec semel à Batavis offenso, secretam colere societatem crederetur.

Prensant fœdus cum Brandenburgico.

88. Sed & suppetiæ à *Danis*, à *Suecis* pari Britannorum, Batavorumque industriâ sollicitabantur, ut vel obtinerent ipsi promissas, aut præpedirent in aliis desperatas. Quem ad *Christophorum Bernardum* ex Anglia ablegaverat Carolus Rex, salutatis exin *Lunæburgicis*, aliisque Imperij Principibus, ad ipsum denique Cæsarem progressus, auxilia Monasterienſi implorabat. Et quanquam *Christophorus Bernardus* missio jam antè *Oenipontum* (quippe *Leopoldus* Imperator, ab obitu *Sigismundi Francisci* Archiducis, devolutam ad se *Tyrolim* adierat) Georgio Christiano *Hasso-Homburgenſi*, parem æmulatione Gallorum sperabat, sponsam ab Austriacis opem; frustrà tamen eventus docuit expectâsse. Intercciderat namque Hispani Regis *Philippi*

Belligerantium utrinque industria pro suppetiis.

quam

quarti mors, Monasterienſi ferè non fatalis: quæ & inopinatò diſtraxit Cæſaris animum, & ſi quos ab aula *Madritenſi* ſperare licuiſſet favores, pariter extinxit. 1665.

Suecorum auxilia poſtulantibus *Holmiæ* Batavis, ceu lege ſocietatis debita, Regis nomine reſponſum eſt: uti placita fœderis Ordines nunquam obſervâſſe, ita nec hodie ad præſtanda ſubſidia *Sueciam* obligari. Et quo ea tunc animo erga Batavos ferebatur, teſtis eſt hæc epiſtola, quam paulò ante bellum Monaſterienſe exaratam Ordinibus Rex *Suecia* deſtinârat. 89. *Suecia à Batavis averſa.*

Carolus DEI gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumq́, Rex & Princeps Hæreditarius &c.

Celſis & Præpotentibus, Noſtris bonis amicis, ac fœderatis, Dominis Ordinibus Generalibus Fœderati Belgij ſalutem & proſperos rerum ſucceſſus. Per Reſidentem veſtrum hic degentem accepimus litteras eas, quibus Nobis recenſetis lites & ſimultates inter Sereniſſimum Magnæ Britanniæ Regem & vos exortas ità accreviſſe, ut injuriam exindè & hoſtilitates, Vobis non modò extrà, ſed etiam intra Europam illatas eſſe, pluribus interpretemini; à Nobis requirentes, ut illud auxilium, quod Vobis ut ſociis debetur, & quod aliàs, occaſione oblatâ, dare parati fueritis, vi fœderis præſtetur. Proindè ut amicè Vobis reſpondeamus, fatemur per-

percrebuisse jam anteà famam exortorum inter Vos dissidiorum, quæ nunc litteris Vestris propriis confirmatur. Sed ingratus Nobis admodum hic nuncius accidit, quod nil fere, nisi bellum minitetur, non ignaris, quam hæc mala sæpe inibi non consistant, ubi incipiunt, nisi DEUS eadem pro bonitate suâ coërcere & avertere dignetur. Hæc vero incendia tantò sunt timenda magis, quantò inter tam potentes ac vicinas nationes maritimas, adeoq; Orbis commercia versantes, facilius ad alios trajici possint. Dolemus etiam ab initio mox adhiberi non potuisse adæquata remedia, quæ ius sopiendis conducere possent, aut ita mutuam amicitiæ nostræ rationem comparatam fuisse, ut studio aliquo nostro impediri potuerint. Nam quod desiderium Vestrum in dictis litteris expressum concernit, certum est, inter Nos & Remp. Vestram jam dudum fœdus initum esse, quod à Nostra quidem parte hactenùs tam constanter & sincerâ fide cultum esse persuasi sumus, ut ad integritatem Vestram in testificationem vocare non dubitemus. Quomodo verò ab altera parte jam diu observatum sit, hodieq; observetur, docent conscij Vobis actus & perpetuæ istæ contraventiones, quæ contra tenorem justitiæ per multos commissæ sunt annos. Nec Vos nescire potestis, quoties per Ministros Nostros, per insinuata memorialia, per amicos communes, de iis querendi Nobis necessitas imposita fuit; cujus tamen causa tantùm abest, ut Nobis hactenùs satisfieri curaveritis, ut ne responso quidem ullo Nos honorare volueritis, nisi antè aliquot saltem mensem. cum tale quoq; reddebatur, quale tantùm non inimicis deri consuevit. Quæ quidem in eum tamen finem nullo modo dicimus, ut à pactis ritè fœderibus recedere unquam ani-

mus

nimus Nobis fuerit (sanctiora enim illa habenda sunt, quam ut injuriis, quæ per amicabilem compositionem reparari possunt, planè convellantur) sed ut post tot requisitiones, adhuc à Vobis amicè contendamus, velitis ad pactorum leges animos convertere, ac eam quantocyùs præstare observantiam, quam illæ Vobis præscribunt, ac fas est, ut fide bonâ observetis. Adest Noster Residens, qui hoc denuò per integrum annum urget; Nec ambigimus, quin si vos aut pristina jura, aut sanctimonia antiqui, quod speramus, fœderis tangit, utiq; jam tempus esse censeatis, quo illius aliquam ostendatis propensionem, quam nos etiam spe magna adhuc præstolabimur. Quo facto dabitur rursùs copia de mutui præstatione officij transigendi, ubi si à Nobis aliquid requisitum fuerit, in id incumbemus, ut intelligatis non modo Nos ab injuriis & cruentis abhorrere bellis, sed etiam velle eam adhibere curam, ut & publico emolumento, & Nostræ quoq; vetustæ amicitiæ satis consultum esse videri possit. 1665.

Suppetiis igitur in Suecia desperatis, tantò Batavi intentiore curâ *Danum* sollicitant, quantò ex ejus regni situ operam Regis credebant terrâ, mariq; utiliorem.

Interea partium studia annus vertebatur; At non contentus *Gelriam, Transisalaniam, Frisiam* ac *Groningam* turbâsse Mars Monasterienſis, in Cis-Mosano tractu *Valckenburgum* 90. *Monasterienſium auc-*

1666. *sus in Brabantia.*

gum arcem & *Daelhemium* Oppidum, *Clenario* Chiliarcha Ductore, sed irrito conatu tentavit. Ipsi ad Mosam *Trajecto* structas etiam conspiratione civium, insidias multi credidere runt. Comes *de Natta* & *Carpius* Tribuni collectis in agro Antverpiensi, vel quod Hispani volebant, apud Eburones, Legionibus suis, ad mœnia *Bergarum ad Zomam* progressi, *VVoudam* arcem, & *Buscum-Vetus* in *Brabantiâ* intercepêre, vicinis circum Urbibus, munimentis terrore non levi incusso. Mox erat proximam *VVilhelmo-polim* capere, occasione promptâ, maris beneficio, excipi possent Britanni auxiliares. Viginti jam Liburnicas Anglia paraverat, quibus pedestris militia veheretur Monasterienſibus securianda, ut primùm *VVilhelmopoli* potitos nuncius adferret. Sed Hollandi de Britannico jam apparatu certi, licet incerti, quò collimaret, auctis excubiis, navibusque pelagum, litus, & fluviorum ostia, quaquaversùm studiosius observabant. Nihilò tamen minùs *Campiani* perrexissent, ni militis audaciam fregisset novercans fortuna, & inprimis timiditas Hispanorum. Hi namque toties colluvionis incusati, quod Rege nuper mortuo amicitiam Reip. præhaberent, colligentem se militem haud ultrà in finibus suis ausi tolerare, præproperè exire jusserant, ut necdum firmatus, hostilem terram ingredi, & quamcunque tot-

Oudenbosch.

Willemstadt

fortunam tentare coactus sit. Cumque Marchio *Badenus*, quatuor millibus Cæsareanorum stipatus, succurrere spargeretur, vicina Batavorum præsidia, *Buscoducense* ac *Bredanum*, Duce Principe *Tarantio* Monasterienses confestim obsedêre. Et quanquam è tumultuariâ munitione, ad dies aliquot strenuè se defenderent, loci tamen debilitate, & desperatione auxiliorum victi, oppugnantium arbitrio se dedere, compulsi sunt; quotquot non ceciderant, captivi omnes *Ducis-Sylvam* abducti. 1666.

Et Tractu Mosano.

Intereà Comes de *Natta* cum iis copiis, quæ in *Busco-Veteri* se reliquis necdum sociârant, per *Eburones* in Tractum Mosanum dilapsus, ex agro *Trajectensi* & *Valcken-burgico*, tributum exigebat, in *Urbe Aquisgrano* solvi jussum; ignes alioqui ac depopulationes comminatus. Sed & hanc nubem brevi dispulerunt pares Hollandorum minæ; nisi enim *Aquensis* Magistratus exactores eos, suâ ex Urbe, actutum eliminaret, copias Reip. similem *Aquensi* agro vastitatem certò illaturas.

91. *Feliciores in Transisalania.*

Feliciori marte pugnatum est à Monasteriensibus in *Transisalaniâ*. Quando enim præsidiis suis imperaverant Batavi, ut omnem hostili terræ vim, clademque inferrent; mense Decembri sexcenti equites & pedites quadringenti, eo fine *Daventriâ* egressi, in Tubantiam irruperant. *Gorgasius* collecto in vicinia milite propè *Enschе-*

1666. *Cæso multis locis hoste.* *Enschedenam* hostem aggressus copias fugat, fugientesque persecutus, restaurato inter angusta viarum inevitabili conflictu, plures cecidit. Dum per paludes potior evadit peditatus, quadringenti ferè capiuntur, *Coevelda* primùm, deindè *Monasterium* traducti: Quo inter Comes *Warfusæus*, *Honnivvodus* equitum Magister, Duo Vicarij, quatuor Vexilliferi, ac plures non infimi nominis viri nes.

6. Jan. Ineunte Januario *Lutzovius* & *Wolffradorffius* Tribuni, opimas ex hostico strenas reportant. Cum Equestri & desultorio manipulo, favente gelu, paludes transvadant ingressique *Frisenvennam*, Transisalaniæ pagum, quingentos tum armatos, tum agrestes adoriuntur, captosque omnes *Monasterium* abduxêre.

7. Jan. *Walpotius* è Meppensi fortalitio, paludes quoque *Bourtangam* transgressus, ex centum quinquaginta militibus, qui in *Emmen* Drenthiæ pago, se muniverant, quadraginta delevit; cæteros cum signo militari & divite prædâ captivos *Meppenam* amandavit.

23. Feb. *Bressardus* equitum Magister (vir cæterum strenuus & prudens) cum duabus equitum cohortibus & peditibus centum, præfectis *Grollensis*, *Wullenam*, districtûs *Abusam* pagum expilârat, captisque incolarum nonnullis, tributo subjicere moliebatur, *Mo-*

nardus Hagius Pro-Tribunus & *Mellingerus* supremus Excubiarum Magister insultum hostilem docti, tractis è repentè, *Ahusiâ* & *Ottensteinâ*, equitum suorum exercitatoribus, hostem persequuntur, & haud procul à *Stadtlona*, loco clade *Christiani Brunsuicensis* celebri, profligant, ipsoque & Vicario copiarum ductoribus, aliisque centum ac decem captis, receptâque omni prædâ, cæteros elapsis paucis ceciderunt. 1666.

Sub Februarium *Gorgassium* in *Friesenvenna* denuò sexcentos pedites & equites septuaginta quinque, qui vallo jam ac vacerris se muniverant, immisso per congelatam paludem milite, ita cinxit, concluditque, ut nemo prorsùs evaserit; sed qui cæsi non fuêre. reliqui omnes, cum centum adhuc præsidiariis ex intercepta arce *Schulenburgo*, captivi longo ordine *Monasterium* introducti sunt. *26. Feb.* *27. Feb.*

At inter hæc *Christophorus Bernardus* identidem sollicitè cogitabat, quâ demùm viâ, expectatus à *Thamesi* subsidiarius miles, cum suo posset conjungi. Desperatâ nunc *Wilhelmopoli*, & per Hispano-Belgium transitûs libertate, arci *Stickhusæ* insidias parat, uti *Grietzilâ* potiatur. Is portus erat in eadem Frisia Orientali ad Oceanum situs, recipiendo Anglorum militi perquam opportunus, nec ullus ferè aptior. At Hollandi aut subodoriti æstum, aut subodorati, dum loci utri- *Grietzilæ insidiantur.*

1666. triusque securitati consulunt, maturiùs prævenêre.

92. *Batavorum criminationes.*

Verùm prævalente sic passim militiâ Monasterienſi, mirabantur non pauci in Hollandia, cur brumâ hac, potiùs persistere in campo posset hostis, qui cum millenis prodiret, præstaretque multa feliciter; quam copiæ Batavorum, quæ nuper hyemis asperitatem & pabuli defectum causatæ, relictâ properè *Bucholdiâ*, cum Gallis hybernorum necessitatem allegârint. Nunc de gestis horum nihil præter clades audiri, & onera, quibus præsidiarij & auxiliares inprimis Galli civitates gravent. Ea enim infestarum propè omnium lamenta esse. Et hæc quotidiè à Ministris *Brandenburgicis* (qui quod parturiebatur, fœderis accelerationem urgebant) cum majus incitamentum, opportunè exaggerabantur; quippè *Wesaliam, Embricam, Rhesam, Orsovium, Budericum*, Urbes *Cliviæ*, Gallorum copiis ferè non oppletas, antè alios premi; nec minùs dolere Octovirum suos ita subditos, magnâ Principis jacturâ, extremam ad inopiam redigi, quam externum, tamque numerosum militem, non sinè Imperij offensione, & contra ipsas pacti leges, in *Cliviâ* suâ hospitari.

Molestiæ à suppetiis Gallicis.

93. *Tota ferè Europa* in

Sub hæc verò, quod plerorumque interesset Europæ Magnatum, ne flammescens jam ignis latiùs serperet, Cæsar, Hispani, Bran-

der-

denburgicus, plures Imperij Electores ac Principes, & ipse Galliarum Rex *Ludovicus*, interpositionem offerunt. Certè Joannes *Baro de Goes* (qui tunc ad Fridericum Guilielmum *Brandenburgensem* Octovirum Legatione Cæsareâ fungebatur, & post Episcopus *Gurcensis* ac Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis creatus est) ab Imperatore *Leopoldo* ad *Christophorum Bernardum* Ablegatus, dum Coesveldiæ Principem salutabat, consilia pacis, præclarâ oratione suggessit. Sed omnium studiosior *Fridericus Guilielmus*; qui per eos dies cum Fœderati Belgij Ordinibus, contra Monasterienſem fœdus icerat, equitum quater & peditum octies mille ita pactus, ut pacem actutùm promoveret, & sivè obtineret eam, sivè non, nihilominùs intra menses omninò quinque, trecenta quinquaginta Imperialium millia, Batavi numerarent. Hòc igitur Electori utilior, quò festinatior pax. Proindè *Monasterium* ocyùs ablégat Cancellarium suum *Jenam*: qui tametsi *Christophorum Bernardum* plures septimanas occupat, & pacare nunc rationibus, nunc minis satagit: nunquam tamen ideò visus nutare aut inflecti animus, sed æquas pacis conditiones, uti nec se, nec socium Regem abnuere, ita si certò spondere posset Octovir, utrumque haud illubenter, ajebat, amplexurum; & vel idcircò non invitum oblatam admittere

1666. *pacis sollicita.*

Urgentia inprimis Brandenburgico.

1666. interpositionem, quin & eo fine missurum Legatos, qui *Clivis*, Electore cumprimis arbitro, de pace tractent.

Et Rege Galliarũ

Ludovicus Franciæ Rex, cui & Monasterienſe bellum, & ea Principis constantia suspectior erat, quod misso jam antè *Lesseingo* frustrà pacem tentâsset, *Colonienſem* & *Neoburgicum*, quibus ceu tot annorum fœderatis plurimùm tribuere Monasterienſem sciret, utrumque nunc induxit, ut instituta honorifica Legatione, & ipsi pacem persuaderent, hac tempestate utilissimam; & ut æqua foret, suâ pariter interpositione curaturos.

94. *C. Bern. eo fine suos ablegat.*

Christophorus Bernardus non à sociis tantùm, sed & ære menstruo, quod multo jam tempore ab Anglia desiderabatur, subindè deseri se dolens, in pacem quotidiè promior, sub finem Martij *Smisingium* Thesaurarium, & *Wiedenbruckium* Tribunalis aulici Præsidem *Clivos* ablegat, ut dè pace tractent. Hunc quippè Civitatem, veluti concordiæ palæstram, *Fridericus Guilielmus* designârat.

Clivopolim.

Post ipsum magno numero præsentes erant, *Cæsaris, Regis Franciæ, Moguntini & Colonienſis* Electorum, ac *Paderbornenſis, Neoburgici*, Augusti *Wolffenbutani*, & Joannis Friderici *Brunsuicenſium*, Principum, Legati, à parte utraque admissi Conciliatores. Hollandi Gallicis viribus innixi, & nunc etiam cum *Brandenburgico* Electore, ac

Lune-

Lunaburgicis confœderati, certiqúe derelictum à ſociis Germanis Monaſterienſem, nec Cæſarem per id tempus, aut Hiſpanum quidquam contrà audere, non tantùm non, præſcribere conditiones; & hinc cuncta inprimis loca urgent reſtitui, ipſamque Borculoam. E contra Monaſterienſes Ablegati, dum qui mediarum partium præſentes erant Legati Principum, haud ſcitè ſatis inſtructos animadvertunt, initiò ſtatim juſtitiam belli docent; non tam ut cauſas omnes enucleatiùs recenſeant, quam ut amoveant ea obſtacula, quæ forte poſſent vel ipſam pacem remorari, vel ex ſcientiæ defectu obtrudere iniquam. 1666.

Qui cæteros cauſas docent.

Nolle reminiſci injuriarum, dammorumq́, quæ à ſeculo ferè Diœceſi Monaſterienſi Belgarum Ordines intulerint, ac plures ſupra myriades excurrant. Præteriri tractus Weſtervvaldicum, Weddanumq́, *iniquis armis ereptos: ac Bourtangam in ſolo Monaſterienſi extructam. Non repeti querelas, quibus integra Comitiorum Imperij protocolla plena ſint. Nec eam cauſarum farraginem, quæ* Diffidatoriâ *epiſtolâ contineantur. Recens adhuc vulnus ex damnoſa recalcitrantis nuper* Monaſterij *ſeditione, fomento Reip. continuatâ, notius eſſe, quam ut conſolidatæ necdum cicatricis dolores, atrociore plagâ veniant innovandi. Non ſolùm expugnatio* Dyleriana, *& invaſio tunc hoſtilis, ſed etiam exacta poſtmodò quindecim*

1666. Et justiam præsentis belli.

vasa auri, eam Principi necessitatem imposuerint, ut non tam de vindicandis antiquis injuriis, quam novis à se propulsandis cogitare, & ad ea debuerit confugere asyla, quæ naturalis defensionis ratio dictitârit. Hac esse, vim vi repellere, ad arma justæ tuitionis, & potentium fœdera, auxiliaq; descendere; & tantùm non primum ictum, novumq; vulnus non expectare. Quod dum privatis legitimè cum moderamine indulgent Jurisperiti, iniquus Judex sit, qui Principi, jus armorum habenti, licere id neget. Si singulis incumbat fines, juraq; Imperij, & pacem ejus publicam, pro virili etiam in alieno tueri, id vel majus in propriis, jus, fasq; esto. Defensorem propriæ salutis in nullo peccato censeri. Principem ad sui, suorumq; tutelam, ac firmandam imposterum securitatem, arma tantùm defensiva, arripere debuisse. Imprudio diu ea continere, haud permisisse fœdera Anglicani aut belli rationem. Mentem hanc Ordinibus solenniter antè significatam, quam extra metam proprij, Princeps progressus sit. Responsum æquum redditum non esse. Eo rerum statu usum commoditate recuperandi sua, & donec de eo, deq; sufficienti deinceps securitate sibi cautum sit, pro jure & ratione belli latiùs diffundere se conatum.

Borculoam post ultimi mortem Vasalli sexaginta annos à Monasterienſibus possessam; prætexta sententia ab incompetente Judice (& per vim

viam exceptionis de incompetentia declinato) in Curia Gelricâ nulliter lata, iniquis armis Diœcesi ereptam; justiore nunc armorum titulo, post pronunciatam in Camera Imperiali sententiam, remq; judicatam, & executoriales sub pœna banni decretas, recuperatam esse. Id etiam privato licuisse, quantumvis intercurrissent anni quinquaginta. Spoliatus namq; Castro, cujus recuperatio sit difficilis, recuperet, quocunq; illud tempore commodiùs possit. Id quoq; contra Imperatorem & eos maximè, qui superiorem non agnoscant, habere locum post sexaginta etiam annos, constans sit Juris-consultorum doctrina. Ut profectò injuriâ Principem afficiat, quisquis recuperatâ nunc Borculoâ, spoly nomine abutatur. 1666.

95. *Partium utrinq; obstinatio.*

At ea tunc visa est temporum conditio, quæ non tam rationibus, quam ratiociniis intendebat. *Hollandis* concepta jam pacis capita, tot fœderibus & impendiis parta, moderari detrectantibus, magnâ utriusque partis obstinatione aliquamdiu certabatur. In duobus ingens adhuc apparebat difficultas. Neuter Borculoam dimittere paratus; & quam militiæ imminutionem urgebant Batavi, Monasterienses recusabant. Ea partium utrinque pertinacia dies aliquot traxit. *Wiedenbruckius* interim, ipsius *Friderici Guilielmi* & aliorum suasu, cum diversorum Principum Legatis *Monasterium* non semel excurrere

1666. debuit, ut Principem componerent ad eas saltem pacis leges, quas ipsi Principes amici, hac tempestate utilissimas judicarent. Verùm *Christophorus Bernardus*, qui sibi nihil iniquum obtrudi patiebatur, ægrè potuit in hanc cæterorum mentem adduci. Stimulabat siquidem exercitus, qualem antè Monasteriensium Præsulum nemo, in campum duxerat, hostibus si non superior, certè par. Et quo major evaderet, firmatis tantisper adversus vim Batavam urbibus, arcibusque suis, *Lunæburgicos* primùm, dein *Brandenburgicos*, & utrumque seorsim, totis viribus aggredi animus erat, eorumque copias disturbare, priusquam Batavis unquam sociari, minùs auxiliari possent. Nec eam à se hostium, præsertim vicinorum multitudinem timeri, ex quo tributorum campi dilatentur, magno augendarum virium additamento. Sed & Cæsari, pluribusque Principibus, quin & ipsi Galliarum Regi, si præter spem supprimi se contingeret, imponi necessitatem, ut levarent. Et scire se, *Sueciam* haud alienam esse. Inter ea mentis oblectamenta distracto Principe, Caduceatores satis coram notabant procurandæ pacis difficultatem. E contra demùm perpendi consideratiùs rogant. Esto profligari semel hostium copias, num propterea exhausti sint Batavorum thesauri, vel ita vires accisæ, aut extenuatæ Confœderatorum

Multa stimulant C. Bernardum.

Tandem variorũ Legatione pax persuadetur.

rum ditiones, ut ex iis non possit brevi coalescere potentia longè major? Et neminem hodiè reperiri, quantumcunque fautorem, qui vel remotè auxilij quidquam ostentare ausit, aut velit. Ipsam in societate Britanniam promissæ opis, menstruique subsidij immemorem, certè noxiæ tarditatis incusari. Spem ex necessitate conceptam adeò debilem censeri, ut inter eam rerum humanarum varietatem, nemo prudens, relictâ ancipite, viam non suadeat securiorem. Tandem igitur. *Wiedenbruckio* postremùm redeunte, in pacem Conciliatorum arbitrio concinnandam descendit, sed ea libertate, quam peritiores à necessitate vel coactione haud secernunt. 1666.

Vix ille *Clivos* pedem refert, dum nunciatur *Tempelius* Caroli Britanni Legatus adventare. Jussu mox *Christophori Bernardi*, armatorum facilè quindecim millia è vicinis præsidiis educuntur, & venienti Legato obviam procedunt. Eâ stipatus coronâ per Diœcesin ducitur. Et ipse Princeps horæ iter ab Urbe obvius, suâ exceptum sellâ, tantum inter comitatum, tormentorumque latè boantium fragorem, magnificè *Monasterium* introducit. Tam Legatus militem cum admiratione laudavit, quam fassus est, sensûs experimento sibi jam constare, impensum haud otiosè subsidiarium æs Britannum. Ad- 96. *Legatus Anglicus.* *Cum pompâ exceptus*

1666. ventûs causa fuit, ut à pace Principis animum dimoveret. *In Angliam famâ perlatum, à diversis Principem urgeri ad pacem cum Vnitis Provinciis seorsim conciliandam. Nolle id sperare Regem à socio, cujus amicitiam aequè ac felices armorum progressus magni hactenus aestimârit; quin potiùs eâdem animorum conspiratione bellum adversus communem hostem utrinq; gloriosiùs continuetur. Britannos geminâ jam naumachiâ superiores evasisse, & majora cælorum beneficio expectari. Honorificam magis ac longè utiliorem sponderi pacem ab amici Regis authoritate, & adminiculo victoriarum, quam sejunctus sperare possit ab alienis, certè invidiis obtrusam. Christophorus Bernardus* laudato Regis affectu, in eas haud obscurè dolet angustias se dilapsum. Spe auxiliaris ex Anglia militiæ frustratum. Promissos Legatione Regiâ adjutores, aut certè non obfuturos, hodiè fateri se hostes. Cæsaris & Hispanorum favores evanuisse. Sed quod caput, sponsa lege fœderis subsidia plures jam menses desiderari, quorum ope tantum authorare militem animus erat, ut spreto qualicunque hostium numero ab omni se necessitate faciliùs explicâsset. Legatus excusato ob ingruentem tunc hyemem auxiliarium copiarum defectu, sanctè nunc spondet propediem adfuturas, per *Amasim*, *Dullarti*, aut *Frisij* maris littora, Monasteriensibus

Prosecutionem belli urget.

Aureis promissis

bus certò sociandas. Eum interim videre se militiæ statum, ut tantisper bellum etiam utiliter trahi possit. Et ne quid inposterùm nervi desit, priorum mensium defectus omnes unâ jam solutione, statim suppleturum Regem; ac præterea centum, imò ducenta Imperialium millia anticipatò numeraturum. 1665.

Haud obturatis auribus percepit hæc Princeps, quin expedito mox cursore suos Legatos monet, neutiquam tractatus maturent, minimè verò absolvant, sed dextrè trahantur, donec aliud ipsus imperârit. At verò, dum illi tribus jam antè Tabellarij adventum horis, interpositione Conciliatorum, partiumque voluntate concluſam, subscriptamque pacem respondent, *Christophorus Bernardus*, quantumvis impatiens, Legatum dimisit, tam dimisso, quam dimittente, rerum magnarum spe frustratis. Persuasus posteà, (quo nescio spiritu) inferente *Clivis* pedem Cursore, inter partes quidem de pace conventum, at necdum tabulis subscriptum fuisse, quam ex eo concepit indignationem, vix unquam verè depositi, propè recrudescentem, quoties injecta fuit mentio istius pacis, velut iniquæ, me coram, Legatis non semel exprobratæ. An apprehensum patriæ periculum subscriptionem extorserit, an constantiæ dehonestamentum, (si quidem, quod Legati tamen continuò pernegârunt, ita se res habuisset) 97.

Fluctuante C. Bernardo.

Pax concluſa.

Quantumvis ingrata.

1666. set) nos in medio relinquemus. Dies erat, quo Dominicæ cœnæ memoriam colit Ecclesia, & post consecratum de more christi unà & verè soli prandebamus, quando tabu *Monasterium* perferebantur. Certum e paucos tunc stimulos omninò potuisse, quas initio rejiciebat, facilè nunquam re habuisset. Sed ea videbatur evidentia pe culi & magnitudo, ut firmatam pace securi

98. tem præstaret amplecti, quam dubios inter

Pax Batavo-Monasterien-sis rum eventus incertum porrò tentare. Tandem igitur obluctante quamvis animo, compositus acquievit. Et hic tenor pa erat.

Notum sit unicuique hisce præsentibus, qu cum anno proximè elapso orta sint quædam di fidia inter Celsos & Præpotentes Dominos Ordines Generales Fœderatarum Belgij Provinciarum ab una, & Reverendissimum ac Celsissimum Dominum D. Christophorum Bernardum Episcopum & Principem Monasterien-sem & ab altera parte, quæ eousq; increverunt, ut non modò in apertum bellum exarserint, sed & periculum fuerit, ne se ad vicinas etiam Regiones, præcipuè verò ad Romani Imperij Terras & Dicriones extenderent, easq; suis incommodis & damnis involverent, nisi in tempore provisum esset, quo dicta dissidia, eorumq; calamitatis, pericula & sequelæ viâ amicabili componerentur, tandem divinâ bonitate factum esse, ut mediantibus

tibus, annitentibus, & operam suam conferentibus, Romanorum Imperatore, Rege Christianissimo, Sacri Romani Impery Electoribus, Moguntino, Coloniensi ac Brandenburgico, & Principibus, Episcopo Paderbornensi, Palatino Rheni Neoburgico, Ducibus Brunsuico-Lunaburgicis Wulffenbuttano & Calenbergensi; de pace sit suscepta cogitatio; in eumq; finem Domini Ordines Generales uniti Belgij, ad tam bonam metam collimantes commiserunt ac deputarunt Nobilissimum & strenuum Dominum Hieronymum à Beverningh in consessu Dominorum Ordinum Generalium Deputatum ab una: & praedictus Dominus Episcopus & Princeps Monasterienssis ab altera parte, Admodum Reverendum & Generosum Dominum Matthiam Korff dictum Smising, nec-non Nobilissimum ac strenuum Dominum Bernardum à VViedenbruck, respectivè Ecclesiarum Cathedralium Monasterienssis & Hildesheimensis Decanum & Thesaurarium, & praedicti Domini Episcopi intimos Consiliarios, ac Judicij Aulici Monasterienssis Praesidem: qui vigore sufficientium mandatorum & necessariarum Procurationum (quarum Apographa sub finem hujus instrumenti de verbo ad verbum inserta sunt) in mutuas Pacis & amicitiæ leges consenserunt & convenerunt tenore sequenti.

I. Pax sit perpetua & constans inter Celsos & Praepotentes Dominos Ordines uniti Belgij, & Reverendissimum ac Celsissimum Dominum Episcopum & Principem Monasterienssem, eaq; sic colatur & servetur serio, ut mutuis sibi invicem commodis studeant, & omnia humanitatis, bonæq; vicinia officia praestent.

II. Sit omnium utriusq; actorum Amnestia, & perpetua

tua oblivio eorum, quæ ab una vel altera parte facta sunt, ita ut nec eorum, nec ullius alterius causâ vel prætextu alter alteri posthac quidquam hostilitatis, molestiæ vel impedimenti inferat, moliatur, aut in detrimentum vel præjudicium alteriùs tentet, aut tentari faciat: sit etiam Amnestia hæc universalis, ratione omnium eorum, qui vel alteri parti adhæserunt, exceptis iis, qui proditionis arguentur, ita tamen, ut illis via juris utrinq; aperta, & uxoribus, liberisq; & hæredibus bona salva maneant, Dominus Episcopus nemini Vasallorum ex occasione & causâ hujus Belli investituram tam ab Episcopatu Monasteriensi, quam Abbatiâ Corbeiensi dependentem negabit, neq; ob alias prætensiones aut lites protrahet aut differet; quod idem parte Dominorum Ordinum in similibus casibus reciprocè observabitur.

III. Porrò Dominus Episcopus Monasteriensis statim & illicò pace factâ Dominis Ordinibus Generalibus Confœderati Belgij restituet omnia ea loca, nullo reservato, quæ durante hoc bello occupavit, & quæ ex iisdem in ipsius potestate tempore conclusionis invenientur; eaq; omnia in eo statu reddet, quo tempore restitutionis erunt, specialiter etiam Castrum & Oppidum Borculo, & insuper promittet, se durante hoc negotio, & à die ultimo mensis Martij sedulò curaturum, ne interea in prædictis locis occupatis, suo facto vel mandato, quidquam deteriùs reddatur, aut à subditis aliquid ampliùs vel pro redimendis ædibus, vel sub aliorum belli onerum prætextu, quocunq; demùm nomine fiat, petatur aut exigatur; sed ò contra providebit modis omnibus, ut in eo statu conserventur, quo die antenominato fuêre, & si quid contrarium intereà actum, ipso

bona fide resarciet, & in priorem illum statum suis impensis restituet; eumq; in finem utrinq; liberum sit, Commissarios aliquot, si velint, quam-primùm ad præfata loca mittere, qui curent, ne quid contra tenorem hujus articuli quis attentet.

IV. Curabit insuper bona fide, ut miles omnis, qui præfato tempore in prædictis locis reperietur, ex iis omnibus & quidem generaliter ex universo Territorio Dominorum Ordinum Generalium abducatur; liberum autem ei transitum per territoria sua, modo necessarius sit, Domini Ordines Generales pollicentur, ita tamen, ut breviori & commodiori, qua fieri poterit, viâ, eaq; quam præeunte Commissario præscribent, ad Territorium Monasterienſe transeat, nec spolium ullum aut bona depredata secum auferat, nec vim aut damnum quodcunq; incolis in eo transitu inferat.

V. Vicissim Domini Ordines Generales bona fide promittunt, nullum actum hostilitatis à die vigesimo quarto Aprilis contra Dominum Episcopum, aut ejus Episcopatum Monasterienſem exercituros, & si quid contrarium actum fuerit, se bona fide resarcituros.

VI. Domini Ordines Generales ex Territorio Domini Episcopi Exercitum suum, omnemq; militem abducent, qui tum temporis ibidem in expeditione aut statione reperietur; eodemq; modo liber iis transitus concedetur, si necessarius sit, nec vim aut damnum quodcunq; Incolis eo transitu inferat, nec spolium ullum aut bona post prædictum diem depredata secum auferat. Captivi etiam cujus belli, cujuscunq; conditionis sint, utrinq; sinè soluto pretio seu lytro, liberi dimittentur, solutis solummodo debi-

sis in captivitate ab iis legitimè contractis; nec exigentur posthac, quod à prædictis captivis aut etiam durante hoc bello ab unius vel alterius incolis extortum, & promissum quidem, sed prædicto die vigesimo quarto Aprilis nondum præstitum fuerit: & cum ab una vel altera parte indictæ sint contributiones ad certas summas pro personarum & locorum securitate, singulis mensibus aut septimanis persolvenda, ea secundum normam & regulam, de qua cum Oppidorum aut Pagorum Commissariis, aliisve quibuscunque conventum est, ad ultimum usq; diem hujus mensis Aprilis, nec ulteriùs persolvantur.

VII. Conventum est, ut Dominus Episcopus Exercitum suum statim subsecutâ ratificatione hujus tractatus dimittat, retento solummodò eo milite, qui firmandis præsidiis & ad securitatem Provinciæ suæ necessarius est, quod cum Domini Mediatores, & ipse Dominus Episcopus judicent, fieri posse cum tribus millibus, ità & ille promittit, se illum numerum non excessurum; & quod in posterum novum militem non conscribet, nisi id necessitas & securitas Imperij & Circulorum, vel etiam fœdera huic Tractatui non contraria requisiverint aut postulaverint; idq; insuper non aliter, quam secundum Imperij Constitutiones, Instrumentum Pacis, & Jura Principum, quibus Domini Ordines per hoc nihil derogatum volunt.

VIII. Renunciabit insuper Dominus Episcopus omnibus & singulis Fœderibus huic Paci contrariis, & nunquam se de novo contra Dominos Ordines Generales cum aliis Principibus aut Magnatibus devinciet, neq; eorum Reipub. novo unquam bello adorietur.

VIII. Renunciabit insuper Dominus Episcopus omnibus

bus & singulis Fœderibus huic Paci contrariis, & nunquam se de novo contra Dominos Ordines Generales cum aliis Principibus aut Magnatibus devinciet, neq; eorum Remp. novo unquàm bello adorietur.

IX. Ut & ad reciprocam Domini Episcopi securitatem Domini Ordines Generales declarabunt, quemádmodum declarant hisce præsentibus, se deinceps nullis omninò fœderibus obstrictos fore, quæ huic paci sint contraria, ejusvè scopum aut effectus aliquomodo possint impedire; bonâ etiam fide promittunt, se peracto hujus Tractatus negotio nihil unquam hostile sub quocunq; prætextu, vi aut armis contra Domini Episcopi personam, aut contra Episcopatus Monasterienses Territoria molituros, neq; unquam se contra eundem, aut ejus Episcopatum cum aliis Principibus aut Magnatibus devincturos.

X. Confœderati etiam & Amici hoc Tractatu comprehenduntur, & nominatim ex parte Dominorum Ordinum Generalium, Serenissimus & Potentissimus Princeps ac Dominus, Dominus Fridericus Tertius, Daniæ, Norvvegiæ, Gothorum & Vandalorum Rex &c. Serenissimus & Celsissimus Princeps ac Dominus, Dominus Georgius Wilhelmus Dux Brunsuicensis & Lunæburgensis &c. Reverendissimus, Serenissimus ac Celsissimus Princeps ac Dominus, Dominus Ernestus Augustus, Episcopus Osnabrugensis, Dux Brunsuicensis & Lunæburgensis &c. Serenissimus & Celsissimus Princeps ac Dominus, Dominus Christianus Albertus, Hæres Norvvegiæ, Dux Slesvvici, Holsatiæ etc. Illustrissimus Comes ac Dominus, Dominus Antonius Gunterus, Comes in Oldenburg etc. cum omnibus Regnis, Ducatibus, Comitatibus, Ditionibus, Re-

gionibus & Terris, quæ jam possident, aut inposterùm possidebunt, simul & eorum incolis & subditis: Et expresse Domini Episcopi Monasterienſis, Sacra Cæsarea Majestas & Romanum Imperium, ac Confœderati Rhenani, aut qui ex iis vel aliis amicis includi voluerint, & duorum mensium spatio se includi velle declaraverint, cum omnibus Regnis, Ducatibus, Comitatibus, Ditionibus, Regionibus & Terris, quæ jam possident, aut inposterùm possidebunt, simul & eorum Incolis & subditis. Similiter includantur utriusq; partis Duces & Præfecti militiæ, nominatim Illustrissimus Comes ac Dominus, Dominus Georgius Fridericus Comes de Waldeck cum suis Comitatibus & Terris, idq; eo cum effectu, ut de omnibus & singulis in iis contentis absolutè gaudeat, eodem modo & eodem jure, quo ipsæ partes Principales, ita tamen, ut si inter partes prædictas, illarumq; Confœderatos & comprehensos ulla aut controversia quædam aut jam sit, aut deinceps oriri fuerit, illa hinc indè non aliter, quam via amicabili, aut secundum jus & Constitutiones Imperij absq; viâ facti aut armorum strepitu determinetur.

XI. Quantum ad Dominium de Borculoa, Domini Ordines Generales non desiderant, ut ratione juris sivè directi Dominij, sivè utilis, per hunc Tractatum aliquid mutetur, sed maneat hoc jus in eo statu, in quo fuit ante hoc Bellum: Renunciat verò præfatus Dominus Episcopus juri superioritatis in dicto Dominio de Borculoa eum suis dependentiis cum consensu Capituli, ita tamen ut ista renunciatio non præjudicet juri Imperij, sed illud per omnia salvum maneat, quod ipsum tamen inter Imperatorem & Dominos Ordines non nisi amicabili aut aliâ via utrinq; benè viâ XII. decidetur.

XII. Uti & utriuq; omnibus ac singulis prætensionibus, quæcunq; tandem illæ sint, vel esse possint, porrò Domini Ordines Generales & Dominus Episcopus, etiam consentiente prædicto Capitulo Monasterienſi, bonâ fide renunciant, ita ut præsenti hoc Tractatu pro extinctis habeantur.

XIII. Nunquam post hac Dominus Episcopus, vel ejus Successores sub quocunq; prætextu, vel ex quacunq; causa, neq; per se, neq; per sibi incorporatos & subjectos, causis ad Dominos Ordines Generales Confœderati Belgij, ejusq; incorporatos & subjectos pertinentibus se immiscebit, neq; in posterùm contra illos arresta & repressalia decernet, vel executiones rerum judicatarum impediet, & si quæ controversiæ præter spem inter prædictos Dominos Ordines & Dominum Episcoqum, ejusvè successores unquam oriantur, non alio quam amicabili modò, vi Guarantiæ super hoc Tractatu præstitæ componantur; Privatorum verò lites semper ad Judicem competentem remittantur, earum autem vel etiam cujuscunq; alterius prætextu & causâ, nunquam contra Dominos Ordines Grnerales, ejusvé incorporatos & subjectos, armis, vi, aut facto ipso aliquid attentabit; idem Domini Ordines Generales Confœderati Belgij pro se & omnibus sibi incorporatis pollicentur atq; promittunt; quem in finem utraq; pars paciscens tenebitur, quemadmodum se teneri velle hoc ipso se obstringit & obligat facturum, ut omnibus & singulis partibus in Judicio litigantibus, absq; morâ et ullo personarum respectu justitia administretur.

XIV. Ad majorem prædictorum cautelam, et securitatem Romanorum Imperator, Rex Christianissimus, Electores Moguntinus, Colonienſis et Brandenburgicus, Episcopus

pius, Paderbornensis, Princeps Palatinus Rheni Neoburgicus, Augustus et Joannes Fridericus Duces Brunsuicenses et Lunaburgenses, usq; dum plures ad eandem requirantur, super hoc Tractatu, et omnibus ac singulis ejus Articulis Guarantiam, solenni et meliori formâ vigore specialibus desuper confecti instrumenti promittunt, ita ut si una vel altera pars huic Paci, ejusq; articulis non satisfecerit, vel iisdem quocunq; tempore in quocunq; capite contravenerit, obstricti esse velint, eam non solùm auctoritatum et dignitatum suarum interventione, sed et omni ope et mediis sufficientibus ad implenda et servanda pacta compulsuros.

XV. Item conventum est, et utrinq; placuit, quod presens Tractatus, atq; omnia in eo contenta et concluſa à dictis Dominis Ordinibus Generalibus Fœderatarum Provinciarum, et dicto Domino Episcopo et Principe, simul et à Capitulo Monasteriensi per patentes utriusq; partis litteras sigillo magno munitas, debitâ et authenticâ formâ, intra quindecim dies proximè insequentes, aut citiùs, si fieri poterit, confirmabuntur, et ratihabebuntur, mutuaq; instrumenta intra praedictum tempus hinc indè extradentur, et concedetur hunc in finem illis, qui extraditionem istam facient, salvus conductus, qui hoc ipso pro concesso habebitur, fietq; à die praedictæ extraditionis Militum exauctoratio, prout articulo septimo conventum, nec ab exauctoratione cessetur, donec illa perfecta fuerit, quod absq; intervallo, et intra quindecim dies à praedicto die computandos absolvi debet, nec non et Tractatus hic statim a traditis et permutatis Instrumentis, formâ et loco solitis publicabitur.

In

In quorum omnium fidem prænominatus Celsorum & Præpotentum Dominorum Ordinum Generalium Deputatus Extraordinarius, sicut & prænominati Reverendissimi ac Celsissimi Episcopi & Principis Monasteriensis Deputati Extraordinarij, vi & vigore præfatarum suarum commissionum & mandatorum, manibus propriis subscripserunt, & sigillis suis muniverunt. Actum Clivis ipso die Palmarum, qui est decimus octavus Aprilis An. 1666.

H. Beverningh. (L.S.)

Matthias Korff *dictus* Smisingh. (L.S.)

Bernard à Wiedenbruck. (L.S.)

In supradictorum omnium fidem infrascripti Domini Plenipotentiarij non solùm hoc Instrumentum subsignatione suâ communiverunt, sed insuper etiam promiserunt, sicut & ipsi promittunt, quod spatio sex septimanarum Guarantiæ seu Manutentionis assecurationem in tali forma prout conventum, & à dictis Dominis Plenipotentiariis, ipsis partibus pacisicentibus extraditum, propriâ Dominorum Committentium suorum manu subscriptam exhiberi curabunt. Actum Clivis eodem quo suprà die Palmarum, qui est 18. Aprilis Anno 1666.

Joannes Baro de Goese *Sacræ Cæsareæ Majestatis Plenipotentiarius.*

Colbert *Sacræ Christianissimæ Majestatis Plenipotentiarius.*

Melch. Fridericus Liber Baro de Schônborn.

Henricus Batz *Doctor & Christophorus* Gudenus *Doctor Plenipotentiarij Electoris Moguntini.*

Petrus Buschman *Plenipotentiarius Electoris Colenienſis.*

1666. *Otto Liber Baro à* Schwerin, *& Wernerus Wilhelmus* Blaeſpiel *Plenipotentiarij Electoris Brandenburgici.*

Caſparus Philippus à Ketteler. *Joannes Adolphus Liber Baro de* Furſtenberg. *Conradus* Meinders *Doctor. Conſiliarij Epiſcopi Paderbornenſis & Plenipotentiarij.*

Franciſcus de Gieſe *Plenipotentiarius Ducis Palatino-Neoburgici.*

Fridericus ab Heimbuck, *Auguſti Ducis Brunſuicenſis & Lunaburgenſis Plenipotentiarius.*

Otto Grote *& Ludolphus* Hugo, *Joannis Friderici Ducis Brunſuicenſis & Lunaburgenſis Plenipotentiarij.*

Articulo ſupra quinto conventum erat, ut poſt diem Aprilis vigeſimum quartum ab omni hoſtilitate ſe continerent partes, & ſi quid ſecùs actum fuerit, id bonâ fide reſarcirent. Poſtularet autem æquitatis ratio, ne loca occupata ante reſtituantur, quam actus ceſſent hoſtilitatis; quod dies vigeſimus quartus in provigilium Paſchatis incideret, terminus is in diem vigeſimum ſeptimum partium conſenſu extenſus eſt, ac tum omnem quoque militem ex dictis locis abſque ulteriore morâ abducendum eſſe. Ita poſt expeditas pacis tabulas privato tractatu, eodem tamen die, inter paciſcentes convenit.

Stante hac Clivenſi diætâ *Georgius Wilhelmus*

mus & Ernestus Augustus Episcopus Osnabrugensis *Duces Brunsuico-Lunæburgici* præsentium isthic Legatorum operam imploraverant, ut quæ super Præfectura *Harpstettensi*, ac limitaneis quibusdam pagis in *Vechtensi* satrapia, ipsaque Civitate *Huxariâ* Domui Brunsuicensi cum Monasterienſi Episcopo sint controversiæ, eorum pariter interpositione componerentur. Hoc ipso quoque Palmarum festo transactum est, ut quidquid hodiè sit dissensionum, aut eas inter partes aliquando enasci contigerit, amicâ solùm vel juris viâ sopiatur. Et insuper declaravit Monasteriensis Antistes, id *Huxariensibus* se concessurum, quod Westphalicæ pacis, ejusdemque executionis lege deberetur. Eum in finem partium Ablegatos intra bimestre congregatum iri, statuturos, quod juris & æquitatis ratio postulârit. Sin minùs fortè tunc convenire possint, à vi tamen & armis utrinque Principes inposterùm se continebunt.

1666. 99. *Controversia Brunsuico-Monasteriensis.*

Ad amicam concordiam rejiciuntur.

Inter arbitros ferè primus fuit *Guilielmus* Ego *Princeps Furstenbergius* Agrippinatis Octoviri Legatus, qui nunc est in Argentinensi Pontificatu Germani Fratris Francisci Egonis Successor, & in Purpuratorum Senatu Cardinalis. Inter subscribentes non memoratur, quod negatâ, quam suaserat, subscribendi normâ, omnem posteà subscriptionem studiosè declinârit.

1666. 100. *Pacis Ratificatio.*

Non multò post, pactam ita pacem *Christophorus Bernardus* ratam habuit, & suo, suique Cathedralis Collegij sigillis roboratam, Ordinibus extradendam, commisit Henrico *Bruchausio* Secretario intimiori, qui & *Hugam-Comitis* sub principium Maij pertulit; *Syburgius* contrà Legationis Clivicæ Secretarius pari formâ approbatum à Rep. pacis instrumentum, manu *Nieveny*, tunc in Ordinum confessu Præsidis, ac *Ruyschy* Reip. Graphiarij signatum, subscriptumque ac majori Reip. sigillo munitum, sexto Idus Maij Comitiæ Principi consignavit.

Vix Monasterio in Hollandiam discesserat *Bruchausius*, cum è Suecià redduntur literæ, quæ adversùs Batavos opem offerunt, sex millia armatorum. Has sanè si pertulisset ante Tabellarius, magno Principi fuissent protrahendæ pacis tentamento. Nunc verò post oblatos seriùs favores, commutatis utrinque tabulis, per unitas Provincias & Monasteriensem quoque Diœcesin promulgata, militis exauctorationem acceleravit. Hispanus Belgij Gubernator, operâ Legati, plures à Monasteriensi Legiones expetivit, quæ tandem Hispaniarum Regi transcriptæ, Ductore *Plurenio*, in Brabantiam transiêre. Gallis etiam, quorum præsentiæ jampridem Belgas tædebat, per Eburones in Regionem suam redeuntibus; *Patres Societatis*, annitente cumpri-

Dimissio militum.

mis

mis Electore Brandenburgico, quos nuper e- 1666.
jecerat innocentia, *Embricam* revocavit. 101.

Hæc inter emerserant dubia quædam ac difficultates, circa residuum tributi onus, dimissionem captivorum, ratæque pacis executionem; quæ, ne in litium novarum semina valerent, partium consensu, in amicam *Northornæ* compositionem rejecta sunt. Civitas ea est in Comitatu *Benthemensi* sita. Isthic vigesimâ secundâ Julij pro Confœderatis Ordinicus stitêre se *VVittius* Dorderaci Senator; Elbertus Antonius *Palantius* de *Oestervveen*, Dynasta in *Ham* & *Voorst*, ac Rudolphus *Pafferodius* Ex consul *Gorcummiensis*, ex Ordinum Generalium & Concilij Reip. consessu Delegati. Vice Principis Monasterienſis Joannes *Beveren* de *Tvvickel Rheinanus*, & Carolus Othmarus de *Grothaus Cloppenburgicus* Satrapæ, *VViedenbruckius* & *Ravius* Consiliarij comparuerunt, qui & post dierum paucorum disceptationem in sequentia capita convenêre. *Conventio Northornana*

Notum sit universis, cum circa Pacem inter Celsos ac Præpotentes Dominos Ordines Generales Provinciarum Fœderatarum Belgij ex una, & Reverendissimum & Celsissimum Dominum, D. Christophorum Bernardum Episcopum & Principem Monasterienſem &c. ex altera parte die decima octavâ mensis Aprilis hoc anno conclusam, quædam dubia & controversia incide-

rent, quas proſtabiliendâ utrinq; amicitiâ & fidâ vicinitate maturè ſopire, utriusq; partis intereſſe viſum eſt, deinde ex vero dictæ pacificationis ſenſu, declarandis atq; exequendis per Deputatos partium Northornam Ablegatos ſequenti modo conventum eſſe.

I. Quod articulo ſexto inſtrumenti Pacis de Captivis hujus Belli, cujuscunq; conditionis ſint, ſinè lytro dimittendis, ſolvendisq; ſolummodò legitimis eorum debitis in captivitate contractis diſpoſitum, id ita declaratum eſt, ut captivi omnes, nullo penitùs excepto, ſinè omni diſcrimine, ſive illi civiles, ſivè militares ſint, prædicto modo illicò liberi dimittantur. Cum autem de debitis durante captivitate mortuorum & fugitivorum perſolvendis convenire nequiverit, eo quod ex parte DD. Ordinum cum perſonis extinctas atq; abolitas eorum obligationes, & ſi quid privatim indè debeatur, id proſperato lytri commodo ad omnium Domini Territorialis pertinere prætenſum: Ex parte verò Celſitudinis ſuæ ij excepti ſint, qui ſpretâ ſuſtentatione publicâ, ſpecialia & privata ſibi alimenta pacti, datis fidejuſſoribus, quos antè expletam promiſſorum fidem non dimittendos juſtum videbatur, Celſitudo ſua iſtos fidejuſſores quidem ex arreſto dimittet, nihilominùs Eadem gravatam ſe ſentit, quod poſt factam ex ſua parte ſolvendorum ſummptuum oblationem, dimiſſosq; bonâ fide captivos, fidejuſſoribus penes ſe retentis, à DD. Statibus Generalibus verò Captivi hucusq; detenti & indè graves expenſæ cauſatæ ſint, quod ad declarationem DD. Guarantorum remittitur.

II. Eodem dicto articulo comprehenſus §. Et cum abuna vel altera parte &c. usq; ad finem ita declaratus ſit, & maneat, ut nullæ contributiones reſtantes deberi intelligantur,

tur, nec exigendæ, aut solvendæ sint, nisi de quibus ad certam summam & modum singulis mensibus aut septimanis pro personarum aut locorum securitate persolvendis debitè & expresè conventum: quem in finem altè memoratæ partes principales intra proximos tres menses sibi invicem mittant designationem locorum, quæ hac obligationne teneri putabunt, ut quod prædicto modo pro securitate præstitâ deberi agnitum fuerit, secundum expressam conventionis normam, quæ ultra conventa extendi non poterit, solvatur: idq; solo jussu & executione Domini Territorialis debitè requisiti: illiquidis ad DD. Guarantores Pacis remissis.

III. De damno post terminum pacis, seriore evacuatione quorundam locorum, aut alio modo per Officiales & milites Celsissimi Principis Monasterienſis dato, quod supra modum & quidem ad quadraginta mille florenos extendere nituntur Deputati DD. Ordinum: variè quidem hinc indè disceptatum, dum ex parte Celsorum & praporentum DD. Ordinum ex articulo tertio, in verbo, Quodcunque damnum &c. & ex die evacuationi præcisè dicta Serenissimam Celsitudinem ad id refundendum obligatam, creditur. Ex parte verò suæ Celsitudinis protracta DD. Ordinum ratificatio & mora illorum subditorum, qui restantes, debitasq; suis militibus contributiones secundum claram pacis legem solvere detrectabant, eoq; omnis incommodi sereos faciebant; quod laudata sit à Statibus Provincialibus per Colonellum Lutzo observata disciplina militaris, actaque illi sint gratiæ & per hoc omne, si quid non ita benè actum, remissum & oblivioni traditum obmoveatur, & si quid extra has causas damni illatum foret, id ex dispositione & verbis relativis, non aliter quam si facto aut man-

mandato suæ Celsitudini illatum sit, agnoscitur, cum pluribus aliis rationibus utrinq; prolatis. Sed cum ob constantem utriusq; partis contradictionem & contrarium ipsius pacis intellectum, contrariasq; Deputatorum instructiones hic punctus amicabiliter sopiri nequiverit, suaq; Celsitudo se per frequentes militares executiones, Territorij violationes, subditorum arresta, & injurias ac contumelias in propriam personam illatas gravissimè læsam sustinuerit, ad DD. Guarantores, nisi interim DD. Ordinibus, quod speratur ad factam remonstrationem à sua opinione remittere & per exemplares, severas, delictoq; convenientes penas suæ Celsitudini satisfacere visum fuerit, remittitur omni interea à violentiâ, executione, et via facti utrinq; cessante.

IV. Cum etiam de Comitatu Frisiæ Orientalis pacis concludendo actum, isque à DD. Ordinum Deputatis sub verbis: Confœderati & amici &c. pro comprehenso habitum sit, id à DD. Deputatis aliter agnosci non potuit, quam juxta declarationem suæ Celsitudinis ante hac DD. Ordinibus, Electori Brandenburgico, Ducissæ Frisiæ Orientalis perscriptam.

V. Quod insuper querelas quorundam attinet, qui se, durante, partim etiam finito hoc bello confiscationibus bonorum, aliisque modis læsos conquesti sunt, quamvis DD. Ordinum Deputati ad hos Tractatus pertinentes esse negaverint, in hoc tamen consenserunt, ut quatenùs illi ex causa vel occasione hujus belli gravatos se probare poterunt, congruenter pacis legibus restitui, bona eorum uxoribus, liberisq; manere salva, de cætero impartialis justitiæ administratione coram competenti Judice gaudere debeant. Northornæ die vigesimo octavo July 1666.

Et

Et fuit hæc *Northorniana* tranſactio, veluti poſtremùm belli Monaſterienſis complementum. De cujus origine, progreſſu, fine variùs fuit multorum ſermo. Non deerant, qui armorum iniquitatem, certè temeritatem perſtringebant, Epiſcopi à ſociis licet derelicti, Leonem adeò fortem laceſſere audentis. Alii contrà, Monaſterienſem neceſſitate preſſum arma intuliſſe, bellumque haud vano metu imminens, bello ſuo debellâſſe. Securitatem profectò publicâ Cæſaris, Regis, tot Electorum ac Principum fide, Diœceſi aſſertam, à prudentia laudavere. Hanc unam fuiſſe belli ſcopum. Jus ſuperioritatis in *Borculoam* ſub umbra juris Imperij tutò conſervatum; libertati verò ſcribendi militis, per jus Principis & fœdera paci non adverſantia, ſatis conſultum eſſe. Quæ duo per hanc pactionem, non parùm minuiſſe Monaſterienſis authoritatem, initiò videbantur. *Chriſtophorum Bernardum* auxiſſe reverâ plurimùm de ſe, Orbis exiſtimationem, dum primus ipſe, quâ parte Fœderati Belgij Provincias aggreſſus eſt, opinione faciliùs penetrari, turbarique poſſe commonſtravit. Tandem cæptâſſe bellum, quando debuit, admiſiſſe pacem, quando opportunum fuit. Sanè unum contra Epiſcopum Europam propè univerſam moveri vidimus, vel manifeſtum egiſſe hoſtem, vel ſperatam opem ſubtraxiſſe. Notati in medium tunc pro-

1666. 102. *Diſcurſus de hoc bello & pace.*

1666. prodire, quotquot à Batavis injurias, damna passi, jacturam præstari obtendebant, & ut promptiùs impendia ab his reddi, quò cautius sub id adversitatem singulorum declinaret. Ipsum Principem Auriacum Reip. filium adoptârunt, quem sagaciores tamen brevi Patrem augurabantur. Admiranda fuit hoc tempore Poëtarum Belgij propè totius in Monasterienſem Episcopum conspiratio, effusis convitia Batavis, in encomia Brabantis.

103. *Pestis Monasterij.*

At verò uti multa secum mala bellum trahit, è confœderatis ita Provinciis in Monasterienſem Diœcesin hoc etiam tempore pestilentiam invexit. Quæ lues dum plura hinc indè loca corripit, Princeps non ignarus majorem contagione, quam bello terris clademferri, haud intermisit curas in hoc omnes convertere, qua demùm humanâ ope sisteret invalescens malum. Eo fine non pauca præclarè ordinavit; sed quod peccatis hominum immittat hujusmodi flagella iratus justè Deus ea tunc authore me, & jussu Principis, & assensu Collegij Cathedralis, placando Numini cœptâ est devotio, quam statis per hebdomadam diebus, in qualibet Civitatis Monasterienſis æde Parœciali, piè gaudeo, pari animorum fervore & constantiâ hodiedum continuari. Princeps verò sub ea contagione, commissâ Nobis curâ Diœcesis, Corbeiam discessit, ibidemque reliquum anni transegit;

Sollicitudo C. Bern.

Quò Corbeiâ abit.

egit; quem tot præsagiis multi adeò prodi- 1666.
gioſum, imò plurium fide, mundi poſtremum ridiculè fuerant ominati. Sanè tam delira vidimus quorundam ingenia, qui ex illo Vatis Apocalyptici (cap. 13. verſ. 18.) *Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt: & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex. Chriſtophorum Bernardum*, contorto malè ſenſu, Antichriſtum voluerunt. Quod enim is ex mente interpretum habiturus ſit nomen, in quo numerus ſenarius triplex (666.) vel ſexcenti ſexaginta ſex, arithmeticè continebuntur: & hunc numerum complecterentur Epiſcopi Monaſterienſis nativum nomen: *ChrIſtophorVs BernarDVs GaLenVs*: ſivè juxta vernaculum idioma: *ChrIſtophorVs BernarDVs Von GaLen*: fuêre in Hollandia, qui ex eo conficiebant hunc ipſum Antichriſtum eſſe. Sed quod *Lutheri* & *Calvini* aſſeclæ Romanum Pontificem hanc beſtiam jam olim creârint: & hoc ipſo anno Profeſſor quidam *Luoduni Batavorum*, edito in vulgus libello, Turcam eum aſſereret; ut veriorem ſacri Codicis ſenſum taceamus, nimis perſpicuum eſt, otioſum fortè blateronem aut ex ſannionibus quempiam, hoc nominis dehoneſtamentum *Chriſtophoro Bernardo* per calumniam gratis affinxiſſe.

Et imperitè creditus eſt Antichriſtus.

FINIS LIBRI QVINTI.

INDEX.

INDEX.

A.

AA, *seu* Alpha *fluvius* 325. 326. 445. 487. 488. 489. 510
Agger *Alphæ objectus* 488. 497. 511.
Agnes Benthemica *Comitissa Ritbergæ* 599.
Ahlers *Officialis* 58. Ahusia 186. 324. 357. 713.
Aitzema *Monasterienſium Plenipotentiarius Hagæ* 308. 311. 403. 432. *ſollicitat fœdus Hanſeaticum* 389. 392. *præſidium Batavum* 404. 435. *Ablegationem* 484. *alia* 501. 502. 508. *ſuadet projecti acceptationem* 505. *Obſervat. rerum Hollandicarum* 705.
Albachtum. Aldenberga. pagi 481. 482.
Albertus *Bavariæ Dux.* 6. Aldenhauptius *Tribunus* 681.
Aldenſalia. Almeloa. 689.
Alexander ſeptimus, *Pontifex. Vide* Chiſius.
Alpen *Vicarius Generalis Monaſt. Præpoſitus Sanctens.* 1. 6. 10. 48. 480. 481. 501. 527. 543. 650. 724. 742.
Amſtelodamum 362. 405. 452. 576.
Amersbeckius 601. Amſterodius. 538.
Amiſia *vel* Amaſis *fluvius* 46. 113. 114. 489. 603.
Anethanus *Cancellarius Trevirenſis* 56. 283.
Anſelmus Caſimirus *Archi-Ep. Mogunt.* 660.
Anglia *negat auxilia contra Turcam.* 624. *Vid.* Carolus Secundus.
Anna, *ſeu* Onna *Comitiſſa Ritbergæ.* 598.
Anna *Holſatiæ Ducissa* 599. Anti-Chriſtus 742. 743.
Antonius Guntherus *Oldenburgi Comes.* 600. 729.
Apelia *Monaſterium.* 696. Aquisgranum 711.
Arnhemium. 86. 686. 698. Argentoratum 85.
Arlington *Miniſter Statûs in Anglia.* 669. 673.

Arnol-

Arnoldus *Abb. Corbeien.* 567. Arbei *Chiliarcha* 687.
Arrhabo, *seu* Raab *fluvius* 652.
Arx *Coesveldiensis* 270. 273. 275. 443. 445. 447. *Monasterienſis* 532. 534. *Gennepiana* 666. *Dyleriana Vid.* Caſtellum.
Aſcheberg *Nobiles* 13. 54. 340. 341.
Auriaci Principes. *Maria Britanna* 71. 422. *Amelia Vidua. ibid. Vide Guilielmus.*
Aurica *Civitas Friſia* 602.

B.

Badenæ Marchiones 607. 627. 651. 653. 654. 658. 711.
Baeck. Bergen *Nobiles* 340. Baemberg *mons* 515.
Balthaſar *Eſenæ, Stedesdorffi, Witmundæ Dominus* 598.
Balveren *Nob. Gelrus* 484. Baſſerodt *Conſiliarius* 608.
Batavorum *à domo Auriacâ alienatio* 71. *conſternatio* 696. *criminatio* 714.
Batavorum Reſp. *quid faciat de Bevergerna* 67. *de Borculoa* 89. 90. 592. 612. *tractat cum Principibus Rhenanis de fœdere* 301.
Audit Monaſterienſium Ablegatos 303. 390. 309. *Wilichium* 310. *Aitzemanum* 311. *Brabeckium* 609. *Cæſaris Legatum* 612.
Offenditur ex formâ litterarum Cæſaris 613. *negat auxilia* 623. *Scribit ad C. Bernardum* 467. 513. 578. 633. 650. *ad Cæſarem* 625. 647. 676.
In cauſa Monaſterienſi offert interpoſitionem 345. *Civitati ſpem facit ſuppetiarum* 246. *decernit eam liberare ab obſidione* 352. *armatâ manu* 356. 362. *Ejus ablegatio* 357. 484.

Resolutio quoad fœdus Hanseaticum 390. 402. *Remissior in causa civitatis* 402. 458. 459. 510. *Ablegatos Urbis reducit* 403. *quid circa liberationem Civitatis iterum resolvat.* 494. 495. *Urbi mutuat argentum* 466. *suadet projecti acceptationem* 502.

Immiscet se causæ Liechtensteinianæ 603 608. *Castello Dyleriano vim parat.* 629. *expugnationem decernit* [illegible] *oppugnat* 640. *& capit* 644.

Lædit Imperium 664. *Circulum* Westphaliæ 666. *Patrum ab Anglis* 667. 675. *Queritur de conscriptione milit. Monasterienſis* 675. *implorat Regem Galliarum* 67[illegible] *Respondet diffidatoriæ Christ. Bernardi* 691. *Excip. militem Gallicum* 698. *Queritur de eo* 698. 699. *Recuperat Lochemium* 700. *Init fœdus cum Luneburgicis* 678. *Cum Brandenburgico* 705. *Sollicitat plures suppetias* 706. *Cum Christ. Bern. pacem facit* 724. *& ratificat* 736.

Batzius *Consiliarius* 405. 432. 406. 539. 733.

Barthold. *Chiliarcha* 687.

Bavariæ Duces. *Vid. Albertus. Ernestus. Ferdinandus. Maximilianus Henricus.*

Bellum *inter Brandenb. & Neoburgicum* 55. *Bellis, quibus attrita Diœcesis Monasterienſis* 23. *belli timor* 46[illegible] *Bellum Turcicum* 606. 614. *Ejus status* 616.

Benedictio solennis *arcis Coesveldienſis* 443. 444.

Benthemienſes *Comites* 549. 575.

Benthon *Pro-tribunus* 324. Berga *ad Zomam* 718.

Bernardorum *concurrentia* 164.

Bernardina Sophia *Ritbergica, Abbatissa Essend.* 599.

Bercula *fluv.* 46. 113. 445. Berolinum 679.

Beveren *ditio* 65. Beveren *Consul Dordraci* 357.
Beveren *Baronum familia* 66. *Theodoricus. ibid. Guilielmus. ibid. Joannes Godefridus Consiliarius* 66. 601. 602. 606. 608.
Bevergerna *arx* 23. *à C. Bern. recuperata* 66. 235. 244. 422
Beverningh *Legatus* 725. Bevervôrde *Canon. Mon.* 12.
Bevilaqua *Nuncius Apost.* 6. Beuningius *Legatus*. 697.
Bilderbeca 480. 495. 560. Bipontini *Duces* 214. 268.
Bisping *Syndicus Mon.* 551. 606. 608.
Bischoping 356. 486. 58. 116. 170.
Blaespiel *Consil. Brandenb.* 734. Bleckman. 688.
Boickhorst *Orator Cathedralis* 79. 91. 540. 566. *Cancellarius Hildes.* 314.
Bonvisius *Cardinalis* 10. 14. 15. Bonna 679.
Borculoa 84. 357. *adjudicata Monast. Ecclesiæ* 85. *Immititur Comes Styrumm* 88. *Repetitur à C. Bern.* 90. 93. 590. 592. 593. 609. 610. 611. 718. *occupatur* 689. *restituitur*. 726.
Borelius *Legatus* 510. Bournevillius *Dux* 678.
Brabeck *Monasterien. Canon.* 12. *Thesaurarius* 94. *Consiliarius* 31. 150. *Pro-Princeps* 93. *Decanus* 258. 282. *Episcopus Hildes.* 95. *Ejus virtutes* 95. 258. 455. *Ablegatur Osnabrugum* 232. *Hagam* 455. 470. 590. 609. 636. 637. *Berolinum* 677. *componit projectum* 470. *Excipit claves Civitatis* 524. *Repetit Borculoam* 590. 592. 612. *Ejus oratio* 591. *Tractat cum Frisiis* 638. 644.
Brabeck *Chiliarcha* 687. Brandenburgici *Ministri* 714.
Brema 576. 578. *Obsessa* 158. 169. *Civitas Hauseatica* 301.
Bressardus *equitum Ductor* 712. Brochtrup *Civis* 492.
Broeck *Castrum* 357. Bruchausen *Secret.* 80. 606. 736.
Brûmmer *Consil.* 551. Brunckhorstij *Comites* 84.

Brunſuico-Lunæburgici *Duces, conſortes fœderis Rhenani* 411. *tractant cum C. Bern.* 582. *cum Friſio* 601. *Fœderati cum Batavis* 697. 705. *In pace Clivenſi* 716. 729. *Eorum controverſia ad amicam concordiam remittuntur* 735.
Bruxellæ 675. 678. Budericum 666. 714.
Bucholdia 702. 714.
Bucholtz *Vice-Dominus* 10. 12. Bûeren *Nob.* 96.
Burggraviatus Imperij 83. 106. Buck 284. 346.
Buſchman *Cancellarius Colon.* 225. 733. Buſcum-Vetus
P. Buſenbaum *Soc. Jeſu* 242. Butteler *Tribun.* 688.
Burtanga *munimentum* 688. 690. 695. *palus* 696. 712.

C.

Cadetius 486. 688. Caniſia 651. 652.
Capelle *Conſul Zutphan.* 357. Capitatio 124.
Capitulatio *Cæſarea* 407. 408. *Epiſcopalis* 113.
Capitulum Cathedrale Monaſt. *celebrat exequias Ferdinandi Bavari* 6. *procedit ad electionem* 14. 15. *convocat Mallingerotium* 25. 28. 130. 131. *promulgat indultum adminiſtrationis* 28. *diſcors cum Civitate* 72. 124. *Intronizat C. Bernardum* 78. *Cedit Societati hortulum* 145. 198. *Intercedit pro Civitate* 262. *pro civibus captivis* 540. *urget demolitionem Coesveldien.* 447. *agit de arce Monaſterien.* 533. *ſolennis ingreſſus in Civitatem* 543. *confirmat Camerariatum* 585. *probat fœdus Anglicum* 669. *ratificat pacem Clivenſem* 732. 736.
Caraffa *Cardinalis* 119. Cardinalium *Congregatio* 118.
Carmina famoſa 169. Caritas annonæ 46. Carpius 710.
Carolus Caſparus *Elector Treviren.* 274. 283. 314. 395. 411. 497. 588.

Carolus Gustavus *Rex Suecia* 213. *Vid. Suecia.*
Carolus Magnus *propagator Christianitatis* 51.
Carolus Secundus *Rex Angliæ in C. Bern. benevolus* 496. *belligerat cum Batavis* 667. *Fœderatus cum C. Bern.* 669. 670. *meditatur militem submittere* 710. *Ablegat ad C. Bern.* 721. *dehortatur pacem* 722.
Casimirus *Poloniæ Rex* 214. Casonus 7. *præfat.*
Castel-Rodrigo *Belgij Gubernator* 675. 678.
Castra 483. 486.
Castellum *Marianum* 483. 485. *Schenckianum* 666. *vid. Dylerianum.*
Catharina Leopoldina *Ritbergica Comitissa Bergensis* 599.
Chisius *Nuncius Apost.* 25. 26. *concedit indultum administrationis* 27. *Delegat Commissarios* 56. *fit Pontifex* 259. *Ejus Epistola ad Præsules Germaniæ* 286.
Christina *Regina Suecia* 214. Christiernus *Rex* 598.
CHRISTOPH. BERNARDUS *ex Baronibus de Galen* 17. *Canonicus & Thesaurarius Monast.* 10. 12. *Ejus natales, majores* 17. 19. 20. *genius, virtutes* 10. 21. 22. *prævisio* 11. *Eligitur Episcopus* 16. *cum applausu* 17 *considerat miserum patriæ statum* 23. *accipit indultum administrationis* 26. 30. *format aulam* 30. *creat Consiliarios* 31. *confirmatur à Pontifice* 38. *à Cæsare* 42.
Restaurat Sacra 43. *eliminat concubinatum* 44. *subvenit inopiæ* 46. *subditorum in eum amor* 47. *Consecratur Episcopus* 47, *Episcopali munere præclarè fungitur* 49. 119. 274. *plures convertit* 50. *promulgat damnatas propositiones Jansenij* 110. *componit Capitulum cum Civitate* 73.
Recuperat Coesveldiam 62. *Bevergernam* 66. *Vechtam* 128 *Borculoam repetit* 90. 93. 590. 608. 609. 610. 667. 718.

Inauguratur 77. *assumit titulum Burggravij Stromber-gensis* 83. *& Dynastæ Borculoani* 84. *Alveos Amisiæ & Berculæ dilatat* 46. *tollit Eckianam controversiam* 421. *& Bevergernensem* 422.

Mallingcrotium *suspendit* 59. *declarat irregularem* 131. *excommunicat* 136. *arcet ab ingressu Ecclesiæ* 147. *prohibet ejusdem scripta legi* 149. *Statuit illum custodiâ attinere.* 150, *desuper mandat Senatui Urbico* 150. *Resolutioni Senatûs acquiescit* 169. *Explorat mentem Nuncij* 170. *executionem mandat* 171. *probat iniquitatem processûs* Mockeliani 158. 181. *appellat Romam* 166. *invehitur in actiones Mallingcroty* 183. *Eundem captivum Ottensteinam abduci jubet* 320. *& mortuum sepeliri.* 627.

Monasterienſis populi *seditionem exprobrat Senatui* 171. *Refutat Vindicias Civitatis* 207 *in Monasterienses invehitur* 183.210. *excludit illos à Comitiis* 209.212. *Civitatem tentat stratagemate* 238.235. *cingit milite* 249. *Scribit ad Clerum & Officiales causam* 240. *Ablegatos* Schonefliti *audit* 241. 242. *Convenit ibidem cum Civitate* 249. *Eam intrat* 254. *gratias solennes agit* 254.

In Civitatem benevolus 256. *dolet non servari pactionem Schoneflitanam* 257. *offert* Vierdenhalvio *Commissarios* 257. *educit militem è Civitate* 261.262. *Intercludit vias redeunti Viennâ Vierdenhalvio* 275. *Eum Susati arresto detinet* 278. *decretum Viennense pro se interpretatus* Wittenbergio *Præfecturam Urbis renunciat* 294. *dehortatur Civitatem* 304. *Evulgat libellum contra eam* 321. *Eandem obsidet* 323.324.326. *Ejus ab Urbe postulata.* 328.329.352. *respondet ad querelam Nobilitatis* 342. *Interpositionem Nobilitatis admittit* 343. *Batavorum recusat.*

cusat. 345. admittit deditionem Urbis 365. Ejus in obsidione virtutes 369.

Intrat iterùm in Civitatem 382. Inter adversa tamen benignus 383. ad querelas Ordinum respondet 386. transfert Coesveldiam Comitia 387. dissuadet Batavis fœdus cum Civitate 392. 396. inhibita Civitatis responsum reprobat 401. contra quam impetrat mandatum 420. & sententiam, quam promulgat 437. refutat antitypum Civitatis 439. intimat executoriales 441. Accusat Mönasterienses apud Cæsarem 452. 462. significat Batavis adventum militis Cæsareani 464. frustrà conatur impedire mutuationem pecuniarum 467. Excludit Monast. iterùm à Comitiis 478 ad obsidionem se parat. 482. causas evulgat. ib. Castra locat. 483. transfert 486. negat armistitium 485. Resolutionem Batav. dextrè truncatam in Urbem perferri sinit. 505. divertit Batavos 510. excipit Legatos Cæsareos 515. dedit se illi Civitas 516. deditionis capita 517. instrumentum submissionis. 518. abolitionis 520.

Recenset exercit. 524. Introducitur miles in Urbem. ib. Ejus curâ in obsidione 325. Urbis dedition. variis significat 529. Responsoria Pontificis. ib. Mittit auxiliares in Hungariã 531. arcem Monast. struit. 512. 533. diem statuit festivo in Urbem ingressui & promulgat. 534. 535. Triumphans introitus 538. relaxat captivos cives 541. præsentibus largitur aurum 544. cum primoribus magnificè prandet 545 548. & canat 549 novum in Urbe creat Magistratum. 550. & tribuum potestatem tollit 552.

Ratisbonam abit 93. 97. 98. 606. Lustrat Hungariam & Austriam. 103. Sessionem inter Principes uti Burgravius sollicitat & obtinet. 106. 109. Labo-

rat de evacuanda Vechtâ 115. 116. 123. declaratur Director armorum Imperij 627. alia ibidem tractat 607. 608. 609. discedit Ratisbona 116. 629. tendit in Hungariam 650. Ejus ibidem sollicitudo 653. Redit Viennam 658. Abiens à Cæsare donatur pretiosâ Cruce 662. Ejus cum Moguntino amicitia 659. excipitur Erphordiæ 663. redit in Westphaliam. ibid.

Ablegat Varios Coloniam 284. Viennam 285. 431. 495. Parisios 495. 677. in Angliam 495. 669. Bruxellas 495. Berolinum 495. 677. Hagam 362. 455. 636. Ratisbonam 608. Francofurtum 407. 405.

Fœdus paciscitur cum Principibus Rhenanis 216. 411. 417. 587. cum Rege Britanniæ 670. tentat cum Brunsuicensibus 232. cum Batavis 300. 313.

Suppetias mittit Leodiensibus contra Condæanos. 279. Cæsari contra Turcam 531. 629. 595. Moguntino contra Erphordiam 660. Hispanis militem transcribit 736.

Arcem struit Coesveldiæ 270. Monasterij 512. Coesveldiensi primarium lapidem imponit 295. item Sacelli arcis Monasteriensis 579. & tribus aliis Sacellis 593. eadem Josephinam in agro Coesveldiensi erigit & arcem solenni benedictione Ludgeriburgum appellat 443. 444. Cruciphoriam Coesveldiensem celebrat solenniter 478.

Scribit ad Clerum & Officiales 240. ad Civitatem Monast. 304. 150. ad Civitates Hanseaticas 306. ad Batavos 90. 396. 469. 606, 636.

Excipit Legatos Batavorum 357. 360. 374. Cæsaris 515. 524. Electorem Colonienſem 584.

Fundat festos dies 559. item anniversariam introitûs in Urbem, ac sui post obitum memoriam 561. & Camerariatum hereditarium 585.

Post-

Postulatur Abbas Corbeiensis 568. *confirmatur & privilegiorum confirmationem obtinet* 569. *Corbeia excipitur* 581. *cum variis isthic Principibus agit* 582. *multa restaurat. Conventuales Huxariam reducit* 583.

Quoad jus postarum *mandatum Cæsaris pro Tassio exequitur* 575. *ad variorum desuper querelam respondet* 578.

In causa Liechtensteiniana *Commissarius Executor* 600. *tentat compositionem* 601. *occupat Castellum Dyleranum* 604. *Batavorum Litteris respondet* 609. *hac super causa Ratisbonæ transigit* 608. *Quid Batavis Castello Dyleriano vim parantibus reponat* 636. *Novum cum Frisiis pactum approbat* 638. *Obsidionis Dylerianæ solutionem desperat* 643. *frustra suos ablegat in Frisiam* 644. *multa dolet & dissimulat* 649. *Acerbas Batavorum litteras apprehendit* 649.

Reduxex Hungaria intendit securitati patriæ 663. *laborat de redintegrando Circulo, ejusq; Directorio* 664. *author conventus Dürstensis* 665. *& pars magna compositionis perpetuæ inter Brandenb. & Neoburgicum* 666. *Fluctuat an* bellum contra Batavos *prosequi velit* 667. *Rationes pro & contra* 668. *deliberat cum Capitulo* 669. *init fœdus cum Carolo Britanniæ Rege* 669. 670. *conscribit exercitum* 673. *varius de eo sermo* 674 *Diversos ablegat* 677. *Sollicitat Regem Galliarum & Brandenburgicum* 678. *creat Archistrategum* 679.

Desperatâ pace bellum prosequitur 682. *Causas evulgat* 683. *significat Cæsari* 687. *lustrato exercitu castra movet* 688. *Tubantiam invadit* 689. *Varias Civitates & arces occupat* 689. *exercitum ducit in Ommen.* 691. *partem in Embslandiam* 694. *partem immittit in Drenthiam*

thiam. 695. super paludes Burtangæ pontem sternit. 696. ejus beneficio septum exercitum salvat 701. & in hostem ducit 702. sollicitat opem Cæsaris 706. pax suadetur 715. æquam non renuit 716. Ablegat eo fine in Cliviam 716. docet justitiam belli 717. ad pacem propositam difficilis. 720. tandem persuadetur 721. Rege Carolo dissuadente. 722. fluctuat 723. pacem admittit 724. & ratificat 736. Dimittit militem & Hispanis transcribit 736. Ejus prudentia in bello hoc & pace 740. Sollicitudo tempore pestis. 842. Corbeiam abit, & imperitè creditus est Anti-Christus 743.

Circuli Westphalici *directorium 665. 666. mutilatio 666.*

Civitates Diœcesanæ 124. 264. 276. 277. Mixta quæ 433.

Clarisius *militiæ Moguntinæ Præfectus 253*

Clivia *ducatus 664. 666. 704. 714.*

Clivi *Civitas 666. 716. 733. 281.*

Clutius *390. 443. 449. 453. 474.* Coïet *Legatus 465.*

Coesveldia *miraculis nobilitata 495. ab Hassis infessa 23. evacuatur 63. pugna prope eam 177. eò transferuntur Tribunalia 234. extruitur arx 270. Civium querela 272. Vide* Comitia. Cruciphoria.

Colbert *Minister Franciæ 733.*

Colignius *Gallorum in Hungaria Dux. 651. 652. 653.*

Colonia 670. 283. Cometa 663. Cõmissarij *274. 278. 283. 56*

Comitia Imperij 77. 605. 607. 608. Provincialia *Monasterij 37. 124. 125 384.* Coesveldiæ *209. 276. 318. 387. 444. 448. 464. 478.* Wolbecæ *260. 264. Sassenbergæ 531.* Circularia 116. 158. 576.

Concordia *cum Monasterienfibus frustrà tentatur 317.*

Concubinatus *eliminatus 43.* Condæani *Leodio infesti 279*

Confluxus *Monasterium post obsidionem 371. ad solen-*

nem

nem Christoph. Bernardi introitum. 80. 537. 543.
Consiliarij Christ. Bernardi 31. 150. 152. 160.
Conventus Colonienſis 283. Durſtenſis 665. Northornanus 737. Nobilium 334. Circulorum Weſtph. & Saxonici. 158. 576.
Corbeia 603. 604. Arnoldus Abbas moritur 567. C. Bern. poſtulatur 568. Corbeienſis exemptio 568. jura & privilegia 569.
Cratzius Chiliarcha 279. 327. Epiſc. Wormat. vid. Hugo.
Cromvvellius Protector Angliæ 214. Crohn. Trib. 688. 605.
Cruciphoria Coesveldienſis 443. 478. Strombergenſis 480.

D.

Daelem oppid. 710. Daniæ Rex 607. Danubius 654.
Dylerianum Caſtellum 603. 606. 608. 667. à Batavis pro hypothecâ deſideratum 603. à C. Bern. occupatur 604 oppugnatur à Batavis 640. deditur 641. 644.
Diepenheim 689.
Diepholtij Com. 85. Diepenbroeck. Nob. 294.
Dinclagen arx 127. Dickhoff 176.
Dodingvveerdij 84. Doetichemum opp. 689.
Dominicani 442. Dordracum Civ. 362.
Dorth caſtrum 689. Dorth nobiles 341.
Drachterus Conſiliarius Principis 232. fit Syndicus Monaſterienſis 284. Deputatur Coloniam 284. Viennam 285. 297. 431. ad Civitates Hanſeaticas 301. Comitis-Hagam 303. 318. 387. 390. 465. 466. 467. redit Monaſteriũ. 309. 474. capitur & ducitur Ottenſteinam 324. reſtituitur. 366.
Dravus fluv. 651. Drenthia 691. 695. 696.
Droſte ex Viſcheringh. 96. familiæ annexus dapiferatus 585. Godefridus. 12. Goſvinus Canon. Burſarius.

Camera

Cameræ & Concilij Præses 13. 650. Adolphus Henricus 13, 321. Heidenricus Satrapa, Dapifer 81. 294.
Duacum 586. Dulmania 317. 318 *Durstena* 665.
Dusseldorpium 679. Dusseldorpius *Præpos. Sanctens.* 47. 48. 97.

E.

Ecclesia, *extra quam nulla salus 50. Ejus unitas 51. continua successio 52.*
Eckiana *controversia & tributum 421. tollitur. ibid.*
Efferen 687. Elts 498. Eisengarden 485. 487.
Eitzen *Syndicus Monast. 442. Mittitur in Hollandiam 449. ejus temeritas 453. genius 460. exauthoratur 464. 465.*
Electio *Christ. Bernardi 15. impugnatur 24. 34. confirmatur 38 promulgatur 39. Ferdinandi quarti Regis Romanorum 103. Magistratûs Monasterienſis 279. Alexandri VII 259. Leopoldi Imperatoris 409.*
Elvervelt *Tribunus* 528. 606. 644. 688. 700.
Embda 667. Embrica 666. 704. 714. Enschede 712.
Enno *Frisiæ Orientalis Comes* 598. *acquirit Esenam, Sittedesdorff & Witmundt* 599. *vide Frisia Orient.*
Eques *Tabellarius* 503. Ericus *Episcopus Mon.* 251.
Ernestus *Episc. Mon.* 7. 297. 440. S. Erpo *Episc.* 65.
Erphordia 658. 659. *subjugatur* 660. Essendia 116.
D'Estrades *Orator Regis Christianissimi* 590.
Exemptio *Villarum odiosa* 276. Excommunicatio *Mallingeroty* 136.

F.

Faber *Mareschallus Franciæ* 510. Fabri *Chiliarcha* 526. 531.

Ferdinandus Bavarus *Elector Colon. Episc. Monast.* 5. 19. 86. 88 90. 96. 164.

Ferdinandus Baro de Furstenberg 487. *Cubicularius Pontificis: defert Galerum Cardinali Wartenbergio 488. ad Christ. Bern. ablegatus lustrans Castra, militariter excipitur 488. Episcopus Paderbornensis* 55. & *Monasterienſis 586. 587. pacem promovet 716.*

Ferdinandus Maria *Bavariæ Elector 320.*

Ferdinandus Secundus *Imperator 9.*

Ferdinandus Tertius *Imperator 35. indulget Christ. Bern. administrationem 35. dat investituram & regalia 42. indicit Comitia 77. audit Christ. Bernardum 98. Ejus de illo judicium 99. quid suadeat Mallingcrotio 100. contraria huic decernit 101. 102. designat Commissarios in causa Monasterienſi 274. solvit arresto Vierdenhalvium 281. mors 304.*

Ferdinandus Quartus *Hungariæ Rex 98. electus Rex Romanorum 103. moritur 214.*

Flodorff *Comes 341. albo Institorum Monasterij nomen dat 385. agit causam Civitatis 404. paulatim segnior 405. projectum ad Cives perfert 470.*

Florentius de Wevelinghove *Episc. Monast. 107.*

Fœdus *cum Batavis tentatur 316. Rhenanum 216. cui se innectit Rex Galliæ 411. extenditur 587. Anglo-Monasterienſe 670.*

Fœderati Principes *216. 363. 392. tractant de fœdere cum Batavis 301. 313. 314. suadent obsidionem Monasterij 323. hortantur Civitatem ad deditionem 344. 354. 363. dehortantur Batavos 392. & divertunt 511. extendunt fœdus 411. 418. succurrunt contra Monasterium 355.*

496. *contra Turcam* 651. *contra Erphordiam* 660. *consortes pacis Clivensis* 730.
Franciscani *Conventuales* 259. 443. 542. 545. 583. *Observantes* 443. 512. 542. 545. *Capuccini* 443. 542.
Franciscus Guilielmus *Camerarius hæred. vid.* Galen.
Franciscus Guilielmus *Episc. Osnab.* 8. *Consecrator C. Bernardi* 47. *Commissarius in causa Mallingerotiy* 57. *Monasterienſi* 274. 283. *intercedit pro Civitate* 262. *Cardinalis* 478. 488.
Franciscus Waldeckius *Episc. Monast.* 532.
Franckenthalia 105. Francofurtum 274. 407. 673.
Freitag 340. 601. Frentz 13. Frickius 47. 48. Frintzius 577.
Fridericus Christianus *Baro de Plettenberg.* 11. *Decanus* 11. *Episc. & Princeps Monast.* 3. 4. 5. 55. 97. 389. 587.
Fridericus *Daniæ Rex* 729. 607.
Fridericus Magnus *Rheni Comes.* 463.
Fridericus Guilielmus *Elector Brandenburgicus* 55. *Turr Auriaci* 422. *Dux Cliviæ* 664. *Con-Director Circuli Westph.* 665. 666. *ſollicitatur à C. Bern.* 677. *contrariatur* 679. *ſollicitus de neutralitate Cliviæ* 704. 705. *pangit fœdus cum Batavis* 706. 715. *pacem perurget* 716. 719.
Friquetius *Cæsareus Residens Hagæ* 453. 468. 614. *cum indignatione Monasterienſes audit* 453. *Ejus oratio ad Batavos* 455. 630. *Relatio ad Cæsarem* 463. *projectum unà componit* 470. *Commissarius in causa Monast.* 514. *curat causæ Liechtenſteinianæ* 609. *contra vim arci Dyleriana paratam* 630. *cooperatur pactioni cum Friſiis* 638. *Proteſtatur de oppugnatione Dyleriana* 640. *invehitur in litteras Batavorum ad Cæsarem* 648.
Frieſenvenna *pagus Transiſal.* 712. 713.
Friſia Occidentalis 316. *fautrix Monasteriensium* 458. *Ejus*

Ejus Gubernator 629. Consternatio. 696. 709.
Frisia Orientalis *578. 674.* Enno *Comes. 598. acquirit dotales Walburgis Ritbergicæ Dynastias 599. Inde lis cum Liechtensteinio 600.* Georgius Christianus *(jam Frisiæ Princeps) damnatur 600. C. Bernardum accedit & cum eo convenit 602. sollicitus de pecunia 603. à C. Bernardo per Legatos impetrat prorogationem termini 604. exprobrat Batavis mutui procrastinationem* 605. *Citatur à Batavis* 609. *Transigit Ratisbonæ.* 628. *& iterum Hagæ.* 638. *pactum as non solvit.* 645.
Frisij Principis Ablegati. 603. 638. 640. 644.
Funck. *Tribun.* 688.
Furstenberg Barones. *Eorum familia 31.* Theodorus *Episc. Paderborn.* 32. Guilielmus *Ord. Teutoni Supremus Magister 31.* Ferdinandus *Episc. Paderb.* vid. *Ferdinandus.* Guilielmus *Monast. Canonicus 13. subcustos 543. Consiliarius 31. 33. 150. Cubicularius Pontificis 33. Præpositus Monast. 663. Decanus Salisburgensis 34. Ablegatus Viennam 31. 34. 42. 267. 431. 495. Coloniam 225. 267. ad Vicarios Imperij 334. Comitatur Ratisbonam 93. abit Romam. 275. 650.* Joannes Adolphus *interest pacificationi Clivensi 734.*
Furstenberg Comites Principes Franciscus Ego *Episc. Argentinensis 225. 607. 628.* Guilielmus Ego *Cardinalis 735.*

G.

Galen *Barones 17.* Theodoricus *militiæ Dux 19.* Theodoricus *Archi-Marschallus Curlandiæ 17. Ejus cum Morrieno dissidium 18. mors 19.* Henricus

Ord.

Ord. Teutonici supremus Magister 20. Henricus Dynasta *in Assen 13. Ejus virtutes 95. connubia & prepago 96. studia in evacuandâ Vechtâ 128.* Catharina *Satrapissa 19.* Hedwigis *Abbatissa Borghorsti* 9. Franciscus Guilielmus *Camerarius hæreditarius Monast. 13. 96. 97. 325. 586. 587.* Christophorus Henricus *Canon. Monast. & Osnab. 96.* Ferdinandus Benedictus *Canon. Moguntinus & Monast. 96.* Joannes Matthias *Canon. Osnab. 96.* Ludgerus Henricus *Episcopus Melitensis 96.* Galenij de Ermelinghoff *52. 54.*

Gallia 214. *vid. Ludovicus.* Gelenius 60. 97.

Gelria *Ducatus 87. 494. 675. 698. 709.* Gelriensis Curia *87. 89. 91. 92. Gelriæ Ordines 611.*

Geist. *186. 346. Geistana compositio 566. 568.*

Georgius Christianus *Frisiæ Princeps Vid. Frisia Orient.*

Georgius Christianus *Hassiæ Landtgravius vid. Hassia.*

Germani *improbant pacem Turcicam* 657.

Giese *Cancellarius Neoburgicus 734.* Gigas 319. 320.

Glanerbruck *pons. 324.* Gloxinius *Synd. Lubecæ* 309.

Golstein *225. 327. 355.* Gorgas. 687. 688. 702. 711. 713.

Gosæus *Pro-Chiliarcha 538.* 687. S. Gotthardi Mon. 652.

Graes *Nob.* 294. 340. 445. Grammond *Par Franciæ* 411.

Gratiarum actio *de recuperata Coesveldia* 63. *Beverger na 71. Vechta* 129. *compositione Schoneflitana 254. reducto Monasterio 534.*

Greven *pagus 325.* Grietzila *portus Frisiæ 713.*

Grolla 689. 702. Groninga 459. 494. 691. 695 697. 709.

Gronsveldius *Comes* 514. 575. Groethaus *Nob.* 340. 737.

Gronovv. *municipium* 688. Grotius *Orator Amst.* 470.

Guidobaldus *Archi-Ep. Salisburgens.* 607.

Gudenus *Moguntini Consiliarius* 733.

Gundackerus *vid. Liechtenstein.* Gutcensis *vid. Joannes.*
Guilielmus Baro de Furstenberg. *vid. Fürstenberg.*
Guilielmus Ego *Cardinalis. vid. Fürstenberg.*
Guilielmus Fridericus *Nassovius, Frisiæ Gubernator* 459. 505. *Dux exercitus Batavi* 629. *Expugnat Castellum Dylerianum.* 640. 642. 644. 645. *reducit exercitum.* 646. *Mors* 646.
Guilielmus Princeps Auriacus, *possidet Bevergernam* 67. *Dies natalis* 71. *Gubernator Batavorum* 71. *Rex Angliæ* 71. *Donat Brabeckium equo.* 470. *Ejus territorium Linga* 707. *adoptatur filius Reip.* 741.

H.

Haes *Colon. Senior* 283. *Junior* 601. Hailbrunna 105.
Halteren 244. Hambroeck 702. Hamicholt. 371.
Hamburgum 673. *Urbs Hanseatica* 301. *queritur* 575.578.
Hanseaticæ Civitates 301.302. Hanxstein *Nob.* 54.
Hardij *Nob.* 485. Haren. 341. Harpstette 735.
Hassia 679. *Princeps* 63. *insidet Coesveldiam* 23. *evacuat* 63. *consors fœderis Rhenani* 411. 588. Georgius Christianus *militiæ Monasterienſis Dux* 679. 687 702.706.
Hassi *invadunt Diœcesin Monast.* 445. *discedunt* 63.
Hasseletum *oppid.* 695. Havickesbeck *pag.* 325.482.
Hatzfelt *Comites.* Melchior *Dux exercitus Cæsarei* 56. Franciscus *Episc. Bambergens. & Herbipolens.* 660.
Henricus Baro de Galen. *vid. Galen.*
Heimbuck *Legatus Brunsuic.* 734. Heden *pag.* 695.
P. Helm *Observans* 512. Herding *Consul Monast.* 79.
Hero *Friso Esenæ Dominus* 597.
Hervordia *Civit* 235. Herzelles *Mogunt. Legatus.* 283.314.

Hessing *Agens Hagæ.* 405. 406. 407.
Hiltrup *pag.* 78. 327. 524. 528.
Hispani *negant in Belgio Gallis & Britannis transitum* 697. *pellunt Monasterienſem militem* 710.
Hôbbeling *Secretarius* 86. Hôerde *Nob.* 19.
Hôfflinger *Conſul Monaſt.* 280. Hoffstetter *Legatus* 136.
Hoge *Senator Hollandiæ* 357.
Hohenloh *Comes* 651 652. 653.
Hojani Comites. *Ericus* 177. *Joannes. ibid.*
Hollandt *Secretarius* 165. 172. 203. 435. 440. 552.
Hollandia *Provincia* 405. 455. 459. 484 495. 698.
Holmia 608. Honniwodus 712. Honerpicus 347.
Hordeckius *Mogunt. aſperum collem primus aggreditur* 348. *Occiditur* 340. *Ejus laus* 350.
Horstmaria *oppid.* 387. Huxaria *Civit.* 582. 735.
Hugo Everardus *Epiſc. Wormatienſis* 661.
Hugo *Legatus Brunſuicenſis* 734.

I.

Janizari 652. Janſenius *Epiſc. Iprenſis* 110. 111.
Jaurinum *Civit. Hungariæ* 652. Jemminga 601.
Jena *Cancellarius Brandenb.* 715. Ilten *Tribun.* 688.
Imperatrix 98. Imperator *Vide Ferdinand. Leopold.*
Inauguratio *C. Bern.* 77. Innocentius X. 38. XI. 447.
Inſcriptiones primarij lapidis 293. 579. 594.
Joannes Baro de Goes *Legatus Cæſaris* 6. 715. *Epiſc. Gurcenſis Cardinalis* 733.
Joannes Georgius *Elector Saxoniæ* 320.
Joannes Guilielmus *Dux Cliviæ* 664.
Joannes Mauritius *Naſſoviæ Princeps* 700. 704. 705.
Joannes Philippus *ex Baronibus de Schönborn* 660. *Epiſcopus*

ſcopus Herbipolenſis 664. Wormatienſis. ibid. Elector Moguntinus 101. Commiſſarius in cauſa Monaſterienſi 274. 283. Ablegat Herzellez Hagam 314. Suadet obſidionem Monaſterienſem 323. Submittit copias 326. 327. 353. 497. Legatum ad Urbem 355. Scribit ad Batavos 393. 395. Duriùs excipit Mallingcrotium 101. & Monaſterienſes 407. Conſors fœderis Rhenani 411. 588. In cauſa Liechtenſteinianâ arbiter 627. Amiciſſimus C. Bernardo 659. Ejus controverſia cum Erphordia 658 quam ſubjugat 660. Iſthic C. Bernardum excipit 663. Conciliator pacis Clivenſis 716. 725. Ejus laus 661. mors ibid.

Joannes *Friſiæ Orient. & Ritbergæ Comes. Vide Ritberga.*

Joannetta Franciſca *Comitiſſa Ritbergæ 599.*

Joſephina *Sacella 443. 593. Feſtivitas 560.*

Iſala *fluv. 698. 699. 702.* Jus præſidij 297.

Juliacenſis controverſia 55. 232. 267. 268. 664. 665. 666.

K.

Kannegieſſer 329. 346. Kemmner. Keppel 284. 346. 407.

Keppel *Caſtrum 689.* Kitzlitz *Tribunus 688.*

Ketteler *Nob.* Guilielmus *Epiſc. Monaſt. 84.* Rembertus *Can. 12.* Philippus *Canon. Mon. Decanus Paderborn. 10. 13. 734.*

Kniphuſen *Baro 637.* Knoeſt *Jurisp. 440. 474.*

Kôningsmarck *Suecicæ militiæ Dux 169. 234. 269.*

Korff 327. 687. 96. Kobring 341.

Kükelsheim 497.

L.

Landsberg *Colonienſis militiæ Dux* 327. *Legatus* 458.
Legati Batavorum 357. *Vredenæ & Ahuſiæ excepti* 357. *Audiuntur à C. Bern.* 358. *Pergunt Stemfordiam* 361. *Intrant Monaſterium* 372. *eorum iſthic propoſitio* 373. *Principem inviſunt Wolbecæ* 374. *Alij Monaſterium ablegantur* 484. *excepti in Caſtris* 485. *ingreſſi Civitatem, fruſtra ſuadent projecti acceptationem* 485. *redeuntes excipiuntur à C. Bern.* 491. *Eorum in Hollandia relatio* 491. *Vectores intercepti* 499.
Leon *Miniſter Gallicus* 411. Lepper *centurio* 325.
Leopoldus Guilielmus *Archi-Dux, Belgij Gubernator* 7. 514. 266.
Leopoldus Imperator *Francofurti eligitur* 409. *quanto cum plauſu* 410. *Reſcribit ad Monaſterienſes* 420. *ferè contra eos ſententiam* 436. *decernit executoriales* 441. 463. *deſtinat legiones in Weſtphaliam* 463. *duplicem paritoriam decernit* 475. 477. *Vicinis Imperij Statibus tentamen concordiæ committit* 478. *Aſſiſtit C. Bern.* 496. 549. *de jure poſtarum quædam ordinat* 575. *Lichtenſteinianum cauſam dirimit* 600. *Executionem imponit C. Bern.* 600. *ejuſq; curam Friquetio* 609. *Ratisbonam indicit Comitia* 605. *audit C. Bernardum* 607. *Suppetias impetrat ab Imperio* 608. *Ablegat ad Batavos* 609. *Ejus epiſtola* 612. *pacem init cum Turcis* 655. *quare* 657. *donat C. Bern. pretioſa à cruce* 660. *& donativis* 660. *proſcribit Erphordienſes* 659. *Tyrolim adit* 706. *Conciliator pacis Clivenſis* 714. 725.
Leeraedt *Præpoſ. Oſnabrug.* 58. Leerorthum 608.
Leuth *Caſtrum* 666. S. Liborij reliquiæ. 275.

Lichtenstein *Princeps 593.* 606. Gundackerus *599.* Hartmannus *600. citatur à Batavis 608. 609. Lichtensteinianæ controversiæ origo 599. præambula compositio 602. non servatur 604. vid.* Frisia Orientalis.
Lichtenstein *Ord. Teutonici Commendator 244. 266.*
Lichtenfort *Dynastia 88. 89.* Liesbornensis Abbas 58.
Limburgio-Styrummenses *Comites.* Georgius 85. Judocus 86. Hermannus *Otto 89.* Adolphus 90.
Limprecht *Quatuor-Vir Erphordiæ 659.*
Linga *ditio 706.* Lipsanothecæ *444. 542. 561.*
Litteræ Bonvisij Cardinalis *ad Alpenium 14.* Cardinalium *ad C. Bernardum 118.* Christ. Bernardi *ad Deputatos Zutphaniæ 90. ad Senatum Monasterienſem 150. 304. ad Clerum & Officiales 240. ad Batavos 396. 454. 469. 607. 636. ad Civitates Hanseaticas 306. Ad Amstelodamenses 578.* Deputatorum Zutphaniæ *ad C. Bernardum 91.* Senatûs Monasterienſis *ad C. Bernardum 182. 400. ad Principes Confœderatos 344. ad Aitzemam 501. 503. 507.* Fœderatorum Principum *ad Batavos 393. ad Monasterienſes 344. 353.* Alexandri Pontificis *ad Præsules Germaniæ 286. ad C. Bernardum 529.* Hanseaticarum Civitatum *ad Batavos 302.* Vicariorum Imperij *ad Civitatem 320 ad C. Bernardum 332.* Batavorum *ad C. Bernardum 363. 467. 606. 633. 650. ad Principes Confœderatos 363. ad Cæsarem 625. 647.* Leonis ab Aitzema *ad Monasterienſes 500.* Saxoniæ inferioris *ad Cæsarem 576.* Amstelodamenſium *ad Christ. Bernardum 576.* Cæsaris *ad Batavos 612.* Regis Sueciæ *ad Batavos 707.*
Lochemium 689. 700. 702. Losser *pagus 689.*

Lotharius Franciscus *Episc. Bambergens.* 661. Elector *Moguntinus* 662.
Londinum 669. Lovanium 21.
Lovanienſis Univerſitas 110. Lubeca 576. 673. 301. 392.
S. Ludgerus *Proto-Episc. Monast.* 5. 13. 51. 80. 520. 523. 560. *Festivitas ejus à Christophoro Bernardo fundata* 561.
Ludinghauſen 663. Lunêburgum 576. Lutzo 687. 712.
Ludovicus Rex Chriſtianiſſimus 418. 510. 549. *Conservat fœderis Rhenani* 411. *Assistit* C. *Bernardo in reducendo Monasterio* 496. 510. *In vindicanda Borculoa* 590. 592. 611. *Cæsari contra Turcam* 651. *Moguntino contra Erphordiam* 660. *agrè intuetur bellum Anglo-Batavum* 667. *multa suspecta habet* 667. 674. 681. *asserit sibi jus in Belgium* 674. *Penetrat fœdus Anglo-Monasterienſe* 674. *Imploratur à Batavis* 677. *conatur pacare Monasterienſem* 677. *adversatur* 679. *Et negat suppetias* 680. *Quas addicit Batavis* 680. *Suadet C. Bernardo pacem* 682. *Spem auget restituendæ Borculoæ* 682. *Auxiliares mittit Batavis* 697. *Dehortatur Fœderatos Principes, ne juvent* 667. 698. *Ejusdem militia in Unito Belgio* 698. 699. *Contra Monasterienſem* 705. *Conciliator pacis Clivenſis* 715. 728.

M.

Magdeburgum 169. 433. Malachias *Primas hybernia* 259.
Mallingcrot. Everardus *Cellarius*. Bernardus *Can.* 12. Rembertus *Nob.* 341. Bernardus *Decanus* 8. 12. *Coadjutor Mindenſis* 9. *Designatus Episc. Ratzeburgenſis* 9. *Ejus propositio* 14. *Impugnat electionem Chr. Bernardi* 24. *Remoratur confirmationem* 34. *Excludi-*

tur à Comitiis 37. Rejicitur Romæ 38. Viennæ 42. Suspenditur 57. 58. 59. Frustraneum tentamen concordiæ 82. Appellit Ratisbonam 99. Ubi contraria omnia experitur 100. 101. 102. Redit in Westphaliam 102. 111. Captat populi studia 113. Repetit Chorum & Sedem decanalem 130. Declaratur irregularis 131. Excommunicatur 136. Vitatur 143. Arcetur ab ingressu Ecclesiæ 147. Diversa scripta affigit 148. Absolvitur 156. Jubetur restitui 165. Attinetur domi 171. Erumpit 173. Evadit Coloniam 186. Privatur Decanatu 258. Simulat propensionem concordiæ 283. Redux in Westphaliam 319. Capitur & ducitur Ottensteinam 320. Moritur Ottensteinæ 626. Sepelitur Vredenæ 627.

Maria Sophia *Eltensis & Vredensis Abbatissa* 357.

Maria *Hojana* 84. Marienfelt 98. 483. *Abbas* 58. 444.

Marlius 492. 507. Martellus *Embslandiæ Quæstor.* 606.

Maximilianus Henricus *Archi-Episcop. Colonienſ. 5. 6. Candidatus* 7. *Canonicus* 12. & *Episcopus Monasterienſis* 55. *Petit suppetias contra Condæanos* 279. *Scribit ad Batavos* 395. *Consors fœderis Rhenani* 411. *Munitiones Coesveldienses everti permittit* 447. *Succurrit Christop. Bernardo* 327. 496. *Excipitur Monasterij & Coesveldiæ* 584. *Conciliator pacis Clivensis* 716. 698. 725.

Medevort. Mônnich. Münster *Nobiles* 340. 341.

Meyer *Tribunus plebis* 284. Meierus *Historicus* 65.

Meinders. 734. Meinershagen. 79. 486. 538. 687. 713.

Meklenbeca *Vicus* 486. 488. 489. Mellinger 713.

Mervelt. Theodorus Hermannus *Cancellarius Monaſt.* 31. 80. 294. *comitatur Ratisbonam* 93. *præeſt Comitiis Circularibus* 116. *moritur* 387. *ejus laus* 388. *filius & nepotes* 389. Theodorus Hermannus *Conſiliarius* 388. *Mareſchallus aulæ Monaſt.* 389. Theodorus Burchardus. *ibid.* Adolphus Bernardus. Goſvinus Herm. Otto 389.

Metternich. 13. 225. 283. Meppena. 639. 644. 645.

Miles *Imperij* 651. Cæſareanus 463. 464 479. 526 530. 561. 653. Fœderatorum 651. 652. 653. Gallicus 679. 698. 699. 700. 703. 714. Batavus 711. 712. 713. Monaſterienſis.

Mylerus ab Ehrenbach 601. Moll *Tribunus* 688.

Mockelius 156. 157. 158. 166. Moderſohn. 346.

Moguntia 673. 679. Moguntinus *vid.* Joannes Philippus.

Monaſterienſis Princeps. *vid.* Chriſt. Bernardus.

Monaſterienſis Diœceſis, *quot bellis attrita* 23. *miſera* 23. *pro debito Imperij hypothecata.* ibid. *Ejusdem vicinia* 24. *gravata ab Haſſis* 62. *à Suecis* 115. 125. *à Batavis* 684. 717. *lætitia de recuperata Coesveldia* 64. *Bevergerna* 71. *Vechtâ* 129.

Monaſterienſis Clerus 81. 542. Religioſi 145. 542. 146.

Monaſterienſes Ordines 116. 317. 418. 448. 464.

Monaſterienſis Nobilitas 78. 80. 124. 125. 261. 264. 277. 317. 318. 340. 537. *querelæ* 335. 384. *tractat cum civitate* 343 345. 352. *& conficit* 366. 368. *fruſtrà iterùm concordiam tentat* 457.

Monaſterium Civitas *molitur novum propugnaculum* 72. *ejus ſtrages ex fulmine* 73. *periculum par* 75. *turbatur* 171. *tentatur* 238. 239. *componitur cum Principe* 249. ad-

admittit præsidium 254. tractat de eodem educendo 261. pro educto gratias agit 262. 266. Wittenbergium militiæ suæ præficit 267. militem authorat. 268. sollicita de Vierdenhalvio 278. citatur Coloniam 278. comparet 284. & Viennæ 285. petitio ut immediata declaretur. 295. rejicitur 296. super jure præsidij impugnatur 297. probatio solidior injungitur 298. ab Hanseaticis remittitur ad Batavos 301. 302. Ablegat suos in Hollandiam. 303. 318. 328. 442. Viennam 266. 285. 431. 440. Francofurtum 407 ad Civitates Hanseaticas 301. concordiæ tentamen protrahit 317. 318.

Repetit Drachterum captivum 324. Varios in Urbe attinet. 325. obsidetur 326. ad postulata Principis respondet 328. 329. machinis infestatur 328. 330. firmat se magis 331. respondet Principibus fœderatis 344. oppugnatur 347. 351. 355. Tristes Vesperæ Lambertinæ 350. 351. deditur 366. excipit Legatos Batavorum 372. obsidionem in aneâ figura expressam edit 382.

Sollicitat fœdus Hanseaticum 301. 389. 402. Inhibenti Principi respondet 400. petit à Batavis præsidiarios 404 Clerum vectigalibus gravat 431. declaratur municipalis 296. 432. constituit Aitzemanum Hagæ Plenipotentiarium 434. sententiam Cæsaris criminatur 436. 438. In Hollandia negotiatio & querimoniæ 449. 450. à Batavis protectionem petit 454. rejicit concordiam 458. & projectum 473. consternatur 460. protestatur. 464. mutuam à Batavis pecuniam accipit 467. conscribit militem 475. à Comitiis excluditur 478. hostiliter agit 480. vicinis præsidiis vim denunciat 481. & infert 482. Obsidetur 483. 486. 490. 497. Iterùm rejicit projectum 485. quænam Batavis offerat 491. 492. 493. scribit ad

Aitzemanum 501. 507. Premitur ab aquis 512. Tractat cum Principe 513. 514. Cui se dedit 515. Deditionis capita 516. Submissio 517. Abolitio 520. Tradit claves 524. De novo præstat juramentum 540.

Monasterienſis Senatus juramentum præstat Principi 13. Ejus noxia conniventia 144. 169. Respondet Consiliariis 150. Principi seditionem exprobranti 180. 182. 211. Legatis Batavis 373. Queritur super verbo mandare 151. Ejusdem resolutio super attinendo Mallingcrodt 159, 162. Nova querela 164. Vindicia 204. Protestatio 210. Inquisitio in reos seditionis 212. Tractatus cum Principe 245. 249. frustrà cohibet plebis criminationes 255. Relégat Vogelium 300. Non admittit Mallingcrodtium ad Urbem 319. Libellum in cataſta cremari facit 382. Quid resolvat favore Batavorum 493.

Monasterienſes Cives lætantur de electo C. Bern. 17. & de ejus inauguratione 81. Ducunt Vierdenhalvium per Diœcesin 266. 275. 281. 275. Diffidentia 278. Celebrant anniversarium tentatæ urbis diem 280. Parant se ad defensionem 326. Erumpunt 329. 331. Constantia 270. Incitamenta, inquietudo 370. 384. Plausus de electo Imperatore 409. Quomodo tractent militem Principis 413. Quid resolvant favore Batavorum 492. Consternatio 506. Captivorum dimissio 440. 441.

Monasterienſis plebs. Ejus sermones 113. 233. 244. 246. Criminationes 143. 187. 189. 203. 243. 254. Odium in Jesuitas 145. 203. Motus 157. Studia pro Mallingcrodtio 113. 166. 173. Tumultuatur 172. 174. Invadit Collegium Societatis 175. Seditiosa 243. Audacia 245. Inquietudo 246. Diffidentia 254. Alienatio à Principe 257. Tumultuatur in Curia 454.

Mo-

Monasterienſis Civitatis Ablegati *Coloniam* 284. *ad Urbes Hanſeaticas* 301. 302. *Hagam-Comitis* 303. 318. 387 390. 442. 449. 453. 460. 474. *Viennam* 266. 285. 440. 452. 474. *Francofurtum* 407.
Montecuculi *Imperialis militiæ Dux* 651.
Morrien *Mareſchallus* 18. 317. 340. 585. *Nob.* 341.
Mulnerus *Ablegatus Brunſuic.* 601. Mura *fluv.* 658.

N.

Nagel. Theodorus Hermannus *ex Varenholt, aulæ Præfectus* 236. 295. 504. *Tentat Monaſterium* 237. 238. *Ablegatur* 372. *Excipit Legatos Batavos* 485. *Perſequitur Monaſterienſes* 499. *Militem ducit in Civitatem* 524. 526. 538. *Comitatur Ratisbonam* 606. *Sollicitat Waldeckium* 678. Ferdinandus *ex Itlingen in cauſa Monaſterienſi Conciliator* 317. 340. Adolphus *ex Loburg* 341. Matthias *ex Gaul.* 497. 526.
Naſſovij Principes. *Joannes Ludovicus* 8. *Joannes Erneſtus* 13. *Vide* Guilielmus Fridericus. Joannes Mauritius.
Natta Comes. *Tribunus* 688. 710.
Neoburgum 665. Neohuſium 123. Neomagum 5. 612. 698.
Neſſelrodt *Barones* Franciſcus *Dynaſta Trachenbergæ* 11. 16. Joannes Bertramus. *Joannes Guilielmus* 13.
Nevinckhoff *Caſtrum* 487. 497. 498. 500.
Newhoff *Nob.* 12. 96.
Nienhaus *Senator* 328. 346. Nitzow. *Tribun.* 500. 688.
Nobilitas *vid.* Monaſterienſis. Nomina Canonic. 12. 13.
Northorn *oppid.* 737. Nortwalt 482. Nottelen *pagi* 515.
Nuncius Apoſtolicus. *Vid.* Chiſius. Sanfelicius.

Obſe-

O.

Obſervantes *vide Franciſcani.* Ohr. Oeffen. *Nob.* 341.
Obſidio Monaſterienſis *prima* 239. 241. *Secunda.* 326. *difficilis* 334. *finis* 368. *Tertia* 483. 486. *finis* 525. Caſtelli Dyleriani 640 642. 644. Lochemij 700
Oetinga 103. Oetmarſen *opp.* 689. 695. Oldenburg. 578.
Ommen *municipium* 691. *Caſtellum* 694.
Omina 168. 461. 462
Ordines Batavorum *ſeu Fœderati Belgij. vide* Batavi.
Ordines Gelriæ. *Vide Gelria* Friſiæ. *Vide Friſia.*
Ordines Imperij 664. Monaſterienſes, *Vide Monaſterienſes.*
Orſovium *oppid.* Cliviæ 666. 714. Oſtenda 674.
D' Oſſery *Ductor militiæ Monaſt.* 687. 695 Oſthovij 525.
Oſwaldus *Bergæ Comes* 599. Ottenſtein *Caſt.* 320. 324. 713.

P.

Pactio Schoneflitana 249. 280. 299. Geiſtana 366. *cum Friſiis* 602. 628. 638.
Paderbornenſis *Epiſc. Vide* Reck. *Vide* Furſtenberg.
Pafferodius *Ex-Conſul Gorcomienſis* 717.
Palant 13. 294. 737
Palatini *Bipontini* 665. 214. 268. Neoburgicus *Vide Phil. Guilielmus.*
Paris Lodronius *Archi-Epiſc. Salisburgi* 103. Pariſij 679.
S. Paulus *Patronus Monaſt.* 545. 559. Paulutius 119.
Pax *Weſtphalica* 603. *Turcica* 655 657. *Civ.* 717. 724.
Petrus *Equitum Trevir. Ductor.* 327. Peſtis 297. 694. 742.
Philippus Chriſtophorus *Elector Trevirenſis* 117.
Philippus Guilielmus *Dux Palatino-Neoburgicus.* 56. 245.

245. 268. 274. 283. 314. 316. 396. 411. 496. 528. 588. 607. 664. 665. 666. 716. 725.
Philippus Quartus *Hispaniarum Rex 658. 675. 697. 706.*
Pietas *terroribus aucta 76.* Pictorius *273.* Pilack *Trib. 688*
Plettenberg *Baronum familia 3. 96.* Fridericus Christianus *Episcopus-Princeps Monast. Vid.* Fridericus Christianus. Gualterus *Supremus Ord. Teutonici Magister 3.* Christianus 13. Theodorus 13. Ursula Helena 96. 586.
Plettenberg *Pro-Tribunus 538. 688.*
Plurenius *militiæ Principis & Urbis Monast. Præfectus, 514. 524. 528. 538. 688. 690. 736.*
Pons *Essekianus 651. Burtangæ impositus 696.*
Postarum *de jure controversiæ 575.* Post *Chiliarcha 687.*
Pradelius *militiæ Gallicæ Dux 660. subjugat Erphordiam. 660. mittitur in Belgium 697. Vahalim & Rhenum transit 698. tergiversatur movere 699. dissuadet obsidionem Bucholdiæ 703.*
Prævisiones 445. 528. Prædictiones 11. 447.
Preces *pro* felici *electione Episcopi 6. Pontificis 260. Imperatoris 410. Successu Comitiorum Imperij 58. 606. Statu Patriæ. 419. 462. 483. contra Turcam. 595. pro avertendâ peste 297. 742.*
Principes Fœderati *vid. Fœderati.*
Privilegium patriæ *161. 263. 336. 450.*
Projectum *470. quale fuerit 471. rejicitur 473.*
Propositio *Mallingcrotij 14. Cæsaris in Comitiis Imperij. 104.* Hagæ *Legatorum Principum fœderatorum 314. Brabeckij 610. Legati Cæsarei 614. Monasteriensium Ablegatorum 303. 309. Boickhorstij in Curia Arnhemiensi 91.* Pugnæ *327. 332. 347. 349. 487. 498. 652. 653.*

Quan-

Q.

Quantius *Secretarius* 172. Quinque-Ecclesiæ *Civitas Hungariæ* 671.

R.

Raesfelt *Barones* 96. 295. 340. Ratisbona 77. 98. 103. 606. 639
Ravè *Consiliarius* 515. 606. Ravensteina *Dominium* 317.
Reck *Baronum familia* 53. Theodorus Adolphus *Episc. Paderborn.* 6. 10. 57. 478. 123. Bernardus Theodorus & Matthias *Canonici Monast.* 13. Joannes *Dynasta in Steinfurt* 49. *Fit Catholicus* 50. *Motiva conversionis* 50. *Ejus propago* 53. *In causa Monasterien. Conciliator* 317. 340. Anna Elisabetha *Domina in Assen.* 14. 96. Joannes Theodorus *Dominus in Steinfurt* 54. Joannes Matthias *filius* 54. Matthias Fridericus *Decanus Monast.* 54. 55. Hermannus *Canon. Monast. & Paderb.* 55. Joannes Adrianus 499.
Reede *pagus* 702. Reede. Remme. Ripperda. *Nobiles* 340. 341.
Remunt *Generalis Vigiliarum Magister* 63. 215. 295. 327.
Resa *Civit. Clivia* 666. 714. Rescriptum *Cæsaris* 255. 256.
Reliquiarum *deportatio* 542. Reuscheberg 284. 285.
Rheina *Civitas* 270. 443. Rheingravius *Comes* 688. 704.
Ritbergæ Comites. *Joannes* 123. 478. 598. *Otto* 588. *Agnes Benthemica. Anna Esena.* Walburgis. Irmgardis 598. *Sabina Catharina. Enno & Joannes etiam Frisiæ Orientalis Comites* 599. *Bernardina Sophia. Catharina Leopoldina. Ferdinandus Maximilianus. Maria Ernestina Franciscа* 599. *Eorum jus in Oest-Frisiam* 639.
Rituale Principum 607. Roest *Trib. Colon.* 496.

Rôemer *Consul Mon.* 551. Rottendorffius *medicus* 82. 280. Rossel *Legatus* 637. Rovenne *Castell.* 695. Rusius 273. 446.

S.

Sacellum *Josephinum* 443. Salm *Com. vid.* Maria Sophia. Sanderus *Historicus* 65. Sanfelicius *Nuncius* 156. 170. 285. Sassenberga *Castrum* 123. 531. 508. 604. Saxonia 158. 576. Saxoniæ Duces 665. Scharenberg *Tribunus* 688. Schell *Præpositus* 12. 16. *de familia* 96. 174. 325. Schellinga *Friso* 484. Schilder *Satrapa* 19. Schenkianum Castellum. 666. Schorlemmer 12. 325. Schônborn Barones. 660. *Melchior Fridericus* 733. *Vide Joannes Philippus. Vide Lotharius Franciscus.* Schoneflitum *Castrum* 240. 241. 245. 249. 325. Schulenburgum *Cast.* 713. Schutta *insula Hung.* 658. Seditio *Leodiensis* 159. *Neapolitana* 159. *Anabaptistarum* 161. *Monasterij* 173. Senden *municipium* 481. 516. Sententia *contra Mallingocrotium* 100. 101. 102. 258. *in causa Borculoana* 85. *Monasterienſi* 298. 436. Serini *Comes* 651. Sintzig 13. 568. Slump 538. Smising *Barones Familia* 59. Henricus *Dominus in Tatenhausen* 60. Theodorus *magnus Theologus* 60. Otto Henricus *Præpositus Monast.* 12. 294. *Ejus Virtutes* 59. 60. *Mors* 663. Matthias *Monast. Canon.* 12. *Thesaurarius. Consiliarius* 284. *Decanus Hildesien.* 725. *Ablegatur ad Comitia Circularia* 116. *Coloniam.* 284. *Parisios* 495. *Ad pacificationem Clivensem* 716. 733. Fridericus *Eques Melitensis*, *Commendator Francofurti*, *continuus apud Principes Federatos*

tos 496. Comitatur Ratisbonam & Viennam 606. Ablegatur Parisios 677. 680. 681. 682.
Snell *Jurisperitus* 284. Soest *Civis Monast.* 346.
Societas Jesu *Ejus Missionarij* 49. *applaudit Principi inaugurato* 82. *& triumphanti* 541. 544. 545. *exhibet comœdiam* 445. 549. *populi in Societatem odium, criminatio execratio* 145. 168. 175. 188. 190. *Collegium Mon. infestatur* 174. *fenestræ excutiuntur* 176. 189. *Ejus Vindicia* 189. *Testimonium innocentiæ* 201. *anxietas* 2[illegible] *Insulæ* 524. 529. *Ductrix Catechismorum* 542. *Pellitur Embricâ* 704. *Reducitur* 736.
Souches *militiæ Cæsareæ* 654.
Spickius *Moguntinæ Dux* 326. 355. 531.
Spiegelbergia Legio 528. Spittael *Satrapa Eltensis* 3[illegible]
Spirensis Camera 87. 90. Spôede *Architectus* 273. 489.
Sprenger *centurio* 325. 348. Staphorst 695. Stadtlohn 71[illegible]
Stael *equitum Ductor* 325. *Jurisperitus* 265. *Civis* 165. 17[illegible]
Steingens *Commissarius militaris* 581. Steiniger 465.
Steinfort *Comitis Sedes* 361. 372. 374. *Dynastia Reckiorum* 49. 53.
Stickhusa *Castrum* 713. Stratagema 68. 235.
Straetman *Legatus Cæsaris* 6. Strigoniũ *Urbs Hung.* 654.
Stromberga *Burggraviatus Imperij* 83. *Elevatur* 107. 109. *celebris à cruciphoria* 480. 495.
Styrumensis. *Vide* Limburgius.
Suecia *Rex membrum Imperij* 98. *insidet Vechtam* 25. 115. *armat se* 213. *Poloniam invadit* 268. *Consors foederis Rhenani* 411. 588. *Auxilia Batavis negat* 707. *Offert Monasterienſi* 736.
Supplicatio *Coesveldiæ* 443. 478. *Bilderbecæ* 480. *Monasterij* 542. 548. Stromberga 480.

Swerin

Swerin *primus Minister Brandenb.* 738.
Susatum *Civit.* 275. 281.
Swilbroeck *Monasterium* 448.
Synodus generalis 274.

T.

Tabellarius *interceptus* 500. *dimissus* 501. *alter suspensus* 502. *equus impostor.* 503. 504.
Tamminga 484.
Tarantius *Princeps* 711.
Tassius *Postarum Praefectus* 577.
Telgetum 495. 650.
Temming *Jurisp.* 440. 474.
Tempestas 511.
Tempel *Legatus Anglicus à C. Bern. exceptus* 721. 722.
Timmerscheidt *Consul Monast.* 236. 355. 407. 551.
Tormullen *V. Zurmüllen.*
Töller *Tribunus* 688.
Torck 118. 295.
Thuanus *Legatus Franciæ* 510.
Thuini *Tribunus* 688.
Trajectum ad Mosam 666. 710.
Transisalania 494. 691. 698. 709.
Triumphus *C. Bernardi* 538.
Tubantia 689.
Turcæ *patiuntur.* 651. *Liberant Canisiam* 651. *Caduntur Christianos* 652. *Caduntur* 653. 654. *vid.* Bellum. Pax.
Turckenglock 597.
Twickel *Satrapa* 64. 69. 294. 524. 737.
Tyrolis *Provincia* 706.

V.

Vaga *fluv.* 654. 658.
Vahalis *fluv.* 698.
Valcke *Nob.* 340. 343.
Valckenburgum 709. 711.
Varlarienſe *ericetum* 177.
Vaticinia 76. 445. 447. 527.
Vechta 23. 115. 128.
Velen Barones 96. *Satrapæ Embslandiæ; Ablegatur in Hollandiam* 19. *Conciliator in cauſa Monaſt.* 1. *Mors* 343.
Veltbruggen *Legatus Neoburg.* 458.
Velavia 690. 698.
Veneti 657. Veſirius Turcarum 651. 652. 654. 655.
Vicarij Imperij 407. *Scribunt ad Civitatem* 320. *ad Bernardum* 332. *ad eos ablegatio* 334.
Vienna 103.
Vindiciæ *Societatis Jeſu* 189. *Civitatis* 204.
Vierdenhalven *Syndicus Monaſt.* 150. 155. 159. 165. 173. 257. 262. 264. 266. 275. 278. 280. 300.
Virmundt *Legatus Neoburg.* 314.
Viſurgis *fluv.* 581.
Ultrajectum *Provincia* 494. 698.
Vogelius 299. 300.
Volmunſtein *vid.* Reck. Vôerden. Vos. *Nob.* 12.
Vôerden *Caſt.* 689.
Vredena *Civ.* 357.
Vrede *Nob.* 54. Henricus Alexandet *aulæ præfectus* 104. *mittatur Ratisbonam* 606. *Ablegatur Bruxellas* 495. *Londinum* 669. 670. 673.

W.

Waldeck *Comes* 651. 678. 697. 730.
Walpott *Canon.* 13. *Tribunus* 528. 529. 538. 548. 688. 712.
Walramus *Epiſc. Monaſt.* 177.
Wambolt 285. 346. 660.
P. Watringa *Obſervans* 545.
Warendorp *Civit.* 98. 209. 528. 532.
Waſſenbergius 10.
Warfuſæus Comes 712.
Wedde *Dominium* 695.
Weſa *fluv.* 489.
Weiman *Cancell. Clivia* 470. 510.
Wendt *Barones* 60. 340.
Wenterſwica *pag.* 702.
Weſalia *Civit.* 666.
Weſterholt *Barones. Joannes Bernardus* 12. 325. Burchardus *Dynaſta in Lembeck Mareſchallus* 80. 294. 389. Nicolaus *VVeſterholtij Dominus* 91. Hermannus *Satrapa Bucholdicus* 294. Erneſtus Heidenricus 341.
Weſtholt *Pro-Tribunus* 688.
Wettendorff *Secretarius* 526.
Wichartz 512. Wildenburg *Caſtrum* 689.
Wilckinghegge 485. 537.
Wiedenbrück *Conſiliarius intimior Monaſt.* 31. 150 *Ejus oratio* 78. 79. 80. *Comitatur Ratisbonam* 93. *Ejus virtutes & functiones* 117. *Nobilitate decoratus* 118. *Ejus opera in cauſa Mallingcrotij.* 150. 165. 282. *Cum Monaſterienſibus* 150. 152. 160. 165. 298. 500. 515. *Excipit claves civitatis* 524. *Offert Principi flores ceraſi* 527. *Ablegatur Ratisbonam* 109. *Francofurtum* 274. *Coloniam*

278. 284. *Viennam* 285. 298. *in Oest-Frisiam* 601. *Ad conventum Durstensem* 666. *Clivensem* 716. 717. 719. 721. 733. *Northornanum.* 737.

Wilich Barones *familia* 513. Joannes Albertus *Dynasta Boetzlariæ* 11. Theodorus Carolus *Dynasta Wynenthaliæ, Cancellarius Mon.* 431. *Ablegatur Londinum* 495. Theodorus Philippus *Dominus in Prôbsting* 494. *Ablegatur Hagam* 67. 301. 314. 362. *Ejus oratio* 310. *Præficitur militiæ Monasteriensi* 485. *Excipit Legatos Batavorum* 485. *Cadit Monasteriensem* 499. *Ejus sollicitudo* 511. 512. *Mors & laus* 513.

Willemstadt 710. Winckelhausen 225.

Winschoten 695. 701. Wyntgens *Pro-Tribunus* 681.

Wittfelt *Consul Mon.* 285. 346.

P. Witfelt *Soc. Jesu* 145. 195.

Wittenberg *Mon. Urbis militiæ Præfectus* 268. 299. 321. 328.

Wittius *Orator Hollandiæ* 455. 470. *Senator Dordraci* 737.

VVolbeca *Cast.* 78. 480. 500. 513. 524. 527.

P. VVolterman *Conventualis* 545.

VVolfframsdorffij *Tribuni* 526. 530. 687. 712.

VVouda *Castrum* 710.

VVulff 341. *Condict. Metternich.* 13. *Condict. Ludinghausen* 20. Henricus *Episc. Monast.* 20.

VVürtenbergæ *Dux* 588. 601. 628. VVüllen *pagus* 712.

Z.

Zelandia *Provincia* 316. 494. Zehlemense *Ericetum* 702.

Zintzendorff *Comes Legatus Cæsaris* 609. 612. 614. 616. 625.

Zurmuhlen *Consil.* 495. *Trib. plebis* 284. 301. 303. 309.

Zutphania *Comitatus* 84. 90. 357. 689. 690. 697.

Zutphania *Civitas* 690. 699. Zwolla Civitas 695.

TYPO-

Pag.	Lin.	ERRATA	sic	CORRIGE
51	3	Fide	*Lege*	fidei
69	8	per fida		poſt fida
75	26	exituros		exiturientes
89	5	Ordinibus		Ordines
111	7	fidei		Sedi
113	6	concitabant		conciliabant
118	12	celebrato		celebrata
122	27	Scriab		Scriba
123	24	lautoque	*Lege*	lauteque
150	27	patientia		patria
185	2	*Bernardum*		*Bernardorum*
187	29	in curus		in cujus cujus
200	24	ſeptimo		quinto
213	23	apparatus		armorum apparat⁹
251	21	ſervitio		ſervitiorum
254	6	præſidia		hoſpitia
		in margine omiſſum		*Plebis criminationes*
261	8	Collegij Nobilitatis		ac Nobilitatis
262	9	faciat		facit
272	24	extrema	*Lege*	externa
280	3	præclarus		præcharus
295	27	conſtaret		volebant
298	16	ſervantur		ſervantor
308	31	quoque		quæque
327	20	divertia		divortia
330	15	ſuggeſtas		ſuggeſtus
335	11	perplexitatis		perplexitates
341	24	ſubſiditos		ſubditos
342	14	avidiſſimam		avidiſſimum

Pag.	Lin.	ERRATA	sic	CORRIGE
359	8	oblatum	*Lege*	oblatam
400	30			sint *deleatur*
444	10	Lyphanothecas		Lipsanothecas
441	31	habeant		habeat
447	9	forma		fama
448	6	alis		ales
	14	amicos		animos
460	2	potuisse	*Lege*	posuisse
466	8	indicet		judicet
470	2	mitte		mille
477	8	Rectore		Actore
479		*in marg.* Testante		restante
483	16	pupulationibus		populationibus
492	26	integrum		integram
495	21	diversi		diversis
497	16	arctate		arctare
498	24	læthaliter		lethaliter
507	10	Aitzemam		Aitzemanum
		proferendam		perferendam
522	27	ipsis		ipsos
530	12	ubique		utique
538	31	incutus		indutus
541	1	seu		ceu
560	20	operararij		operarij
573	2	Capellanis		Castellanis
576	7	pats		pars
600	8	quæstus		questus
695	4	tormentiæ		tormentariæ.

Cætera suppleat prudentia Lectoris.

B. 9. corbeja ecclia ad[illegible]
vide in pad[illegible] 121

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
5227
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN